P. GABRIEL M. ROSCHINI O. S. M.

MARIOLOGIA

TOMUS II

SUMMA MARIOLOGIAE

Pars I - De singulari missione B. Mariae V.

SECUNDA EDITIO
REVISA ET NOTABILITER AUCTA

ROMAE
ANGELUS BELARDETTI EDITOR
ANNO MCMXLVII

P. GABRIEL M. ROSCHINI O. S. M.

S. Theologiae Magister
Socius Pont. Academiae S. Thomae Aquinatis et Religionis Catholicae
in Collegio Internationali S. Alexii Falconieri de Urbe Professor

MARIOLOGIA

TOMUS II

SUMMA MARIOLOGIAE

PARS PRIMA

De Beata Maria Virgine
considerata in sua singulari missione

SECUNDA EDITIO
REVISA ET NOTABILITER AUCTA

ROMAE
ANGELUS BELARDETTI EDITOR
ANNO MCMXLVII

Ex parte Ordinis nihil obstat quominus imprimatur.

Romae, die 2 Iulii 1947.

Fr. Alfonsus M. Benetti
O. S. M. Prior Generalis

IMPRIMATUR:

E Civitate Vaticana, die 1ª Augusti 1947.

† Fr. Alfonsus C. De Romanis, Ep. Porphyr.,
Vicarius Generalis Civitatis Vaticanae

14 B

GENERALIS PROSPECTUS
TOTIUS SUMMAE MARIANAE

GENERALIS PROSPECTUS TOTIUS SUMMAE MARIANAE

B. VIRGO CONSIDERANDA EST:

SUA SINGULARI MISSIONE

(Pars I)

Maternitas universalis
considerandae:

[illegible] ad eandem
I)

[illegible] eiusdem
II)

[illegible] eiusdem seu [illegible] fuit
III)
- *Mater Creatoris*
- *Mater creaturarum*

- *Mediatio universalis*
  - *a)* sive in acquisitione
  - *b)* sive in distributione omnium gratiarum
- *Regalitas universalis*

IN SUIS SINGULARIBUS PRIVILEGIIS

(Pars II)

respicientibus:

I - animam: (*Sectio I*)
- immunitas ab imperfectionibus seu
  - a peccato originali
  - a peccato actuali
  - a fomite concupiscentiae
- plenitudo perfectionum seu:
  - gratiae
  - virtutum
  - donorum Sp. S.
  - fructuum Sp. S.
  - beatitudinum
  - charismatum

II - corpus: (*Sectio II*)
- perfectio
- passibilitas
- mortalitas

III - animam simul et corpus: (*Sectio III*)
- perpetua virginitas
- Assumptio

IN SUO SINGULARI CULTU

(Pars III)

considerando:

I - in sua constitutione interna: (*Sectio I*)
- natura
- elementa constitutiva
- legitimitas
- utilitas
- necessitas

II - in suis formis externis: (*Sectio II*)
- cultus quotidianus
- cultus hebdomadalis
- cultus mensilis
- cultus annualis
- cultus in temporibus libere seligendis
- cultus perpetuus

III - in sua historia: (*Sectio III*)
- origo
- propagatio (in Europa, Asia, Africa, America et Oceania)

SPECTUS TOTIUS SUMMAE MARIANAE

IRGO CONSIDERANDA EST:

IN SUIS SINGULARIBUS PRIVILEGIIS

(PARS II)

respicientibus:

- animam: (*Sectio I*)
  - immunitas ab imperfectionibus seu
    - a peccato originali
    - a peccato actuali
    - a fomite concupiscentiae
  - plenitudo perfectionum seu:
    - gratiae
    - virtutum
    - donorum Sp. S.
    - fructuum Sp. S.
    - beatitudinum
    - charismatum
- corpus: (*Sectio II*)
  - perfectio
  - passibilitas
  - mortalitas
- animam simul et corpus: (*Sectio III*)
  - perpetua virginitas
  - Assumptio

IN SUO SINGULARI CULTU

(PARS III)

considerando:

- I - in sua constitutione interna: (*Sectio I*)
  - natura
  - elementa constitutiva
  - legitimitas
  - utilitas
  - necessitas
- II - in suis formis externis: (*Sectio II*)
  - cultus quotidianus
  - cultus hebdomadalis
  - cultus mensilis
  - cultus annualis
  - cultus in temporibus libere seligendis
  - cultus perpetuus
- III - in sua historia: (*Sectio III*)
  - origo
  - propagatio (in Europa, Asia, Africa, America et Oceania)

GENERALIS PROSPECTUS TOTIU

B. VIRGO CONSIDE

IN SUA SINGULARI MISSIONE

(Pars I)

Maternitas universalis
consideranda:

I - in praedestinatione ad eandem
(*Sectio I*)

II - in praedictione eiusdem
(*Sectio II*)

III - in adimpletione eiusdem seu quatenus B. Virgo reapse fuit:
(*Sectio III*)
- *Mater Creatoris*
- *Mater creaturarum*

IV - in suis consectariis immediatis:
(*Sectio IV*)
- *Mediatio universalis*
  - *a*) sive in acquisitione
  - *b*) sive in distributione omnium gratiarum
- *Regalitas universalis*

IN SUIS SINGULARIBUS P

(Pars II)

respicientibus:

I - animam:
(*Sectio I*)
- immunitas ab imperfectionibus seu
  - a p
  - a p
  - a s
- plenitudo perfectionum

II - corpus:
(*Sectio II*)
- perfectio
- passibilitas
- mortalitas

III - animam simul et corpus:
(*Sectio III*)
- perp
- Assu

I 14 B

PARS PRIMA

DE BEATISSIMA VIRGINE CONSIDERATA IN SUA SINGULARI MISSIONE

Ratio huius primae partis. Postulat logicus ordo ut considerationem de B. Virgine a sua missione incipiamus, a fine videlicet ob quem B. Virgo a Deo creata fuit. A fine enim seu a missione B. Virgini concredita, deducenda et dimetienda sunt varia media (seu varia Virginis privilegia) ad finem assequendum seu ad missionem rite exequendam necessaria vel convenientia, ex eo quod « illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei » (*S. Th.*, p. III, q. 27, a. 4).

Missio vero ad quam electa est Beatissima Virgo in eius *universali maternitate* invenitur, in maternitate scilicet erga *Creatorem* et erga *creaturas*, prout alibi (in primo vol. huius operis) ubi de primo Mariologiae principio, demonstravimus. Universalis enim mediatio nihil aliud est quam universalis maternitatis actuatio.[1] Ipsa enim est Mater universalis familiae Dei Patris.

Divisio huius primae partis. Cum vero singularissima haec missio B. M. Virginis, seu *universalis maternitas*, considerari possit quadrupliciter, videlicet: 1) in decreto praedestinationis divinae, 2) in manifestatione huius decreti per prophetias, 3) in actuatione huius decreti, et 4) in suis consectariis (id est universalis Mediatio et universalis regalitas), hinc primam hanc partem in quatuor sectiones dividimus, videlicet:

1. *De praedestinatione B. M. Virginis ad suam singularem missionem.*
2. *De prophetiis singularem B. M. Virginis missionem praenuntiantibus.*
3. *De singulari missione B. M. Virginis considerata in sua adimpletione.*
4. *De singulari missione B. M. Virginis considerata in suis consectariis.*

[1] Cfr Bover I., *Mediación de Madre o la Mediación universal como actuación de la Maternidad de Maria*, Cavadonga, 1927; *Orden en que han da concebirse Maternidad, Corredención y oficio de dispensar las gracias*, in *Estudios Marianos*, 1 (1942) 103-165.

SECTIO PRIMA

DE PRAEDESTINATIONE B. M. VIRGINIS AD SUAM SINGULAREM MISSIONEM

BIBLIOGRAPHIA: ALASTRUEY, *Mariologia*, t. I, p. II, c. I, pp. 57-77; CARTAGENA O. F. M., *Homiliae catholicae de sacris arcanis Deiparae Mariae et D. eiusdem Sponsi*, vol. I, pp. 4 ss.; FERNANDEZ, O. P., in *Ciencia Tom.*, 1928, pp. 145-170; Card. LÉPICIER O. S. M., *Tractatus de B. V. M.*, p. I, c. I, a. 2, pp. 17-32, ed. 5; NICOLAS, *La Vergine Maria considerata nel disegno di Dio* (l. I); NICOLAS, O. P., in *Rev. Thom.*, t. 42 (1937), pp. 260-270; SEDLMAYR O. S. B., *Scholastica Mariana*, p. I, q. II, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. VII, pp. 755-778; TERRIEN S. I., *La Mère de Dieu et Mère des hommes*, p. I, t. I, pp. 56-115, ed. 4; VEGA S. I., *Theologia Mariana* t. I, pal. 12, pp. 43-66.

Ratio quaestionis – Quaestio haec nedum ordine *logico*, sed etiam ordine *ontologico* seu ratione momenti, in hoc tractatu *prima* dici debet. Aeternum enim Dei decretum circa B. Virginem basis et fundamentum est totius tractationis. Nullus enim artifex domum extruit quin prius mente ideam seu consilium eiusdem praedeterminaverit. Ita et Deus, Mariam sibi templum in tempore aedificans, illudmet exequebatur consilium quod ab aeterno de ipsa firmaverat. De hoc ergo consilio divino ante omnia agendum est prout ex revelatione apparet. Ut autem clariori quo fieri potest modo in hac perdifficili quaestione procedamus, necesse est quaedam praemittere circa praedestinationem tum in genere tum in specie.

Praenotanda circa praedestinationem

Praedestinatio (a *prae* seu prius, et *destinare*), *stricte* sumpta, praeordinationem divinam designat de his quae *per gratiam* in tempore fiunt; et ideo a S. Thoma definitur: « Quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his quae per gratiam fieri debent in tempore » (p. III, q. 24, a. 1 in c.). [1]

Praedestinatio ergo *stricte* accepta, ordinatur, ex sua ratione, ad *supernaturalem* hominis cum Deo *coniunctionem*. Haec autem supernaturalis coniunctio duplex est: *a*) *secundum operationem*, si significat praeordinationem alicuius ad *vitam aeternam* (quae *in operatione*, seu in visione Dei intuitiva consistit) per

[1] Opportune hic animadverti potest quod *praedestinatio* est pars, et quidem nobilior, *Providentiae* quae nihil aliud est nisi ordinatio rerum ad debitum finem per media apta ad finem illum assequendum. Duo ergo in suo conceptu providentia importat: *a*) assignatio finis, et *b*) assignatio mediorum. Quae duo supremo Numini congruunt; nil enim Deus facit in *tempore* quod *ab aeterno* non praeordinaverit.

Executio vero in *tempore* rerum ab aeterno provisarum, vocatur a S. Thoma *gubernatio divina*.

Praedestinatio est pars providentiae, eo quod Providentia respicit *omnes creaturas*, dum e contra praedestinatio respicit solam *creaturam rationalem*, quae a Deo elevata est ad *finem* supernaturalem per *gratiam* consequendum.

gratiam et merita habendam; et *b*) *secundum esse*, si significat praeordinationem alicuius ad coniunctionem cum Deo secundum subsistentiam i. e. ad esse Filium Dei naturalem, aut ad relationem maternitatis divinae i. e. ad esse Matrem Dei.

Prima ergo supernaturalis *coniunctio*, seu *praedestinatio*, pertinet ad ordinem *gratiae et gloriae*, et est summa *supernaturalis* perfectio quae consistit *in operando immediate* circa *divinitatem* (in visione Dei intuitiva). Secunda vero supernaturalis coniunctio seu praedestinatio pertinet ad ordinem *hypostaticum*, et est summa *supernaturalis* perfectio quae consistit *in essendo immediate* circa divinitatem, sive secundum *unionem hypostaticam* (i. e. in eo quod aliquis *homo* sit Deus hypostatice), sive secundum *relationem maternitatis* (i. e. in eo quod aliqua *creatura* sit ad Deum per relationem maternitatis accedens, et ideo ad ordinem ipsum hypostaticum intrinsece pertinens).

Secunda praedestinatio excedit quam maxime *primam*: ordo enim hypostaticus qui consistit in *essendo* immediate circa divinitatem, quam maxime excedit quemlibet ordinem gratiae et gloriae, qui consistit in *operando* circa divinitatem. Prima, insuper, consequitur *necessario* secundam in illis in quibus est, scilicet in Christo et Beatissima Virgine. Ex eo enim quod praedestinati sint ad *essendum* immediate circa divinitatem, praedestinati etiam fuerunt ad *operandum* immediate circa divinitatem, i. e. ad gratiam et ad gloriam. [1]

Hisce positis, sicut in Tractatu de Verbo Incarnato agitur de Christi praedestinatione ad esse Filium Dei naturalem, ita in Tractatu de B. M. V. agendum est de Mariae praedestinatione ad esse Matrem Dei naturalem. Et sicut Christus praedestinatus est *primario* et principaliter ad filiationem Dei naturalem, *secundario* autem et consequenter ad gratiam et gloriam et caetera spiritualia dona ipsi collata, quia ex prima connaturaliter effluunt; ita B. Virgo *primario et principaliter* praedestinata est ad divinam maternitatem, *secundario* vero ad gratiam et gloriam quia ex prima, tanquam ex radice profluunt. [2] De utraque ergo erit singillatim agendum. Quae autem hucusque praenotavimus mentem praeparant ad logicam huius difficilis quaestionis divisionem.

[1] Recolatur quod praedestinatio ad gloriam aeternam EX PARTE DEI seu *active* accepta, est actio *immanens* et duo praesupponit, i. e. dilectionem et electionem: *dilectionem*, in quantum Deus vult alicui creaturae hoc bonum salutis aeternae; *electionem* vero, in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult.

EX PARTE AUTEM CREATURAE, seu *passive* accepta, praedestinatio est actio *transiens*, quae ponit effectus speciales in praedestinatis, qui effectus, secundum communem sententiam, tres proprie sunt: *vocatio, iustificatio et glorificatio* iuxta illud Apostoli in Ep. ad Rom. (8, 30): « Quos autem praedestinavit, hos et *vocavit*; et quos vocavit, hos et *iustificavit*; quos autem iustificavit, illos et *glorificavit* ».

[2] Adest tamen discrimen inter praedestinationem Christi et praedestinationem B. Virginis. Dum enim praedestinatio Christi ad esse Filium Dei naturalem excludit *adoptionem*, B. Virgo e contra simul constituitur et Dei Mater naturalis et *Filia Dei adoptiva*.

Ordo quaestionis



Hinc, haec quaestio 7 articulis constat:

I. Utrum B. Virgo sit praedestinata in Matrem Dei et hominis simul cum praedestinatione Christi in Filium Dei naturalem et Mediatorem, i. e. eodem decreto.

II. Utrum B. Virgo praedestinata fuisset Mater Dei et cum Christo venisset si Adam non peccasset.

III. Utrum B. Virgo praedestinata fuerit Mater Dei omnino gratuita Dei voluntate, ante praevisa cuiuscumque merita.

IV. Utrum B. Virgo praedestinata fuerit ad gloriam aeternam ante vel post praevisa merita.

V. Utrum B. Virgo praedestinata fuerit ante omnem puram creaturam.

VI. Utrum praedestinatio B. Virginis sit causa praedestinationis aliorum electorum.

VII. Utrum *Mariae* nomen ab aeterno, ab ipso Deo, praefinitum sit, tamquam expressivum muneris et dignitatis ad quam praedestinata fuit.

Cap. I – UTRUM B. VIRGO PRAEDESTINATA SIT IN MATREM UNIVERSALEM SIMUL CUM PRAEDESTINATIONE CHRISTI IN FILIUM DEI NATURALEM, ID EST EODEM DECRETO

Prop.: I) *Eodem decreto quo praedestinatus est Christus Filius Dei naturalis, praedestinata etiam fuit Mater eius Maria,* II) *ita ut B. Virgo nec extitisset si Mater Dei non fuisset.* [1]

Supponimus hic, ut patet, B. Virginem vere proprieque Matrem Dei fuisse. Hoc posito, *sensus propositionis est*: non habentur duo veluti divina decreta, quorum unum ad Verbum Incarnatum se referat, et aliud ad Virginem Eius Matrem; sed unum idemque decretum infinitae bonitatis et misericordiae, utrumque (Christum et Matrem) respicit, illosque indissolubili vinculo iungit. Nec Maria sine Iesu, nec Iesus sine Maria concipi potest, ita ut de ipsis etiam, sicut de Adamo et de Eva, dici possit: « Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro » (I Cor., 11, 11). Deus enim unum sine altero nec cogitavit de facto, nec voluit.

Verum quidem est Deum per *unicum* et indivisibilem suae voluntatis *actum* praedestinasse Christum et B. Virginem *et nos*. Attamen, in illo unico et indivisibili actu, nos, propter indigentiam intellectus nostri, qui omnia simul apprehendere non valet, diversa momenta distinguimus, in quantum ille divinus actus, quamvis formaliter unus, *virtualiter* multiplex est. Et huiusmodi momenta nos vocamus decreta. Asserimus ergo Deum uno eodemque decreto Christum et Mariam praedestinasse.

Prob. prima pars: *A*) **Auctoritate:** 1. S. Scripturae: *a*) In S. Scriptura B. Virgo nunquam fere nisi cum Iesu exhibetur; inde ab oraculo genesiaco ut mater Seminis (i. e. Iesu Redemptoris) praebetur. Quod confirmat Pius X: « In Scripturis sanctis, quotiescumque de futura in nobis gratia prophetatur,

[1] Cum multa ac multipliciter a theologis fingi soleant decreta divina, liceat animadvertere *unicum* revera esse Dei *formale decretum*, in mente divina aeternaliter latum, unoque verbo ab ipso Deo initio mundi expressum: *fiat*. Huius decreti integrum obiectum est *ordo praesens* quantum late patet, id est, omnia quae praeter Deum quomodocumque fuerunt, sunt et erunt. Caetera vero quae legitime a theologis ponuntur decreta divina, non iam formalia sunt, sed in illo uno *virtualiter* continentur, non utique excluso *decreto praedestinationis* Christi eiusque sanctissimae Matris. Deus enim uno eodemque aeternali actu vult se necessario et alia libere, et solum circa haec intelligitur ferri decretum. Quod autem Deus unico actu vult extra se fieri, unico etiam formali decreto statuit. Attamen, sicut licitum nobis est ponere in Deo plura *rationis signa* unius rei simplicissimae, ita licitum est in eo ponere plura *virtualia decreta*, tot scilicet quot sunt res vere inter se distinctae et aliquomodo ab invicem independentes. Manifestum est autem decreta virtualia eumdem habere valorem ac virtutem quae propria est unici decreti formalis, cum pari modo divinae voluntati subdantur.

toties fere Servator hominum cum sanctissima eius Matre coniungitur». (Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904). Primum enim nomen quo miserentissimus Deus, homini peccatori, in paradiso terrestri, Redemptorem annuntiavit, non aliud fuit quam *semen mulieris* (Gen., 3, 15). Et S. Paulus, Redemptionis opere iam completo, ita de Redemptione loquitur: « Misit Deus Filium suum *factum ex muliere* ». In Evangelio legimus: *Maria peperit Filium suum* (Luc., 2, 7). Primi adoratores Christi, id est, Pastores, *invenerunt puerum cum Maria Matre eius* (Matth., 2, 11). In nuptiis Canae: « *Et erat mater Iesu ibi* » (Ioan., 2, 1). Ubicumque est Iesus, ibi est et Maria.

Iamvero, constans iste loquendi modus absque sensu aliquo profundo esse non potest; innuitur ergo compenetratio quaedam inter existentiam Virginis et eius divinam maternitatem; inter eius divinam maternitatem et existentiam Verbi incarnati. Compenetratio haec unitatem decreti divini clarissime ostendit.

b) Sed adest locus classicus ad hoc demonstrandum in Libro Prov., 8, 22-24: « Dominus possedit me in *initio viarum suarum*, antequam quidquam faceret a principio. Ab *aeterno* ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram ... ».

Antequam ex his verbis argumentum instituamus, necessarium ducimus brevem exegeticam expositionem huius loci praemittere. Agitur hic de *origine divinae sapientiae*, seu Verbi Patris. Dicitur:

a) *Dominus possedit me*. In textu hebr. legitur verbum *qânah* quod in S. Scriptura duo, ordinarie, significat, videlicet a) acquirere et consequenter *possidere* (cfr Gen., 4, 1; 25, 10 etc. ...) et b) formare, *creare* (Gen., 14, 19; Deut., 32, 6; Ps. 138, 13). Versiones graeca, caldaica et syriaca vertunt formare, *creare*. Attamen, stricta notio formandi seu creandi, conciliari non potest cum subsequenti assertione (5, 24-25): *genita* vel nata sum (scil. a Deo, ex Deo) et quidem ante creaturas. Agitur ergo, procul dubio, de generatione divina et aeterna Sapientiae. Si quis vero primam significationem (formare, creare) praeferre vult, in ipsa videre potest (cum plerisque Patribus) allusionem ad Incarnationem Verbi.

b) *In initio viarum suarum*. In hebr., maiori cum vi, dicitur: Dominus possedit me *tamquam initium viae suae* (seu tamquam principium agendi ad extra) antequam quidquam faceret a principio.

c) *Ab aeterno ordinata sum*, id est fundata sum (70 int.), stabilita sum (versio Aquilae et Symmachi), uncta seu consecrata sum (hebr.) ab aeterno.

d) *Ex antiquis*: in hebr., inde ab initio.

e) *Antequam terra fieret*, id est, ante prima tempora terrae. Conceptus iste in versiculis subsequentibus evolvitur.

« Satis clare affirmatur hypostasis, persona: et merito SS. Patres et veteres interpretes in Sapientia hoc loco describi docent λόγον, Verbum Dei, Filium Patris coaeternum Patri, ab aeterno genitum seu natum a Patre » (KNABENBAUER, *in Proverbia*, p. 64).

Hisce positis, ita argui potest: sicut Sapientia Incarnata, ita et Maria (in qua incarnata est) anterior est omnibus aliis creaturis in conceptione divini intellectus, id est, fuit primum obiectum cogitationis, dilectionis et electionis Dei, et ideo praedestinata est ante omnes alios, una cum Sapientia Incarnata, tamquam causa exemplaris et finalis omnium aliarum rerum. Quapropter Deus prius praedestinavit seu statuit facere Christum et Matrem suam, et postea (nostro intelligendi modo) omnia alia ad modum Christi et Mariae (causa exemplaris) et ad gloriam eorumdem (causa finalis).

Ad rem Cornelius a Lapide: « Dominus creavit et possedit Beatam Virginem utpote Christi Matrem, quia mater a Filio suo non fuit disiuncta etiam in electione divina. Quod videtur insinuare Andreas Cretensis: haec est declaratio profundorum divinae incomprehensibilitatis; hic est scopus qui excogitatus est ante saecula. Igitur Virgo ab aeterno praedestinata fuit ut esset principium i. e. prima princeps et Domina omnium purarum creaturarum » (*Comm. in Prov. Salom.*, c. 8, p. 181, Antuerpiae, 1871).

Quod confirmari potest verbis Bullae *Ineffabilis Deus*: « ... Ab initio et ante saecula (Ineffabilis Deus) Unigenito Filio suo Matrem ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur *elegit atque ordinavit* ».

Et alibi: « Ab initio et ante saecula creata sum ... » (Eccli., 24, 14-16).

In locis istis sermo est de origine Sapientiae. At, animadvertendum est quod Sapientia (Hôkma) in Veteri Testamento, nedum accipitur pro sapientia *creata*, sive naturali, sive supernaturali; nedum accipitur pro Sapientia *increata* sive attributiva, sive hypostatica seu personalis; sed accipitur etiam pro Sapientia *incarnata* seu pro Christo. S. Paulus enim, in pluribus locis suarum epistolarum, applicat Christo praerogativas omnes quae Sapientiae (Prov., 8, 22-31) attribuuntur (cfr 1, Cor., 24, 30; Col., 1, 15 et ss.; 2, 3; Hebr. 1, 2 etc.).

Insuper, Patres plurimi, praesertim Graeci, interpretantur verba illa de Sapientia *incarnata* seu de Christo. (Cfr praesertim S. Athanasius, *Orat. 2 c. Arianos*, n. 47, PG 26, 245 sq.; S. Cyrillus Alex., *Thesaur. Assert.* 15, PL 75, 266, 274).

Posito ergo quod ibi agatur de *Sapientia incarnata*, applicatio praedictorum verborum Beatae Virgini (prout fit a Patribus et a Liturgia) non potest dici mera *accommodatio*. Licet enim verba illa in sensu litterali *primario* seu obvio Sapientiam incarnatam designent, in sensu tamen litterali *secundario* seu extensivo aut implicito, Beatam Virginem etiam designant, eo quod ipsa tamquam *adsignificata* vel *connotata* ibi invenitur. Et ratio est quia idea Verbi incarnati in nostra eadem carne, in mentem nostram ideam naturaliter revocat mulieris illius in qua carnem nostram sumpsit.[1] B. Virgo enim et Christus ad invicem se habent tamquam charta et verbum in ipsa scriptum. Quemadmodum vero separari nequit verbum scriptum a charta in qua invenitur scriptum quin verbum ipsum de-

[1] Cfr Terrien, *La Mère de Dieu*, t. 1, ed. 4, p. 143.

struatur, ita separari nequit Verbum incarnatum a Maria quin Verbum ipsum destruatur. Necesse igitur est ut unum in alia legatur.[1] Hisce positis, ita argumentum instituere possumus:

Cum B. Virgo inseparabilis sit a Sapientia incarnata, necessario praedestinata fuit simul seu uno eodemque decreto cum ipsa, tamquam pars, et quidem essentialis eiusdem aeterni consilii divini. Et ideo etiam ipsa, una cum Sapientia incarnata, et per ipsam fuit viarum novarum principium operumque divinorum restauratrix.

Quae omnia confirmari possunt verbis Pii IX in Bulla *Ineffabilis Deus*: « Ipsissima verba quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis *primordia* transferre quae *uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae Incarnatione fuerunt praestituta* ».

2. Auctoritate Patrum et Scriptorum Ecclesiae:

S. Ephraem asserit quod Deus Mariam « ex universo coetu virginum elegit ut nostrae esset salutis instrumentum » (*Assemani*, III, 607).

S. Epiphanius asserit quod B. Virgo « ex infinito Israelitarum numero ad id munus est electa, ut vas quoddam et habitatio uni esset divino partui consecrata » (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 707).

S. Augustinus: « Antequam de illa natus esset, in praedestinatione noverat Matrem » (*Tract. VIII in Ioan.*, PL 35, 1455, n. 9).

S. Ioannes Damascenus: « Dignitatem tuam praecognoscens universorum Deus, Te proinde dilexit, dilectamque praedestinavit, atque extremis temporibus produxit, ac Deiparam Matrem suique Filii ac Verbi nutritiam fecit » (*Homil. I in Nativ. B. M. V.*, 3, PG 96, 672,).

S. Bernardus: « Missus est angelus ad Virginem... nec noviter nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam » (*Homil. II super Missus est*, PL 183, 63, n. 4).

S. Albertus Magnus: « Beata Virgo omnium bonorum Mater est ... ipsa enim ante saecula praedestinata est ut esset principium ex quo recreandum fuit omne creatum » (*Mariale*, q. 145).

S. Antoninus: « In capite Libri, scil. Divinae praedestinationis, scriptum est de me, quia ab aeterno praecognovit et praeordinavit Deus tempore suo concipiendam et nascendam Virginem quae esset sanctior universis puris crea-

[1] Pulchre S. Grignion de Montfort: « Ils (Jesus et Maria) sont unis si intimement, que l'un est dans l'autre: Jésus est tout en Marie, et Marie toute en Jésus; ou plutôt, elle n'est plus, mais Jésus tout seul en elle, et on séparerait plutôt la lumière du soleil, que Marie de Jésus. En sorte qu'on peut nommer Notre-Seigneur *Jésus de Marie*, et la Sainte Vierge *Marie de Jésus* » (*Traité* etc., n. 247).

turis etiam angelicis, ut esset gratia et gloria excellentior omni pura creatura, unde de Ea cantatur: "Elegit eam Deus et praeelegit eam". Elegit eam Deus et praeelegit eam ab aeterno praeordinando, et praeelegit eam i. e. prae omnibus aliis excellentiorem disposuit facere ... ab aeterno fuit memoria huius Virginis ut quid singularissimum » (*Summ. Theol.*, IV, c. 4, tit. 15, coll. 928-29).

Dionysius Carthusianus: « Omnino condecens fuit ut Virginem illam quam sibi (Creator) ab aeterno in Matrem elegit ... post ipsam assumptam humanitatem universis gratiis ornaret ... » (*De dignitate et laud. B. M. V., prooem.*).

S. Bernardinus Senensis: « Pater ante saecula Deus praedestinavit in Virginem dignissimam, Filius elegit in Matrem, Spiritus S. omnis gratiae domicilium praeparavit » (*Serm. 9 de Visit.*, Lugd., 1550, t. 4, p. 110).

3. Auctoritate Liturgiae: In festo Puritatis B. M. V. dicitur: « Deus quam elegerat creavit, de qua crearetur elegit ». Et in Missale Ord. Fr. Praedic. in Missa SS. Rosarii dicitur: « Omnipotens et misericors Deus qui ab aeterno Unigenitum tibi coaequalem atque consubstantialem Filium secundum carnem praedestinasti in Spiritu sanctificationis D. N. I. C. et sanctissimam Virginem Mariam tibi acceptissimam in Matrem eidem a saeculo praeelegisti ... ».

B) **Ratione**: Praedestinatio — iuxta S. Thomam – nihil aliud est nisi Dei praeordinatio ab aeterno de his quae in tempore per eius gratiam fieri debent. Atqui, in tempore facta est per gratiam (sumptam quidem non pro habituali dono sed pro ipsa Dei voluntate gratis vel gratum aliquid faciente) Verbi incarnatio per Maternitatem divinam. Ergo ab aeterno praeordinata est Incarnatio Verbi per maternitatem divinam; et ideo uno eodemque decreto quo Deus voluit Christum, seu Filium, voluit et Mariam, seu Matrem: filius enim et mater sunt *correlativa*; et correlativa sunt simul natura et cognitione. Christus enim, non fuit praedestinatus simpliciter ut homo (i. e. ut homo existeret per creationem stricte sumptam) sed ut *filius hominis* i. e. ut homo existeret per veram generationem quamvis miraculosam, a matre, ad quam proinde una cum Matre praedestinari debuit.[1]

Pulchre Nicolas: « On peut absolument concevoir Jésus-Christ sans les élus: on ne peut le concevoir sans Marie; puisqu'il est son Fils, et qu'il ne serait pas sans elle. Le Dieu sans elle ne serait pas homme, et par la même raison l'homme ne serait pas

[1] « Allo stesso modo che *Gesù* non è figlio di Dio che per mezzo di *Dio*, suo Padre, che gli comunica tutta la sua infinita et eterna divinità; così egli non è figlio dell'uomo che per mezzo di *Maria Vergine*, sua Madre, che gli dà la sua umanità. Il Padre celeste, Cristo, la SS. Vergine: queste tre idee sono inseparabili nel piano divino. *Dio*, *Gesù*, *Maria*, questi tre nomi benedetti non nef ormano che uno solo per noi che partecipiamo, in seno alla Chiesa, di tutti i doni del Signore » (De Ségur, *La SS. Vergine nei commenti dei SS. Padri*, p. 10, traduz. di Fides, Torino, S.E.I., 1925).

Dieu. C'est en elle et par elle que le Christ est par conséquent prédestiné Fils de Dieu. Car, encore une fois, il est prédestiné Fils de Dieu, comme homme, et non seulement comme homme, mais comme *Fils de l'homme*, ce qu'il n'est que par sa *Mère*, que par Marie. La prédestination de Marie à la Maternité divine. Ces deux prédestinations sont nécessairement connexes et correlatives; elles s'entrelacent dans un même décret » (*La Vierge Marie dans le plan divin*, t. 2, c. 3, pp. 61-62, Paris 1880).

Quia vero praedestinatio supponit *electionem* et electio *dilectionem*, ideo B. Virgo fuit ab aeterno a Deo *electa* et *dilecta*.

Prob. II. pars: *A*) **Auctoritate**: Patrum et Scriptorum Eccl., qui magis vel minus explicite asserunt totam rationem essendi B. M. V. in Eius divina maternitate sitam esse. *a*) *S. Ephraem*: « Si non erat Deus caro, quorsum Maria foret in medium producta? ». (Serm. de *Transfig. Chr.*, Assemani, t. 2, pp. 46-47). – *b*) *S. Andreas Cretensis* (in Orat. *de Cruce*. PG 97, 1020): « Si Crux non esset, Christus in terra non fuisset, non Virgo, non secunda Christi generatio » – *c*) *S. Ioannes Damascenus*: « Vitam natura praestantiorem habebis, non tibi ipsi; neque enim tui causa progenita es, quocirca Deum habebis ob quem in vitam prodiisti » (Or. I *de Nativitate Virgin.*, PG 98, 74, n. 9). – *d*) *Fulbertus Carnotensis*: « Cuius partus ad nihil aliud extitit, nisi ut fieret eius sancta pudicitiae domus et susceptio Filii Altissimi; ad quid enim aliud? ». (Serm *in Ortu Virg.*, PL 141, 326). – *e*) *Raymundus Iordanus*: « Ad hoc solum effecta es, ut templum Dei esses Altissimi » (*Contemplationes Deip.*, p. 11, c. 3, apud Bourassé, *Summa Aurea*, t. 4, col. 877). – *f*) *Patres Concilii Basileensis*, sess. 36: « Ipsam fabricavit Filius Dei Patris, ut esset Mater eius in terris ». (Mausi, *Coll. Conc.*, 29, 183). Idem testatur *Auctor Tractatus de Conceptione B. M. V.* PL 159, 306).

B) **Ratione**: Ita exponitur a cl. Alastruey: « B. Virgo Maria, si non esset Mater Dei, non foret *eadem numero* quam quae modo est cum divina Maternitate: talibus enim perfectionibus sive corporis, sive animae, tum naturalibus tum supernaturalibus a Deo instructa est intuitu divinae Maternitatis, ut, iis destituta, aliud prorsus individuum naturae humanae aliaque persona esset; nam, tale corpus in individuo ordinem dicebat ad talem animam et vicissim, et talis in individuo anima talibus proprietatibus, intellectu, voluntate ac reliquis potentiis ornari expostulabat » (op. cit., p. 74).

Non ergo a 19 saeculis tantum, sed ab aeterno, et quidem in uno eodemque divino decreto, Iesus et Maria intimo et indissolubili nexu coniuncti inveniuntur. Simul cum Christo, B. Virgo fuit « termine fisso di eterno consiglio ». (Par., 33, 3). Et ideo cum card. Maury concludere possumus: « Questo è il bel disegno del Cielo che si può indicare con fidanza ed ammirazione agli oratori cristiani, senza aggiunger nulla alla verità... lo domando se l'eloquenza cristiana può seguire solco più raggiante di luce » (*Saggio sull'eloquenza del pergamo*, t. 1, p. 12).

Ex dictis *consequitur*, praedestinationem B. M. V., a praedestinatione aliorum omnium (i. e. sive hominum sive angelorum) quoad duo maxime differre et supra ipsam excellere, videlicet: quoad *terminum* et quoad *extensionem eiusdem*, ideoque praedestinationem de nobis et de B. Virgine non univoce sed *analogice* dici. Differunt ergo:

a) *Quoad terminum*. Dum enim praedestinatio aliorum directe ordinatur (tamquam ad terminum) ad supernaturalem cum Deo coniunctionem *secundum operationem* (i. e. ad visionem Dei intuitivam), praedestinatio B. M. V. directe ordinata est ad supernaturalem cum Deo coniunctionem *secundum esse*, i. e. ad divinam maternitatem (quae ad ordinem hypostaticum pertinet) et *consequenter* ad tantam gratiam et gloriam, quae B. Virgini collata est ut esset ita disposita sicut Matrem Dei esse decebat. Ita SUAREZ: « Dicitur B. Virginem, nostro modo intelligendi, prius secundum rationem praedestinatam esse et electam *ut esset Mater Dei*, quam ad tantam *gratiam et gloriam* ... Ideo enim B. V. praedestinata est ad tantam gratiam et gloriam, quia electa est in Matrem Dei. Ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis. Sed in re ipsa tanta gratia et gloria data est B. Virgini, ut esset ita disposita, sicut Matrem Dei decebat. Ergo ita fuit electa ad tantam gratiam et gloriam, quia in Dei Matrem erat praeelecta ». (*Disp. I, sect. 3*, t. 2, in *III P. S. Thomae*). Haec est plurium Theologorum sententia, quae aliis verbis ita proponi potest: Terminus primus et immediatus praedestinationis est id quod est maius in aliqua creatura. Atqui, maius est in B. Virgine divina eius maternitas quam gloria eius coelestis. Ergo terminus primus et immediatus praedestinationis B. V. est eius divina maternitas. Patet ergo, praedestinationem B. V., aliorum praedestinationem excedere quantum ad *terminum*. Quare ab aliorum praedestinatione non tantummodo gradu, sed etiam *specie* differt: terminus enim *ad quem* praedestinationis (a quo praedestinatio speciem desumit) est specie diversus. Consequenter, aliorum praedestinationem superat etiam:

b) *Quoad extensionem* seu comprehensionem. Praedestinatio enim *in nobis*, duplicem ordinem effectuum comprehendit: quidam enim effectus a praedestinatione producuntur et ab ipsa dependent in esse (ut gratia, gloria, finis supernaturalis et media supernaturalia fini correspondentia); alii vero effectus (ut existentia, facultates animae etc.) non producuntur a praedestinatione, sed a communi providentia: a praedestinatione tantummodo ordinantur, et ideo praesupponuntur.[1] In nobis ergo, praedestinatio ibi incipit ubi desinit ordo naturalis.

[1] Ad rem CAIETANUS: « Distinguo inter effectus praedestinationis: quoniam quidam sunt non solum ordinati, sed constituti per praedestinationem, ut gloria et gratia, et universaliter finis et media ut sic. Quidam sunt solum ordinati contra praedestinationem, ut anima illius hominis qui est S. Petrus, et reliqua spectantia ad naturalem ordinem universi ». (Comm. in III p,. q. 1, a. 3).

In Virgine, e contra, omnia, nedum gratia, gloria, etc., sed etiam ipsa existentia, anima, facultates etc... fuerunt *effectus* praedestinationis. In nobis, enim, effectus praedestinationis est separabilis a providentia ordinaria; dum enim omnes homines beneficio providentiae communis gaudent, non omnes beneficio praedestinationis gaudent. In B. Virgine, e contra, providentia communis plene praedestinationi locum cessit. Finis enim primarius ob quem Deus B. Virginem creare voluit non fuit (sicut pro aliis praedestinatis) gloria aeterna, sed maternitas Redemptoris divini, sine qua nec extitisset; et ideo uno eodemque decreto quo statuebat Incarnationem Verbi, etiam Matris eius existentiam statuebat. Sicut ergo in Christo, ita pariter et in Maria, omnia sunt effectus providentiae, ordinem supernaturalem gubernantis, sine quibus ipsa nec extitisset. Omnia, ergo, in ipsa, sicut in Christo, a praedestinatione dependent.

Hoc posito, « Chi non vede in tutto questo una vertiginosa elevazione di Maria al di sopra di tutti gli altri esseri? Chi non comprende che Maria nella scala delle cose create tiene un posto al tutto singolarissimo, un posto che viene immediatamente subito dopo il posto di Gesù? Chi non sente al lume di queste considerazioni tutta la forza di quelle parole della bolla *Ineffabilis*: " Dio, fra tutte le creature, predilesse di tanto amore Maria, da compiacersi in lei sola con propensissimo affetto?" » (Campana, o. c., p. 351, ed. 4).

Cap. II – UTRUM B. VIRGO PRAEDESTINATA FUISSET MATER UNIVERSALIS AC CUM CHRISTO VENISSET SI ADAM NON PECCASSET [1]

BIBLIOGRAPHIA: Balić C., O. F. M., *La Prédestination de la T. S. Vierge dans la doctrine de Jean Duns Scot*, in *La France franc.*, 19 (1936), 114-58; Bello L., O. F. M., *De universali Christi Primatu atque Regalitate*, Romae 1933; Bissen I. M., O. F. M., *De motivo Incarnationis disquisitio historico-dogmatica*, in *Antonianum*, 7 (1932) 314-336; Bonnefoy J., O. F. M., *Primauté absolue et universelle de N.-S. Jésus-Christ et de la Très Sainte Vierge*, in *Bulletin de la Société Française d'Etudes Mariales*, 1938, pp. 41-100; Chrisostome (Urrutibéhéty), O. F. M., *La Rédemption est-elle le motif de l'Incarnation?*, in *France franc.*, 14 (1931). 115-158; *Le motif de l'Incarnation et les principaux thomistes contemporains*, Tours, Cattier 1921; *Christus, alpha et omega, seu de Christi universali regno*, Lille, 2e ed., 1910; Déodat de Basly, O. F. M., *Duns Scot aussi loin des Scotistes que des Thomistes*, in *Revue Duns Scot*, 9 et 10 (1911-1912); Feret, *A propos de la Primauté du Christ*, in *Revue des Sciences Phil. et Théol.*, 27 (1938), [illegible]-72; Garrigou-Lagrange R., O P., *Motivum Incarnationis fuit motivum misericordiae*, in *Angelicum*, 7 (1930), 289-302; Héris V., O. P., *Le motif de l'Incarnation*, in

[1] In hac quaestione ponenda et solvenda valde usus sum opera R. P. Mag. Iesualdi M. Rocca O. S. M., qui sententiam conciliatricem *de primaria ratione Incarnationis* a se inventam mihi ultro libenterque evulgandam communicavit; cui proinde grati animi sensus hic pandere gaudeo.

Bulletin de la Société Française d'Etudes Mariales, a. 1938, pp. 15-38; HILAIRE DE PARIS, O. M. Capp., *Cur Deus Homo*, Lyon 1867; HUGON H., O. P., *Le motif de l'Incarnation*, in *Revue Thomiste*, 21 (1913) (276-296); JEAN-BAPTISTE DU PETIT-BORNAND, O.M., Capp. *Essai sur la Primauté de N.-S. Jésus-Christ et sur le motif de l'Incarnation*, Paris, Libr. St. François, 1900; LATTANZI U., *Il primato universale di Cristo secondo le Sacre Scritture*, Roma; Lateranum 1937; RAYMOND, O. M. Capp., *Le motif de l'Incarnation, Duns Scot et l'Ecole Scotiste*, in *Etudes Franç.* 28 (1912) 317-330; RISI F., *Sul motivo primario dell'incarnazione del Verbo, ossia Gesù Cristo predestinato di primo intento per fini indipendenti dalla caduta dell'uman genere e dal decreto di redenzione*, Desclée-Lefebvre, Roma 1898, 4 voll.

Praesens vexatissima quaestio, circa quam plurima scripta, septem saeculorum decursu, prodierunt, modo opposito a Schola Thomistica et a Schola Scotistica, prout omnes probe norunt, soluta fuit.

Rebus omnibus mature perpensis, nobis videtur quod in utraque sententia aliquid boni et aliquid mali seu potius inconvenientis habeatur.

* * *

Breviter ea OMNIA RESUMENTES quae exposituri sumus, dicimus:

1. Responsioni Thomistarum: « CERTO Verbum incarnatum non fuisset ... » et Scotistarum: « CERTO Verbum incarnatum fuisset ... » in hypothesi quod Adam non peccasset, nos opponimus responsionem nostram, quae media veluti via inter negationem et affirmationem simpliciter incedit, videlicet: « NESCIMUS, saltem cum certitudine, utrum Verbum incarnatum fuisset in hypothesi quod Adam non peccasset », eo quod in tali hypothesi fit transitus ab ordine praesenti hystorico ad ordinem mere *possibilem* (in quo non adesset peccatum), de quo nihil cum certitudine scimus, quia de tali ordine possibili nihil Deus nobis revelavit.

2. DEPENDENTIAE (Thomistarum) et omnimode INDEPENDENTIAE (Scotistarum) Incarnationis a peccato Adae, nos opponimus simplicem CONNEXIONEM Incarnationis cum peccato, eo quod in ordine praesenti (qui est ordo *unice* a Deo decretus prae omnibus aliis ordinibus *possibilibus*) Incarnatio est omnino CONNEXA cum peccato (minime vero dependens aut omnino independens). Dependentia enim Incarnationis a peccato nullimode probari potest, saltem cum certitudine; [1] dum *connexio* Incarnationis cum peccato est omnino obvia et a nemine negari potest. Ita salvatur indoles REDEMPTIVA Incarnationis (a Tho-

[1] Praecipuum argumentum ad dependentiam illam probandam a P. Garrigou-Lagrange propositum, esset sequens: Incarnatio dependet a carne; et incarnatio *in carne passibili* dependet a carne quae suam impassibilitatem amisit *per peccatum*. Ergo, si peccatum non fuisset, Verbum incarnatum non fuisset. At, conclusio haec latius patet quam praemissae. Etenim, si non fuisset peccatum, non fuisset certo incarnatio *in carne passibili*, sed nescimus utrum fuisset in carne *impassibili*.

mistis iure propugnata) quia Incarnatio apparet necessario connexa (non dependens cum peccato) et simul PRIMATUS ABSOLUTUS et UNIVERSALIS CHRISTI (a Scotistis iure propugnatum) eo quod Incarnatio, licet *connexa* cum peccato, est tamen *independens* a peccato tamquam a conditione sine qua non; et ideo non iam Christus a permissione peccati sed permissio peccati (summi mali), dependet a Christo (summo bono) intuitu cuius res omnes ordinis praesentis a Deo volitae aut permissae fuerunt.

3. Rationibus PARTICULARIBUS Incarnationi assignatis sive a Thomistis (redemptio a peccato) sive a Scotistis (intrinseca Incarnationis excellentia, synthesis operum Dei ad extra), nos opponimus (quin excludamus, imo illas includimus) rationem UNIVERSALEM, primam, necessariam, videlicet: libera electio, ex parte Dei, ordinis praesentis (in quo est Christus, peccatum permissum intuitu Christi etc.) prae omnibus aliis ordinibus possibilibus. Supra enim talem rationem nihil habemus nisi varios ordines *possibiles*; et infra talem rationem nihil habemus nisi ordinem *executionis*.

Videtur ergo thesis nostra conciliativa omnino admittenda, cum defectus aliarum sententiarum (positio hypothetica et positio particularistica) vitet, et earum praerogativas (Incarnatio redemptiva et primatus absolutus Christi) omnino tueatur.

Ad hoc autem ut clariori quo fieri poterit modo in hac salebrosa quaestione procedamus, sequentia, ex ordine, pertractanda erunt, videlicet:

I. *Brevis prospectus historicus quaestionis*; II. *De modo quo quaestio posita et soluta hucusque fuit a thomistis et a scotistis*; III. *De modo quo quaestio ponenda et solvenda videtur*; IV. *In quonam sententia nostra conveniat et in quonam differat a sententia sive thomistarum sive scotistarum*; V. *Consectaria sententiae nostrae*.

Huius quaestionis momentum ex hoc apparet quod solutio eius universam Christologiam et Mariologiam luce sua circumfundit et in propria sede reponit.

I – *BREVIS PROSPECTUS HISTORICUS QUAESTIONIS*

Quaestio pertractari coepit saeculo XII, quamvis varia solutionis elementa in saeculis praecedentibus inveniantur. Primus qui clare et explicite de ratione primaria Incarnationis egit, fuit *Rupertus Tuitiensis* († 1135) qui docuit quod Verbum, etiamsi homo non peccasset, incarnatum fuisset. Peccatum hominis, Dei consilium non impedivit, sed causa fuit cur Verbum, loco carnis immortalis et impassibilis, carnem mortalem et passibilem assumpserit ad homines a peccato redimendos (*De gloria et honore Filii hominis*, l. 13, PL 168, coll. 1628, 1624, 1630). Idem fere docuisse videtur *Honorius Augustodunensis* († 1152), iuxta quem finis Incarnationis fuit hominum deificatio (*Octo quaestionum liber*, c. II, PL 172, 1187-1188). Opinionem Ruperti Tuitiensis secuti sunt *S. Albertus Magnus*, *Ru-*

pertus Grosseteste († 1253), *Scotus* († 1308),[1] *Franciscus de Mayronis* († 1323), *Petrus Aureolus* († 1345), *Petrus Aquilanus* vocatus *Scotellus* († 1370), *Bartholomaeus de Pisis* († 1380), *S. Bernardinus Senensis* († 1444), et in genere Schola Scotistica. Extra hanc Scholam, opinionem Ruperti secuti sunt *Gabriel Biel, Ambrosius Catharinus O. P., Granados, Hurtado, Pighi, Salmeron, S. Franciscus Salesius, Card. De Bérulle, P. Faber, Gay, Bougaud*, etc.

S. THOMAS, e contra, non negat *possibilitatem* hypothesis scotisticae, eo quod alia sane decreta condi potuissent ac de facto condita sunt; attamen, attentis auctoritatibus, convenientius dici asserit quod si homo non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset.[2] (*Summa Theol.*, III, q. 1, a. 3).

S. BONAVENTURA, quaestionem posuit sub forma positiva: « *Quae fuerit Incarnationis ratio praecipua* » (*III Sent.*, dist. 1, a. 2, q. 2; 3,21-28). Quaestionem solvit hoc modo: « Videtur autem primus modus (sententia scotistica) magis consonare iudicio rationis; secundus tamen (sententia thomistica) ut apparet, plus consonat pietati fidei: quia auctoritatibus Sanctorum et sacrae Scripturae magis concordat » (In *IV Sent.*, dist. 1, a. 2, q. 2).

Thesim Thomisticam secuti sunt Card. Caietanus, Molina, Gonetus, Salmanticenses, Billuart, Hugon, Garrigou-Lagrange, et generatim Dominiciani.

[1] Unicum motivum seu ratio Incarnationis posita a Scoto, esset, iuxta P. CHRYSOSTOME, « l'amour que Dieu se veut à lui-même, qu'il réalise tout d'abord dans l'incarnation, et, par l'incarnation, dans les anges et les hommes, puis, devant la prévision du péché, par la rédemption ». Cfr CHRYSOSTOME, *Le motif de l'incarnation*, pp. 206, 236, 285, 326-327).

Iuxta vero P. DE BASLY, in o. c., « Deus, directe et primarie, i. e. ante omnem creaturam, Christum praedestinavit propter summum amorem, quo Christus eum dilecturus esset *ab extrinseco*, et in hoc consistit originalitas doctrinae Subtilis » (Cfr *Collectanea Franciscana*, t. 10 [1940], p. 621).

[2] Attamen, Angelicus Doctor, in suis operibus minoribus, ante Summam Theologicam compositis, valde haesitanter procedit. In *Comm. in Libros Sententiarum* (lib. III, dist. 1, q. 1, art. 3) utramque opinionem tamquam probabilem exhibet, et concludit: « *Solus ille scire potest qui natus et oblatus est, quia voluit* », « et ideo quidam *probabiliter* dicunt quod, si homo non peccasset, Filius Dei non fuisset ». Relate vero ad illos qui contrariam sententiam tenent, scribit: « et hoc etiam *probabiliter* sustineri potest, quia etiam haec opinio in assertionibus Scripturae et Patrum fundatur ». In *Comm. in Ep. I ad Timotheum* (cap. 1, lect. 4) Angelicus Doctor haec scribit: « Sed haec quaestio non est magnae auctoritatis, quia *Deus ordinavit fienda secundum quod res fiendae erant, et nescimus quid ordinasset si non praescivisset peccatum* ». Attamen, hisce non obstantibus, adiungit: « Nihilominus tamen auctoritates videntur expresse sonare quod non fuisset incarnatus si non peccasset homo; *in quam partem ego magis declino* ».

Animadvertendum etiam est sententiam thomistarum a sententia S. Thomae in hoc differre, quod dum S. Thomas quaestioni: « utrum si homo non peccasset Verbum incarnatum fuisset » respondet: « CONVENIENTIUS (seu probabilius) dicitur incarnationis opus ordinatum fuisse a Deo in remedium contra peccatum... » (S. Th. III, q. 1, a. 3), Thomistae respondet: « CERTO (non solum ergo probabilius prout docet S. Thomas) Verbum incarnatum non fuisset si homo non peccasset ».

Sententiam scotisticam cum sententia thomistica conciliare conatus est *Suarez*, iuxta quem *duo* fuissent *motiva adaequata*, *sufficientia* Incarnationis, videlicet, manifestatio perfectionis operum divinorum (prout vellent Scotistae) et reparatio peccati (prout vellent Thomistae). Quapropter, etiam in hypothesi absentiae peccati, Verbum ob primum motivum, incarnatum fuisset. Sententia suareziana, quae *media* appellata est, quoad substantiam, ut patet, sententiae scotisticae adhaeret. Ab utraque schola, sive Scotistica sive Thomistica reiecta est, et paucos tantummodo sectatores invenit. Et iure quidem. In ordine enim finalitatis, nonnisi quaestio de *unico motivo determinante* fieri potest; et ideo, duplex causa finalis Incarnationis, notionem ipsam causae finalis destruere videtur. Nostris diebus, sententiam mediam Suarezii, quoad substantiam saltem, renovata est a *P. Galtier* (in *Nouvelle Revue théologique*, 1911, p. 114). At incassum.

Nostris pariter diebus conatus est sententiam scotisticam cum sententia thomistica conciliare *P. Carmelus ab Iturgoyen* O. M. Capp. (in Ephem. *Collectanea Franciscana*, t. 7 (1937), pp. 161-168, 341-356), distinguens inter *totalem* Christi existentiam (complectentem et temporalem eius existentiam in hoc mundo et aeternam simul in caelis) et *partialem* eius existentiam (complectentem eius adventum in mundum, eius vitam mortalem, passionem et mortem). Si Incarnatio posteriori hoc sensu sumatur, tunc habuit certe pro fine (prout volunt Thomistae) redemptionem generis humani. Si vero priori sensu sumatur (i. e., pro *totali* Christi existentia), tunc non solum non fuit ordinata ad redemptionem, sed redemptio cum omnibus quae secum tulit ad Christum ordinata fuit, in ipsius aeternam et gloriosam vitam in caelis. Attamen, conciliatio haec, prout alibi diximus, (cfr *Marianum*, t. 1 [1939], p. 56) vana omnino videtur, eo quod sententia P. Carmeli, quoad substantiam, a sententia scotistica minime differt.

II – *DE MODO QUO QUAESTIO HUCUSQUE POSITA ET SOLUTA EST*

Post brevem expositionem historicam huius quaestionis, videndum est nunc quomodo praesens quaestio sive a Scotistis sive a Thomistis posita et soluta fuerit.

Positio et solutio scotistica haec est: Etiamsi homo non peccasset, Verbum Incarnatum fuisset. Incarnatio enim volita est a Deo, de facto, *propter seipsam*.

Series ergo decretorum divinorum, iuxta Scotistas, haec esset: Deus, bonitatem suam communicare volens, in *primo* signo rationis vult Christum, seu elevationem creaturae ad unionem hypostaticam, eo quod haec communicatio est perfectissima inter omnes quas Deus scit fieri posse; et ideo Christus primus est in cogitatione divina et in ordine creato, vere primogenitus inter omnes creaturas, prout ex epistolis S. Pauli resultat. Beatam Virginem Deus vult simul cum Christo, eodem decreto, tamquam eius sociam. In *secundo* signo rationis, seu post Christum et Mariam, imo, *propter ipsos*, Deus vult homines et Angelos, quorum omnium Christus erit iure Rex et Deipara Regina, eo quod omnia propter utrumque, quamvis titulo diverso, creata fuerunt. Christus est unicus eorum Mediator apud Deum, et Deipara Mediatrix apud Mediatorem. In *tertio* signo rationis, Deus, ob maiorem Christi gloriam, decernit per-

missionem peccati seu mali moralis, cuius consequentiae ad universum hominum genus sese extendunt, exceptis tamen Christo eiusque Matre (ex praevisis meritis Filii sui). Et ita Christus praedestinatur ut Salvator seu Redemptor et Maria ut Corredemptrix.

Cum vero Deus, etiam post Adae lapsum, omnium salutem desideret, praedestinat quosdam homines et angelos ad gloriam caelestem, et decernit reprobationem illorum hominum et angelorum quorum rebellionem praevidit. Tandem, in *quarto* et ultimo signo rationis, decernit mundum materialem propter electos.

In ORDINE EXECUTIONIS, habetur inversio. Mundus materialis, seu ultimum a Deo volitum, primus erit, ab imperfecto ad perfectum procedendo, usque ad creationem Adae, ad nativitatem Mariae et ad nativitatem Christi, *in fine temporum*.[1]

Positio et solutio Thomistarum, haec est: Si homo non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset. Incarnatio enim, vi praesentis decreti, volita est a Deo non iam propter semetipsam, sed *propter Redemptionem*. Dum ergo, iuxta Scotistas, hominis lapsus et reparatio fuerunt tantummodo motivum alicuius *circumstantiae* (i. e. passibilitatis) in Christo, iuxta Thomistas, e contra, hominis lapsus et reparatio fuissent motivum ipsius *existentiae* Christi eiusque SS. Matris.

Series ergo decretorum divinorum, iuxta Thomistas, haec esset:

Deus, in *primo* signo rationis, praeviso hominis lapsu, dicit: volo mittere Christum ut *Redemptorem*, et consequenter Mariam Matrem eius ut *Corredemptricem*, utpote duo primaria et praestantissima *media* ad gloriam meam (finem ultimum) per exercitium iustitiae et misericordiae, manifestandam. In *secundo* signo dicit: volo Adam cum suis posteris, et volo permittere (propter maius bonum) eos labi, ad hoc ut felicius resurgant per Christum Redemptorem et per Mariam Corredemptricem. In *tertio* signo dicit: Christo Redemptori et Mariae Corredemptrici addo omnes electos, tum homines, tum angelos. In *quarto* signo dicit: reliqua omnia condam propter electos. Et huic ordini favet illud S. Pauli: « Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (1 Cor., 3, 22. 23).

A) Argumenta Thomistarum

I – **Ex S. Scriptura**. Sive in V. T., sive in N. T., *unicum* motivum Incarnationis exhibetur hominum Redemptio. Ita P. Hugon: « Vetus Testamentum non aliud agnoscit in Messia venturo nisi munus Redemptoris. Prima Incarnationis promissio, statim post lapsum, annuntiat Salvatorem qui conteret serpentis caput, quod evidenter supponit hominis lapsum.[2] Prophetae Messiam praedicant

[1] Cfr BONNEFOY, l. c., 69-77. « Le bon Samaritain — scribit Bonnefoy — ne s'est pas mis en route parce qu'il a appris le malheur survenu au voyageur, figure de l'humanité. Non! « Il était en voyage » dit le texte sacré. Entendez: le décret concernant l'Incarnation, voyage du Verbe sur cette terre, était déjà porté quand Dieu décida de permettre que le premier homme tombat entre les mains des mauvais anges » (l. c., p. 54).

[2] Gen., 3, 15.

qui erit vulneratus propter iniquitates nostras,[1] qui finem imponet peccato,[2] auferet iniquitates terrae et populum cum Deo conciliabit.[3] Novum Testamentum adhuc clarius id muneris inculcat. Angelus B. Virgini annuntians Incarnationem, monet Christum fore Salvatorem: "Vocabis nomen eius Iesum".[4] Iosepho cogitanti apparet angelus dicens: "Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum".[5] — Natum puerum angelus pastoribus praedicat esse Salvatorem: "Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David".[6] Ioannes Baptista confitetur Iesum esse Agnum qui tollit peccatum mundi.[7] — Ipse Christus se exhibet ut medicum et Salvatorem: "Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos sed peccatores".[8] "Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum".[9] Apostoli idem praedicant: "Ille apparuit ut peccata nostra tolleret; et peccatum in eo non est".[10] — S. Paulus illud dogma reponit tamquam fundamentum: "Fidelis sermo et omni acceptione dignus quod Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere".[11]

Unicum ergo motivum in Scripturis assignatum est humani generis redemptio » (HUGON, *De Verbo Inc.*, pp. 34-35).[12]

II – **Ex Patribus**. Patres, pluribus dicendi modis sed substantialiter idem dicentibus, asserunt Christum in carne venisse ad nos salvandos, ad nos a peccato et a servitute daemonis liberandos, ad restituendam nobis gratiam et immortalitatem, ad nos in statu primitivo redintegrandos: quae doctrina in primo Concilio Nicaeno hac unica formula in synthesim redacta est: « Qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de caelis, et incarnatus est... ». Ita *S. Clemens R.*, *S. Ignatius Antioch.*, *S. Polycarpus*, *S. Iustinus*, *S. Irenaeus*,

[1] Isai., 51 et 53.
[2] Dan., 9, 25. Zach., 3, 9.
[3] Mich., 5, 5; *Agg.*, 2, 1.
[4] Luc., 1, 31.
[5] Matth., 1, 21.
[6] Luc., 2, 10-11.
[7] Ioan., 1, 20.
[8] Luc., 5, 31-32.
[9] Ioan., 3, 17.
[10] I Ioan., 3, 5.
[11] I Tim., 1, 15.
[12] Ad destruendam argumentationem Thomistarum ex hisce locis S. Scripturae desumptam, sufficit animadvertere S. Scripturam loqui de praesenti ordine et *intra praesentem ordinem* (in quo est *peccatum*) et a quo Thomistae, in sua conclusione, illogice *praescindunt* omnino, asserentes quod — iuxta Scripturam — *si peccatum non fuisset*, *Verbum Incarnatum* non fuisset. Insuper animadverti etiam potest quod Scriptura *affirmat* non *excludit*. Propositio *affirmativa*, enim, non est *exclusiva*.

Tertullianus, S. Hippolytus, Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Cyprianus, S. Methodius, Lactantius, Eusebius Caesareensis, Alexander Alex., Aphraates, S. Ephraem, S. Athanasius, S. Cyrillus Hieros., S. Hilarius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianz., S. Gregorius Nyssenus, S. Epiphanius, S. Ioannes Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Cyrillus Alex., S. Leo M., S. Fulgentius, S. Gregorius M., S. Ioannes Damascenus (cfr *Dict. de Théol. cath.*, t. 7, coll. 1489-1491).

Inter omnes, digni sunt qui recenseantur textus sequentes, in quibus modo quodam exclusivo, reparatio generis humani tamquam Incarnationis ratio exhibetur: Iuxta *S. Irenaeum*, « nisi caro (hominis) salvanda fuisset, Verbum Dei numquam carnem assumpsisset » (*C. Haer.*, lib. V, c. 14, I, PG 7, 1161). *S. Athanasius*: « Sine hominum necessitate, carnem minime induisset Verbum » (*II Cont. Arian.*, PG 26, 268); *S. Cyrillus Alex.*: « Si non peccassemus, neque factus esset nobis similis Filius Dei » (*Dialog. 5, de Trinit.*, PG 75, 968); *S. Augustinus*: « Si homo non peccasset Filius hominis non venisset » (*Serm. CLXXXIV*, n. 2, PL 38, 940).[1]

III – **Ex ratione theologica**. Praecipua ratio theologica quam exhibet P. Hugon (post Billuart et cum Thomistis, generatim), haec est: Vi praesentis decreti voluit Deus efficaciter Verbum incarnari in carne passibili. Atqui decretum Incarnationis in carne passibili non est nisi ex suppositione lapsus et reparationis. Ergo decretum efficax incarnationis lapsum et reparationem supponit: *unde, homine non peccante, non fuisset Verbum Incarnatum vi praesentis decreti.*[2] Minor etiam ab adversariis conceditur, consequentia liquet [!!!]: probanda est ergo maior, in qua est difficultas.

« Praesens decretum nonnisi tria potuit intendere: vel Incarnationem in communi, abstrahendo a carne passibili et impassibili; vel Incarnationem in carne impassibili; vel demum Incarnationem in carne passibili. Duae priores hypotheses sunt prorsus excludendae. Ergo remanet ultima.

« Prima quidem hypothesis non sustinetur, nam actus divinae voluntatis efficax non intendit aliquid in communi, sed ad rem in particulari, omnibus suis circumstantiis et modis vestitam, terminatur. Cum ex intentione in abstracto et

[1] Ad destruendam vim argumenti a Thomistis ex omnibus textibus Patrum desumpti, sufficit animadvertere quod omnes textus Patrum loquuntur *intra ordinem praesentem* in quo *includitur peccatum*, et a quo hypothetice (*si homo non peccasset*) exeunt Thomistae.

Omnia Patrum dicta ad trutinam revocavimus in *Marianum*, t. 3 (1941), pp. 314-323, ostendentes quomodo ex Patrum dictis in proprio contextu inspectis, Thomistarum conclusio nullo modo sequatur. Ad hunc igitur locum lectorem remittimus.

[2] Statim notetur quomodo *conclusio* haec *excedat* omnino praemissas: etenim, in *praesenti decreto*, peccatum magnas habet partes, imo partes habet *hypothetice necessarias*; ergo, excluso, per hypothesim, peccato, non amplius haberetur *praesens decretum*, et ideo nullimode potest concludi: *homine non peccante non fuisset Verbum Incarnatum* VI PRAESENTIS DECRETI.

in communi nullus sequatur effectus, intendere Incarnationem in communi non est intendere efficaciter.

« Nec altera hypothesis stare potest. Quod enim efficaciter intenditur a Deo, reapse consequitur. Si ergo non fuit consecuta Incarnatio in carne impassibili, nec fuit efficaciter intenta. [1]

« *Dices*: Deum intendisse primo Incarnationem in carne impassibili et deinde, praeviso peccato, voluisse ut Incarnatio fieret in carne passibili.

« *Resp.* 1: Mutare hoc modo consilia arguit imperfectionem in cognitione et mutabilitatem in volitione, quod Deo glorioso repugnat. *Resp.* 2: Dato, per impossibile, Deum mutasse decretum de incarnatione in carne immortali in aliud decretum de carne passibili, hinc concluditur primum decretum non fuisse verum et efficax decretum, sed inquisitionem et deliberationem quamdam, de qua nihil potest asseri nisi divinando. [2] Unicum ergo decretum quod fuit verum et efficax et consequens, est illud quod intendit incarnationem in carne passibili (*De Verbo Incarnato*, pp. 36-37, Parisiis, Lethielleux, 1920). [3]

B) Argumenta Scotistarum

I – **Ex S. Scriptura**. [4] Plures textus S. Scripturae aperte affirmant primatum absolutum Christi super omnes creaturas, et consequenter independentiam Christi a creaturis et dependentiam creaturarum a Christo, qui est primum volitum inter omnia a Deo volita, et propter quem facta sunt omnia. Ita in libro Prov. 8, 22, de Sapientia incarnata dicitur: « Dominus possedit me in initio (*rescit* = *tamquam primitiae* viarum i. e. operum suorum) antequam quidquam faceret a principio (i. e. inde ab initio) ». Verbum *rescit* unit ideam *anterioritatis* cum idea prioritatis excellentiae; haec autem *anterioritas* relate ad alias creaturas, nequit esse anterioritas *temporis*, ut patet; remanet ergo ut sit anterioritas in *ordine intentionis*.

Insuper, in libro Ecclesiastici, 24, de Sapientia incarnata dicitur: « ab aeterno ordinata sum et ex antiquis antequam terra fieret », i. e. ab *aeterno* constituta sum

[1] Notetur etiam, interim, quomodo ratio hic adducta valeat in hypothesi *peccati existentis*, a qua conclusio (*si peccatum non fuisset*) statim illogice abstrahit. Conclusio vere logica esset: si peccatum non fuisset, *nescimus utrum Incarnatio fuisset*.

[2] Nota quomodo hoc verum sit, supposita tamen *existentia peccati*. Attamen, non solum in hac hypothesi, sed etiam in hypothesi quod *peccatum non extitisset*, de Incarnationis existentia *nihil posset asseri* nisi divinando.

[3] Sed supposita semper *existentia peccati*, a qua si abstraheretur (prout fit in conclusione) non amplius haberetur *praesens decretum*. Animadversiones istae contra fallacem modum argumentandi P. Hugon, fieri etiam possunt contra modum argumentandi aliorum Thomistarum, e. g. P. Héris (l. c., p. 15): « *Ex vi praesentis decreti*, si le péché n'avait pas eu lieu, le Verbe se serait-il incarné? ».

[4] Cfr praesertim Risi, o. c., vol. IV; Lattanzi U., o. c., Bissen I. M., l. c., 3-26.

regina, ante ipsas origines terrae. Ex quibus verbis apparet quod promotio Sapientiae incarnatae ad munus regium, praesentatur instanter veluti *anterior* universae creationi. Et ideo, concludi potest quod intuitu huius regalitatis, id est ad hoc ut effectiva redderetur, Deus quidquid existit voluit et creavit, et ideo Verbum Incarnatum est causa finalis creationis.

Haec omnia in Novo Testamento explicita omnino redduntur ab Apostolo Paulo. Asserit enim Deum omnia creasse propter Christum et intuitu ipsius: « In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant... Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (Coloss., 1, 15-19). Ex quibus verbis deducitur Christum esse: *a*) *causam finalem* creaturarum omnium quia omnia propter ipsum creata sunt, et *b*) *causam exemplarem* omnium, quia « in pso condita sunt universa in caelis et in terra ».

Christus exhibetur tamquam *caput omnium*, et ideo exercens reale influxum *a*) sive *in ordine physico*, tamquam causa meritoria omnis gratiae, etiam pro angelis: « qui est caput principatus et potestatis » (Coloss., 2, 10); *b*) sive *in ordine morali*, quia est Pacificator universalis, eo quod Deus voluit « per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt » (Coloss., 1, 20).

Quapropter Christus in Apoc. dicitur: « Alpha et omega, principium et finis (Apoc., 1, 8; 21, 6; 22, 13).[1]

II – **Ex traditione**. Iuxta P. Hilarium a Parisiis O. M. Cap. (o. c., p. 10) nemo ex Patribus Ecclesiae expresse affirmavit quod etiam si Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset in *carne impassibili*. Attamen contendunt Scotistae inveniri apud Patres modi quidam dicendi praefatae assertioni aequivalentes. Textus isti in unum collecti inveniuntur in opere P. Chrysostome, *Christus Alpha et Omega seu de Christi universali regno*, Lille, 1910, et in alio opere eiusdem auctoris cui titulus *Le motif de l'incarnation et les principaux thomistes contemporains*, Tours, 1921, p. II, c. 1 et 2, pp. 168-202).

Iuxta P. Chrysostome, Patres asserunt:

1) *res omnes creatas fuisse in Christo*, in commentariis Gen. 1, 1: « In *principio* (i. e. in Christo) Deus creavit caelum et terram ». Ita Clemens Alex., Origenes, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus (cfr textus in *Alpha et Omega*, pp. 43-49).

[1] Observari statim potest quod textus isti agunt de primatu Christi absoluto et universali in *praesenti ordine* (in quo includitur etiam peccatum) non vero in quolibet *ordine possibili*. Et ideo etiam illatio Scotistarum latius patet quam praemissae. Etiam in hoc praesenti ordine Christus est *primum volitum* et permissio peccati est propter Christum.

2) *Hominem creatum fuisse ad imaginem Christi*, in commentariis Gen., 1, 26-27. Ita S. Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex., Origenes, S. Hieronymus (o. c., pp. 50-60).

3) *Christum iam in ipso statu innocentiae praefiguratum fuisse*: unio enim Adae et Evae fuit figura unionis Christi cum Ecclesia. Ita S. Ambrosius, S. Anastasius Sinaita, S. Gelasius, S. Vitus Viennensis, S. Leander Hispalensis, S. Ioannes Damascenus. Interpretatio haec innitur verbis S. Pauli: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (o. c., pp. 61-71).

4) *Adam, adhuc in statu innocentiae, cognovisse et praenuntiasse mysterium Incarnationis*, innixi verbis Gen. 2, 23, 24: « Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una ». Ita S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Augustinus (o. c., pp. 72-78).

5) *Creationem aut formationem Christi esse principium omnium aliorum operum Dei.* Etenim, hoc modo, fere unanimiter, textum Prov., 8, 22 de Sapientia creata seu incarnata interpretantur (*Christus Alpha et Omega*, c. 5, pp. 81-105).

6) *Christum, tamquam hominem, esse primogenitum*, iuxta textum Eccl., 24, 5, et Col. 1, 15. Ita S. Augustinus, Theodoretus, S. Fulgentius, S. Isidorus Hispalensis (o. c., c. 6, pp. 106-114).

7) *Homines et angelos praedestinatos fuisse in Christo, eo quod Christus praedestinatus est ante omnes alios electos, et gratiam angelorum, sicut gratia Adae innocentis, procedere a Christo.*

De praedestinatione Christi ante omnes creaturas, agunt Patres in suis commentariis in Ep. ad Ephes. 1, 3-5. S. Cyrillus Alex. (PG 75, 258) et S. Athanasius (PG 26, 210) explicite asserunt nos esse propter Christum, non vero Christum esse propter nos, quia secus essemus superiores Christo. (Cfr *Le motif* ..., c. 8, pp. 115-185).

8) *Deum omnia creasse propter Christum*, iuxta illud *ad Coloss.*, 1, 16. Ita S. Athanasius, S. Cyrillus Alex., S. Hieronymus, Theodoretus, S. Fulgentius (cfr *Christus Alpha* ..., c. 8, pp. 185-197). Notatu digna sunt praesertim verba S. Maximi Confessoris: « Iste (Christus) beatus finis, ob quem cuncta condita sunt. Hic divinus scopus origini rerum praecognitus, quem definiendo esse dicimus *praeconceptum finem, cuius gratia omnia, ipse vero nullius gratia.* In hunc finem respiciens Deus, rerum naturas produxit ... Propter Christum, sive Christi mysterium, omnia saecula, et quae in ipsis saeculis sunt, principium et finem ut essent in Christo nacta sunt » (*Ad Thalass.*, q. 60, PG 90, 622 A).

Dicta Patrum secundum quae si homo non peccasset Verbum incarnatum non fuisse intelligenda sunt — iuxta Scotistas — hoc modo: Verbum incarnatum non fuisse in carne *passibili.*[1]

[1] Etiam relate ad hoc argumentum ex Patribus, animadvertendum est Patres agere de primatu absoluto et universali Christi in *praesenti ordine* (in quo includitur peccatum) et a quo exeunt (in propria conclusione) Scotistae.

Prob. ex ratione theol. Quatuor sequentes rationes afferuntur a P. Bonnefoy, videlicet:

I. Inverosimile est praedestinationem quamcumque, et a fortiori rationem praedestinationis Christi *occasionatam* esse, et quidem occasionatam a culpa.

Ita Scotus: «Nec est verisimile tam summum bonum in entibus esse tantum *occasionatum* propter minus bonum solum; nec est verisimile (scil. Deum) praeordinasse Adam ad tantum bonum quam Christum, quod tamen sequeretur. Imo et absurdius ulterius sequeretur, scilicet quod praedestinando Adam ad gloriam, prius praevidisset ipsum casurum in peccatum quam praedestinasset Christum ad gloriam, si praedestinatio illius animae tantum esset pro redemptione aliorum» (Cfr Balić, O. F. M., *Ioh. Duns Scoti, theologiae marianae elementa*, Sibenici 1933, pp. 7 et 14).[1]

II. Ordinate agens, prius vult finem quam media.

Ita Scotus: « Universaliter enim ordinate volens prius videtur velle hoc quod est fini propinquius, et ita sicut vult gloriam alicui quam gratiam, ita etiam inter praedestinatos quibus vult gloriam ordinate prius videtur velle gloriam illi, quem vult esse proximum fini, et ita huic animae prius vult gloriam quam alicui alteri animae velit gloriam, et prius cuilibet alteri gloriam et gratiam quam praevideat illi opposita istorum habituum » (l. c., p. 5).

Breviter: Christus est causa exemplaris et finalis omnium rerum et praesertim hominis, cum sit Deus-Homo. Atqui, in ordine intentionis exemplar et finis naturaliter volita sunt ante exemplata et media. Ergo, Christus est primum volitum in ordine intentionis. [2]

III. « Quanto aliquid est melius in effectibus, tanto est prius in intentione agentis » (*C.G.*, 2, c. 44, 1). Atqui, inter res creatas Christus est melius omnibus. Ergo prius omnibus aliis rebus volitus est.

IV. « Imperfectum est propter perfectius » (*Summa Th.*, I, q. 105, a. 5). Atqui Christus est perfectius omnibus. Ergo omnia sunt ad ipsum ordinata. [3]

[1] Animadvertendum quod respectu decretorum divinorum sicut non habentur *motiva*, sed rationes tantum, ita non habentur *occasiones*, eo quod quaelibet dispositio causarum a Deo ipso dependent, extra cuius intentionem et dispositionem nihil omnino accidere potest. Frustra igitur Scotistae de praedestinatione *occasionata* loquuntur.

[2] Observari potest contra Scotistas quod *realiter* Deus vult haec omnia *simul*; solum *virtualiter* vult ante omnia exemplar et finem, et postea, secundo loco, exemplata et media. Quodnam vero sit id quod pertinet *ad prius* et id quod pertinet *ad posterius*, nobis inquirendum relinquitur. Et haec est ratio cur non omnes, circa hac rem, idem sentiunt. Attamen, ex primatu absoluto et universali Christi, legitima videtur conclusio iuxta quam Christus est totum id quod est independenter omnino a qualibet alia re, et ideo est primum absolute volitum a Deo, iuxta positionem nostram.

[3] Pro ratione tertia et quarta idem dici debet ac id quod de secunda ratione nuper dictum est.

III – DE MODO QUO QUAESTIO PONENDA ET SOLVENDA VIDETUR

Postquam vidimus modum quo praesens quaestio de ratione Incarnationis, saeculorum decursu, posita et soluta est, sive a Thomistis, sive a Scotistis, agendum nunc est de modo quo ponenda et solvenda videtur.

Duo igitur bene attendenda sunt, videlicet:

I. *recta determinatio terminorum*, et II. *recta quaestionis positio.*

I. In primis igitur ad RECTAM DETERMINATIONEM TERMINORUM attendere debemus, seu rite determinare debemus quomodo intelligi debeant duo isti termini: *motivum* et *Incarnatio.*

a) Pro *motivo* Incarnationis omnes intelligunt et intelligere debent *rationem Incarnationis.* Nihil enim, extra Deum, *movere* seu determinare potest divinam voluntatem, et ideo nihil potest Deo exhiberi tamquam *motivum* aliquid volendi. Hoc posito, impropria omnino est locutio: *motivum* Incarnationis; et ideo seponenda omnino est, et loco eius alia locutio, id est, *ratio* Incarnationis ponenda est, ad hoc ut omnes simul et eodem recto loquendi modo, quaestionem hanc aggredi valeamus.

b) Bene, insuper, determinanda est significatio vocis *Incarnatio.* Triplici enim modo haec vox accipi potest, videlicet: 1) *sensu stricto*, id est, unice pro mysteriosa illa unione humanae naturae cum divina Verbi persona, abstrahendo ab omnibus aliis rebus quae de facto cum illa coniunguntur; 2) *sensu latiori*, id est, pro ipsa unione considerata simul cum omnibus illis modis et circumstantiis personarum, temporis, loci in quibus facta fuit et permanet; e. g. quod peracta sit talis unio in natura passibili, in sinu Virginis Mariae, cum eiusdem libero assensu, absque hominis opera, determinato tempore et loco etc.; 3) *sensu latissimo*, id est, pro hisce omnibus simul sumptis,[1] quibus tamen adiungitur universum Christi-Hominis opus, a primo instanti suae existentiae in sinu Virginis usque ad suam in caelos Ascensionem, et ab Ascensione usque ad iam praenuntiatum diem in quo omnia plene, id est, nedum *iure* sed etiam *de facto* Ei subiecta erunt, et in quo ipse, una cum immenso suo regno, semetipsum oblaturus erit Patri, opus suum Capitis supremi et universalis Pontificis in aeternum continuaturus.

[1] Opportune hic observari potest quod apud Patres Graecos *Incarnatio*, latiori sensu *oeconomia* (οἰκονομία) appellatur. « Est enim οἰκονομία — scribit Petavius — provida quaedam rei alicuius administratio, ac gestio, ex occulto consilio profecta, quod ad utilitatem, et commodum spectat eorum quibus ea re consulitur ... ». (*De Incarn. Verbi*, Venetii, Remondini, 1757, l. 2, c. 1, p. 52).

Iamvero, cum in praesenti quaestione inquirimus rationem supremam, universalem et adaequatam Incarnationis, nos terminum « Incarnatio » in hoc ultimo sensu pleno, universali, concreto et absoluto accipimus, quin aliquid excludatur. Inquirere igitur volumus utrum ratio quaedam detur pariter absoluta, universalis et suprema quae ad haec omnia (per vocem *Incarnatio* significata) extendatur et haec omnia simul complectatur, ita ut talis ratio a nemine reici possit. Iamvero, huiusmodi *ratio*, si adest, nonnisi *in Deo ipso*, non vero in Theologorum elucubrationibus inveniri debet, quae dubium saltem in aliquo relinquere possent.

Quod vero talis ratio *in Deo ipso* inveniatur, ex hoc apparet quod Deus, in productione et evolutione ordinis creati, dictamina suae divinae sapientiae iugiter sequitur, in qua rationes omnes etiam minimarum rerum inveniuntur, et a fortiori ratio Incarnationis quae praecipuum Dei opus ad extra constituit. — Insuper talis ratio, in Deo necessario existens, etiam nobis certitudinaliter apparere debet, ad hoc ut ex ipsa motivum glorificandi Deum sumamus pro hoc summo honore naturae humanae munificentissime collato: gloria enim est clara notitia nedum *facti* sed etiam *rationis* eiusdem, ex qua sponte profluit laus.

II. Iamvero, ad hanc rationem absolutam, universalem et supremam inveniendam, necessaria omnino evadit RECTA QUAESTIONIS POSITIO.

Recta enim ratio ponendi quaestionem aliquam maximi momenti est pro recta eiusdem solutione; hoc patet. Si enim plures quaestiones theologicae, saeculorum decursu tam acriter agitatae, hucusque *insolutae* manserunt, hoc ex mala ipsarum positione, procul dubio, repeti debet. Et hoc etiam praesenti quaestioni de ratione primaria Incarnationis accidisse putamus. Male enim praesens quaestio, inde ab initio, posita fuisse videtur.[1] Etenim, sive a Thomistis, sive a Scotistis[2] posita fuit modo *hypothetico* et *particularistico*: quae periculosa et

[1] Huius malae positionis incommoda etiam ipsi contendentes, sive Thomistae, sive Scotistae, persentiunt, prout videre est in expositione et disceptatione sententiarum utriusque Scholae (in *Bull. de la Soc. Franc. d'Et. Mariales*, a. 1938, pp. 15-100).

[2] Relate ad Scotum haec animadvertit P. Bonnefoy: « Quant à Duns Scot, il n'y a pas trace de la forme conditionnelle dans les œuvres écrites de sa main, tandis qu'elle abonde dans les notes recueillies par ses élèves » (l. c., p. 45).

Relate vero ad positionem *hypotheticam* huius quaestionis, idem Pater scribit: « Quelques-uns la critiquent et à juste titre, *mais aucun d'eux*, à ma connaissance, n'a réussi à démasquer son vice originel » (l. c., p. 46). Et in nota: « Citons, sans vouloir être complet, DÉODAT (Marie) DE BASLY, *Duns Scot aussi loin des Scotistes que des Thomistes*, dans *Revue Duns Scot*, 9 et 10 (1911-1912), *passim*; P. RAYMOND, O. M. Capp., *La motif de l'Incarnation, Duns Scot et l'École Scotiste*, dans *Etudes Franç.* 28 (1912) 317-330 ».

Putamus minime difficile esse — prout statim dicemus — *vitium originale* positionis *hypotheticae* huius quaestionis ostendere. Tale enim vitium originale in hoc consistit quod per talem positionem hypotheticam, transitus fit ab *ordine praesenti* (in quo sive Thomistae sive Scotistae remanere *intendunt*) ad ordinem *possibilem*, in quo quid eventurum esset, *nescimus*.

fallax quaestionis positio quaestionem ipsam insolubilem reddidit et interminabilibus luctis ansam praebuit.

a) Periculosa enim et fallax videtur, ante omnia, positio *hypothetica* huius quaestionis, quamvis declarent nonnulli *formulam* tantummodo esse hypotheticam: « Utrum *si homo non peccasset*, Verbum incarnatum fuisset ». Etenim, *si homo non peccasset* (seu in hac suppositione) alius omnino ordo, *ab ordine praesenti omnino diversus*, haberetur, et quid in tali ordine accidisset, Deus tantummodo cognoscere valet. Peccatum enim est magna pars, imo hypothetice necessaria pars ordinis praesentis, adeo ut si haec, per hypothesim, tolleretur, non amplius praesens ordo subsisteret. Ad haec tamen attendere non videntur illi qui positione *hypotetica* questionis utuntur.

Nonnisi ergo de *ordine praesenti* nos loqui valemus, et de ipso *tantummodo* fontes revelationis seu Scriptura et Traditio loquuntur. Et de facto, sive Thomistae, sive Scotistae, de praesenti ordine agere intendunt. At, ex modo ipso ponendi quaestionem, sibimetipsis statim contradicere videntur. *Si enim peccatum non fuisset* — ut iam diximus — non amplius *ordo praesens* haberetur, sed *alius ordo*, in quo quid accidisset, *nescimus*.[1] Conclusio ergo sive Thomistarum sive Scotistarum latius patet quam praemissae. Aequivocatio igitur in quam sive Thomistae sive Scotistae statim incidunt, quin hoc advertant, haec est: loqui intendunt de praesenti *ordine particulari*, et concludunt ad ordinem quemdam *universalem*, ab ordine praesenti *diversum* et inter mera possibilia ablegandum.

Ad hoc igitur ut quaestio rite ponatur necesse omnino est ut modo non hypothetico, sed *absoluto* et *positivo* ponatur, remanendo semper in praesenti *particulari ordine*, de quo tantummodo iudicare valemus, quia hunc tantummodo Deus ab aeterno, inter alios ordines possibiles, voluit, et de *illo tantummodo* fontes revelationis iugiter loquuntur. Quaestio igitur, hoc positivo et particulari modo ponenda videtur: « *quaenam sit, in praesenti ordine, ratio primaria Incarnationis* seu existentiae Christi et Deiparae ».

b) Falsa insuper videtur positio quaestionis *particularistica*, id est, inter duos tantummodo *particulares* terminos (Incarnatio et peccatum) circumscripta. Thomistae enim dicunt: Incarnatio dependet a peccato, ita ut sine ipso non haberetur: Scotistae, ex adverso, asserunt: Incarnatio non dependet a peccato, ita ut etiam absque ipso haberetur. Haec positio particularistica, non videtur admitti posse. Praesens enim ordo, duos terminos illos (i. e. peccatum et Incarnationem) transcendit et plura alia (e. g., Angelos) comprehendit. Iamvero, cum Christus sit finis seu ratio essendi *omnium* rerum in praesenti ordine inclusarum (angeli, homines etc.) consequitur nos logice quaerere debere non iam quaenam sit relatio

[1] Legitimam hanc conclusionem iam acute perspexerat S. Thomas in suis operibus minoribus, prout iam exposuimus: « *Nescimus quid ordinasset* (Deus) *si non praescivisset peccatum* » (*Comm. in Ep. ad Tim.*, c. 1, lect. 4).

inter *Christum* et *peccatum*, sed inter *Christum* et *omnia* inclusa in ordine praesenti. Positio igitur quaestionis, *universalis* esse debet et modo universali solvi. Poni posset ita, cum S. Bonaventura: « *Quae fuerit Incarnationis ratio praecipua* »; vel cum S. Anselmo: « *Cur Deus-Homo?* ». Quaestio igitur modo *positivo* (non vero hypothetico) et modo *universali* (non vero particulari) poni debet, seu ordo a Deo electus *globatim* accipi debet prout est (non vero prout esse poterat si...), videlicet: « Quaenam sit, in praesenti ordine, ratio adaequata *universalis* Incarnationis Verbi ». Cui quaestioni hoc modo respondendum esse videtur: Ratio primaria Incarnationis est: « LIBERA ELECTIO, AB AETERNO A DEO FACTA, ORDINIS PRAESENTIS CUM OMNIBUS QUAE IN EO CONTINENTUR; IN QUANTUM SOLUS ORDO PRAESENS ADAMUSSIM RESPONDET MENSURAE ET MODO, AB EO PARITER LIBERE PRAE FIXIS,QUIBUS VOLUIT SUAM BONITATEM AD EXTRA EFFUNDERE ET EXINDE GLORIAM EXTRINSECAM HAURIRE ».

Hoc semper et solum intelligimus cum in hac quaestione nominatur *ratio prima Incarnationis*, vel, propter servandam sermonis brevitatem, dicimus: Ratio prima Incarnationis est *divina electio ordinis praesentis*.

Propositio haec sequenti modo DECLARARI potest, ponendo in Deo sequentia signa rationis. [1]

I. Deus, infinita bonitas, bonitatem suam infinite et necessario diffundit *ad intra* in processione divinarum personarum, ex qua diffusione gloria infinita resultat, et est in seipso et ex seipso infinite beatus.

II. Quamvis vero sit in seipso et ex seipso infinite beatus, et ideo nulla alia re indigeat ad beatitudinem suam, tamen, Deus libere determinat bonitatem suam *ad extra* diffundere, in determinata quadam mensura et modo quodam libere determinato, ad *gloriam suam extrinsecam*, quae est ratio suprema omnium operum Dei.

III. Varios ordines *possibiles* et ea omnia quae ad ipsos pertinent — iuxta nostrum intelligendi modum — contemplans, *videt* Deus quod unus tantum, id est *ordo praesens* (cum Christo, cum Virgine, cum electis, cum reprobis) adamussim respondet intentioni suae communicandi creaturis nedum bona naturae, gratiae et gloriae, sed etiam bonum supremum sui *esse* substantialis et personalis per Incarnationem Verbi, ita ut a creatione, per Hominem-Deum, gloriam extrinsecam *infinitam*, maiestate divina vere dignam, haurire valeat.

IV. Visioni sui intellectus (seu scientiae simplicis intelligentiae), *imperium* voluntatis adiungit et *unice* praesentem ordinem *eligit* et illum *ad praxim* deducit.

[1] Hic animadverti potest quod iure *signa logica rationis* in Deo ponuntur, eo quod noster intelligendi modus, cum sit *progressivus*, non sinit nos statim et plene percipere *simplicissimas* res quae in Deo inveniuntur; et quamvis esse, intelligere et velle, in Deo, sint *re* unum idemque, huic tamen signorum aut rationum multiplicitati vere aequivalent.

Vult igitur *simul* creationem, permissionem lapsus hominis, incarnationem Verbi per mulierem, etc. Ordo iste, ab aeterno a Deo intentus, in tempore a Deo ipso exsecutioni mandatur.

Ex hoc immediate sequitur duplex fundamentalis proprietas huius ordinis, id est *unitas* et *infallibilitas*: *a*) *unitas*, eo quod voluntas Dei ab aeterno, primo et semel, *unice* et globatim decrevit totum ordinem qui nunc de facto est;[1] *b*) *infallibilitas*, eo quod talem ordinem a sua voluntate decretum, quoad omnia et singula *infallibiliter exequitur*. Non sunt ergo plures ordines, quamvis hypothetice, effingendi, quorum si unus deficiat ab alio suppleatur. Unicus enim ordo a Deo ab aeterno decretus, infallibiliter, ineluctabiliter, salva semper libertate creaturae rationalis, quoad omnia et singula in ipso contenta, modo individuali et concreto, ad actum deducitur.

Amovendae igitur omnino sunt a praesenti quaestione mutationes illae et quasi refectiones primitivi consilii divini quas theologi quidam somniare non dubitarunt, sicut lapsus Angelorum et hominis, adventus Verbi in *carne passibili* ob redemptionem hominis, misericors substitutio electorum in sedibus ab Angelis praevaricatoribus amissis et his similia, perinde ac si in ordine concreto a Deo aeternaliter statuto aliquid praeter intentionem Dei ipsius accidere possit. Pariter admitti nequeunt in hoc ordine *occasiones*, quasi Incarnatio occasionata esset a peccato, cum quaelibet dispositio causarum dependeat a Deo. Ordo enim executionis pari unitate et infallibilitate gaudet ac ordo intentionis. Consequenter, ex hac fundamentali unitate et infallibilitate praesentis ordinis, tres proprietates seu notae eiusdem necessario dimanant, videlicet:

I. *Hypothetica necessitas Incarnationis et universi operis Christi*; II. *Hypothetica necessitas peccati originalis*; III. *Necessaria et arcta connexio Incarnationis cum peccato*.

I. *Hypothetica necessitas Incarnationis et universi operis Christi*. Ideo enim Verbum necessario assumpsit naturam nostram, carnem passibilem; ideo egit, passus et mortuus est, resurrexit et ascendit in caelum etc., quia necessario exequi debebat *decretum* et *mandatum* Patris, *et quidem*, eodem prorsus modo, quoad omnia et singula, quo ab aeterno immutabiliter statutum fuerat. Posita hac hypo-

[1] P. Bonnefoy, de hac unitate agens, scribit: « il faut veiller à ne jamais perdre de vue l'*unité foncière du plan divin*. Unité telle que *modifier par hypothèse un seul élément de ce plan* ou du décret qui le conditionne, *c'est l'abandonner tout entier*; c'est quitter le réel pour les purs possibles qui sont en nombre indéfini et entre lesquels nous ne pouvons choisir, Dieu ne nous ayant pas révélé ce qu'il aurait fait, s'il n'avait pas voulu ou permis ce qu'il a voulu ou permis effectivement » (l. c., p. 47).

At, hic bene notetur Scotistas continuo supponere Deum *conditionate* non vero *absolute*, decrevisse incarnationem Verbi in *carne impassibili*: quod cum *unitate* decreti divini (« *l'unité foncière du plan divin* ») ante asserta, componi non potest. Deus enim unice, et *absolute*, praesentem ordinem (in quo habetur incarnatio Verbi in carne *passibili*) decrevit.

thetica necessitate incarnationis per *mulierem*, poni pariter debet hypothetica necessitas maternitatis divinae.

Consequenter ad haec, ponenda est etiam necessitas primatus *absoluti* et *universalis* Christi eiusque Matris. Etenim, primatus *necessario sequitur* (tamquam ex prima radice) ex hoc quod Christus est Homo-Deus et Maria est Mater Dei, prout concorditer asserunt sive Thomistae, sive Scotistae, cum hoc tamen essentiali discrimine quod primatus iste a solis Scotistis in sua plena luce ponitur, asserentes talem primatum esse *absolutum* (seu *independentem* a peccato) et esse *universalem* quatenus etiam gratia angelis et homini innocenti concessa, a Christo ipsis promerita est, qui proinde est vere omnium rerum creatarum caput. Attamen contra Scotistas animadvertendum est quod talis primatus debebat *necessario* verificari non iam *quolibet modo*, non iam per solam incarnationem sic et simpliciter, sed solum modo concreto, in ordine praesenti contento, extra quem hypotheses tantummodo insolubiles et divinationes fieri possunt.

Ex unitate et infallibilitate absoluta praesentis ordinis consequitur etiam:

II. *Hypothetica necessitas peccati originalis et consequentiarum eius* sive in vita praesenti sive in futura, salva semper libertate Adae et posterorum eius. Peccatum originale fuit obiectum permissionis et ordinationis divinae ad bonum quod excedit malum ab ipso permissum, non semper pro individuo sed certe semper pro complexu creaturarum. Hoc sensu Ecclesia canit: *O certe necessarium Adae peccatum!...*

Tandem, ex unitate et infallibilitate absoluta praesentis ordinis, consequitur etiam:

III. *Arcta et indissolubilis connexio inter Incarnationem et peccatum*, quae connexio punctum veluti cruciale praesentis quaestionis constituit. Quod haec arcta et indissolubilis connexio inter Incarnationem et peccatum, in praesenti ordine, *existat*, negari omnino non potest, sicut optime ostendunt Thomistae, argumentis sive ex S. Scriptura sive ex Patribus desumptis. Neque Scotistae hoc negare audent. At, posita hac indissolubili connexione inter duos istos terminos (Incarnatio et peccatum), quaerere liceat: cuinam ex istis duobus terminis tribuenda est prioritas logica super alium? Peccato, an Christo?...

Thomistae prioritatem logicam tribuunt *peccato* et statuunt quod Christus ita ordinatus est in remedium peccati, ut peccatum sit ratio adaequata existentiae ipsius Christi. *Scotistae*, e contra, prioritatem logicam tribuunt *Christo*, et statuunt quod ita peccatum est ordinatum ad Christum (tamquam ad terminum superiorem) ut nullimode dici possit ratio adaequata existentiae ipsius Christi.

Quid dicendum?... Respondendum videtur quod si *relativa* (prout sunt Incarnatio et peccatum) *sunt simul* pro nobis, a fortiori sunt talia pro Deo qui omnia unico actu videt et disponit.

Ad hanc quaestionem, igitur, solvendam, seu ad hoc ut sciamus cuinam ex illis duobus terminis (Incarnatio et peccatum) *simul* a Deo volitis, prioritas logica tribuenda sit, necesse omnino est ut, sepositis omnibus praeiudicatis opinionibus, bene perpendatur *natura* utriusque termini et ille terminus praeferatur qui reapse tali praelatione dignum se praebeat. Iamvero, si Incarnatio et peccatum ad invicem conferantur, haec necessario resultant: 1) peccatum non est entitas quaedam positiva, id est aliquid ex se stans, cum sit privatio quaedam, ex permissione Dei essentialiter dependens, a quo ad aliud, seu, ad maius bonum ordinatur. Christo, e contra, proprietates seu notae essentialiter diversae et oppositae competunt. 2) Hisce positis, si duos terminos istos ad invicem ordinare volumus, conveniens omnino est ut prioritas logica tribuatur Christo (qui est suprema et, in suo ordine, *unica* diffusio bonitatis divinae) non vero peccato; et ideo necesse est ut dicamus peccatum *simpliciter* ordinatum esse ad Christum, non vero Christum ordinatum esse *simpliciter* ad peccatum. 3) Attamen, etiam hoc posito, nihil vetat quominus dicamus Christum *formaliter ut Redemptorem* (ut *Iesum*) praedestinatum fuisse et in hunc mundum venisse, et opus eius nec non dolores eius principaliter ad peccati destructionem et ad hominum redemptionem ordinata fuisse tamquam ad finem specificum proximum et negativum. Distingui igitur potest inter Christum et opus eius. Textus enim Scripturae (quae tantummodo de praesenti ordine loquitur) sunt solum *affirmativi* (seu affirmant Christum ad peccatum delendum venisse) non vero *exclusivi* (seu minime affirmant Christum *unice* ad peccatum delendum venisse). Propositio enim *affirmativa,* non est *exclusiva.*

Ratione vero redemptionis, primatus absolutus et universalis qui naturaliter competit Christo ob unionem hypostaticam (et qui competeret ei in quacumque hypothesi naturam creatam assumpsisset), nova luce refulget quae ex ipsa natura humana ab ipso assumpta dimanat. Haec nova lux ex acerba adeptione istius primatus ex parte Christi in quantum hominis, seu in quantum Redemptoris, derivatur. « Nonne haec *oportuit* pati Christum et sic intrare in gloriam *suam*? » (Luc., 24, 26). Christo igitur nedum iure nativo (seu quatenus Homo-Deus) sed etiam *iure acquisito* (per diritto di conquista) primatus debetur. Exinde: permissio peccati, adventus Verbi in carne passibili, vitae genus ab ipso transactum, passio, mors, hominum salvatio, Ecclesiae constitutio tamquam mysticum Christi corpus etc.

Propositione nostra amplissime declarata, remanet ut illam breviter probemus.

Probatur: 1) *Ex plena respondentia solutionis nostrae cum criteriis in hoc problemate solvendo necessario adhibendis.* Haec criteria duo esse ostendimus, videlicet: positio quaestionis modo *positivo* (non vero *hypothetico*) et *universali* (non

vero modo *particularistico*). Iamvero huic duplici criterio sola nostra solutio, prae solutione scotistica et thomistica, apprime respondet. Ergo ...

2) *Ex signis rationis in Deo ponendis.*

In hierarchia *signorum rationis* in Deo ponendorum devenitur ad *signum* consistens *in libera Dei electione ordinis actualis*. Atqui, cum ab hoc signo neque *superius ascendere*, neque *inferius descendere liceat*, si quidem inveniri velit suprema ratio Incarnationis, in eo signo standum est. Ergo ratio suprema Incarnationis est *divina electio ordinis actualis*.

Rem breviter explicemus. In hierarchia signorum:

a) Non possumus *superius ascendere*, eo quod supra signum rationis in libera Dei electione actualis ordinis consistens (signum 4), nihil aliud habetur quam nuda contemplatio omnium ordinum *possibilium* a divino intellectu peracta (signum 3), libera determinatio effundendi *ad extra* bonitatem suam (signum 2), nec non quies perfecta Dei in sua infinita beatitudine intrinseca (signum 1). Iamvero nullum ex his tribus rationis signis — prout patet — Incarnationis rationem continet.

b) Neque, insuper, in hierarchia signorum, *inferius descendere* valemus, eo quod post *electionem* praesentis ordinis aliud signum concipere non valemus praeter omnipotens Dei imperium quod *ordini executionis* dat initium, ex quo res omnes a Deo *in ordine intentionis* praedestinatae, viam existentiae percurrere incipiunt; et proinde, tale signum rationem Incarnationis *praesupponit*, non ponit.

3) *Ex primatu Christi*. In sententia thomistica primatus Christi absolutus et universalis aliquatenus obnubilatur, cum teneat Incarnationem ideoque Christum pendere tamquam a *conditione sine qua non*, ab existentia peccati; in sententia vero scotistica exaggeratur primatus, cum dicat Christum cum suo primatu extiturum fuisse *certo* in quocumque possibili ordine ad actum deductum. In sententia autem nostra uterque defectus vitatur. Sententia igitur nostra plenam habet veritatem.

4) *Ex plena synthesi finium divinorum* in opere Incarnationis. In rationem enim primariam Incarnationis a nobis positam, omnes confluunt fines tum universales tum particulares a Deo habitos in hoc mundo condendo et in opere Incarnationis peragendo, nec non omnes fines operis ipsius Incarnationis. Hinc iuxta nostram sententiam, Incarnatio non solum fuit *opus immensae liberalitatis Dei* (prout vellent Scotistae) sed etiam *opus infinitae misericordiae* (prout vellent Thomistae). Neutrum tamen, singillatim sumptum, potest esse finis operis *adaequatum*, quamvis duo isti fines notabiliores sint sive in seipsis sive relate ad nos (cfr *Marianum*, t. 3 [1941], p. 359).

5) *Ex suprema ratione existentiae mundi actualis*. Sicut ratio prima propter quam praesens mundus existit est Christus (cum omnis creatura ad illum ordinetur), ita ratio prima propter quam Christus, seu Incarnatio existit, est mundus

actualis. Atqui ratio prima existentiae mundi actualis est divina electio ordinis praesentis prae omnibus aliis ordinibus possibilibus. Ergo haec divina electio est quoque ratio prima Incarnationis.

OBICI posset: Haec Incarnationis ratio est, procul dubio, *vera*; nimis tamen *universalis* videtur et minime Incarnationis *propria*, cum aeque bene omnibus aliis creaturis ordinem actualem constituentibus applicari valeat.

RESPONDETUR: Ratio primaria Incarnationis a nobis posita est reapse, prout conceditur, universalis, quinimmo, ita universalis ut alia magis universalis, prout iam vidimus, dari non possit. Et nos praecise talem rationem universalem inquirebamus quae ad Incarnationem in sensu pleno et latissimo acceptam, prout superius exposuimus, sese extendere posset. Aliud enim est ratio universalis Incarnationis, et aliud rationes particulares eiusdem. Illa nequit esse nisi *unica* et *in Deo* (quamvis postea et a nobis, per legitimam deductionem cognita), hae vero (seu rationes particulares), *multiplices* esse possunt, a *nobis* inveniuntur et *in nobis* formaliter sunt qui, ratione innixi, pie circa mysterium inquirimus. Illa (i. e. ratio universalis) Incarnationem *respicit ab externo* ordini praesenti; hae vero *ab interno*, quatenus nempe nos ipsi intra hunc actualem ordinem positi sumus. Et haec est ratio cur Angelicus Doctor asserit quod pie mysterium Incarnationis recolentibus, multae et profundae rationes paulatim occurrunt quae universam eius pulchritudinem, convenientiam et mirabilem harmoniam ostendunt sive relate ad hominem sive relate ad alias res huius mundi. Attamen cum omnes istae rationes *particulares* sint respectu ordinis praesentis et respectu ipsius Incarnationis, rationem reddunt unius vel alterius respectus mysterii, quin illud plene illuminent. Rationes istae, insuper, aliquando potius partus phantasiae quam theologicae deductiones existunt; *potest* esse quod Deus *virtualiter* in principali ratione mysterii illas intenderit. Nec nos possumus iure Deo cogitationes nostras imponere quae a divinis cogitationibus tam diversae inveniuntur. Quod si Scriptura, Patres et Theologi, plures rationes afferunt pro mysterio Incarnationis, dicendum est rationes illas esse *particulares* et *affirmativas*, non vero *universales*, *adaequatas et exclusivas*.

Cum vero nobis obicitur quod ratio a nobis adducta non sit exclusive *propria* Incarnationis, et quod ad alias etiam creaturas *extendi* potest, respondemus quod talis obiectio minime officit sententiae nostrae, imo potius illam aperte confirmat. Etenim:

a) Incarnatio probari nequit rationibus *particularibus*, etiamsi simul sumantur, eo quod ipsa omnes illas rationes supergreditur, et rationem *universalem* exposcit. Iamvero, universale, qua tale, quamcumque particularium summam supergreditur. Rationes particulares Incarnationis, rationem reddunt tantummodo unius vel alterius respectus particularis eiusdem. Ratio ergo *propria* Incarnationis, non particularis sed *universalis* esse debet, prout est ratio a nobis assignata.[1]

b) Nil mirum, insuper, quod haec ratio universalis etiam ad omnes alias res extendatur; imo ita esse debet, quin ex hoc, talis ratio, Christi *propria* desinat esse. Etenim, posito quod Christus primatu absoluto et universali gaudeat nedum honoris et excel-

[1] Amplior expositio huius rationis inveniri potest in responsione data ad dubia P. Berti, O. S. M., in *Marianum*, 3 (1941) 302-308.

lentiae sed etiam *finalitatis*, necesse est dicere, consequenter, res omnes creatas, una cum propriis eventibus, non excluso peccato, ad Christum tamquam ad proprium finem, et velut regium comitatum eius, ordinatas esse, et cum ipso *quid unum efficere*. Quapropter, universalis ratio Incarnationis, ad universas creaturas necessario extendi debet. Neque ratio illa desinit esse *propria* Christi, eo quod solummodo gratia Christi res omnes existunt, et ad ipsum ordinantur; quemadmodum auctoritas regia non desinit esse propria regis eo quod plures cives illam participent.

IV – IN QUONAM SENTENTIA NOSTRA CONVENIAT ET IN QUONAM DIFFERAT A SENTENTIA SIVE THOMISTARUM SIVE SCOTISTARUM

Sententia nostra igitur in quibusdam convenit et in quibusdam differt sive a sententia Thomistarum sive a sententia Scotistarum.

I. *Convenit globatim* et quoad substantiam cum sententia Thomistica si haec in sensu *particularistico* (non vero in sensu *universali*) accipiatur, seu quatenus agit de particularibus relationibus inter Christum et peccatum existentibus, de quibus S. Scriptura (quamvis non *ubique*) modo particularistico (i. e. intra *praesentem ordinem*) agit.

Differt tamen a sententia thomistica in hoc quod ponit cum Scotistis primatum *absolutum* et *universalem* Christi respectu omnium aliarum rerum; qui primatus non esset *absolutus* si *dependeret* (prout contendunt Thomistae) a peccato; si enim peccatum esset conditio adaequata sine qua non Incarnationis, esset etiam conditio adaequata sine qua non primatus Christi: quod admitti nullatenus potest, ob textus Scripturae (cfr praesertim Ep. ad Coloss. 1, 13-20), in quibus primatus Christi absolutus clare effertur.

Sententia nostra igitur, quamvis *diversa*, minime dici potest *contraria* sententiae Divi Thomae, cui sententiae, de caetero, ipsemet S. Doctor non absque formidine oppositi, nedum in operibus minoribus, sed etiam in Summa Theologica adhaeret (« *convenientius* » dicitur, non vero « *certo* dicitur », prout asserunt Thomistae). Quaestio enim a nobis modo valde *diverso* posita est, et ideo modo etiam *diverso* (non tamen *opposito*) soluta. Verum quidem est quod ea quae pendent a libera Dei voluntate solummodo ex revelatione, seu per fidem nobis innotescere possunt; attamen, semel cognitis Christo eiusque opere per fidem, nec non semel cognito, ope fidei, ordine praesenti, legitime assignare valemus tum Christo tum peccato locum ipsis conveniens. Relate vero ad testimonium Scripturae, iuxta quam Incarnatio ordinata fuisset in remedium peccati, animadvertendum est: *a*) quod Scriptura non ponit quaestionem modo universali et categorico, sed loquitur de relationibus quibusdam particularibus inter Chri-

stum et peccatum existentibus;[1] *b*) quod non *ubique* assignatur in Scriptura peccatum tamquam ratio Incarnationis; *c*) quod numquam Scriptura affirmat Christum *unice* ob peccatum venisse; *d*) quod etiamsi ubique Scriptura affirmasset Christum ob peccatum venisse, scimus propositionem *affirmativam* non esse *exclusivam*. Quamobrem a conclusione Thomistarum aegre aliquo modo recedere cogimur.

Dicendum igitur videtur quod peccatum est *simpliciter* ordinatum ad Christum, qui proinde est *primus* et per se stans inter duos terminos (peccatum, Incarnatio). Christus tamen recte dici poterit ordinatus *secundum quid* ad destructionem peccati, id est, *quatenus operans et patiens*, quamvis non plene. Conclusio haec a natura ipsa duorum terminorum (peccatum et Incarnatio) exposcitur. Ita, et solum ita, ordo vere splendidus in praesenti oeconomia obtinetur in qua, et peccatum, tamquam malum, ad bonum, seu ad gloriam Christi ordinatur, et Christo absolutus et universalis primatus, etiam relate ad peccatum, vindicatur. Quia enim ex unitate et infallibilitate praesentis ordinis a Deo aeternaliter statuti, haberi debebat Christus prouti fuit et est, ideo Deus permittere voluit peccatum prout fuit et est, et prout erit in omnibus suis sequelis. Solutio haec, conciliare posset, prout nobis videtur, Thomistas cum Scotistis, quatenus iura utriusque sententiae plene salvare videtur.

Hisce positis percelebri illi dilemmati: Aut Christus pro nobis (iuxta Thomistas) aut nos pro Christo (iuxta Scotistas), respondendum videtur: inter duo cornua dilemmatis, datur tertium, id est, datur haec obvia distinctio: Nos pro Christo *simpliciter*: Christus pro *nobis secundum quid* tantum, seu, quatenus nos fruimur opere Christi solummodo tamquam *finis cui*, non vero tamquam *finis cuius gratia*. Culpa ergo esset *materia circa quam*, seu ad quam *destruendam* Christus opus suum ordinavit, etsi non exclusive sed potius sicut qui domus vetustatem solvit ut reaedificet. Nullimode, igitur, Christus et Deipara ab Adae et Evae peccato dependent, ita ut Adae et Evae gratias veluti agere debeant pro culpa commissa, sine qua ipsi non extitissent. Beneficium vero nobis ex opere Christi proveniens nullimode reddit Christum dependentem a nobis, sed tantummodo magnitudinem amoris Christi erga nos extollit; quemadmodum curae a matre parvulo suo exhibitae, nullimode illam efficiunt dependentem ab ipso aut ipsius servam constituunt, sed tantummodo affectum eiusdem erga puerum ipsum ostendunt.

II. Sententia nostra convenit omnino cum sententia Scotistarum circa primatum Christi *absolutum* et *universalem*, qui omnino negari non potest. Primatus iste facili negotio, prout vidimus, cum opere Christi redemptivo componitur;

[1] Et haec est ratio quae nos impellit ad omittendum argumentum scripturisticum, et ferme etiam patristicum in probatione sententiae nostrae.

at non ita facile Incarnatio a peccato dependens cum primatu absoluto Christi componitur.

Attamen, sententia nostra a sententia Scotistarum omnino differt relate ad Christi eiusque Matris existentiam in *quolibet ordine possibili*. Ex eo enim quod Christus et B. Virgo, intra limites *praesentis ordinis* (de quo *tantummodo* Scriptura et Traditio loquuntur) voliti sint *absolute*, seu simpliciter a peccato independentes, minime sequitur hoc idem *necessario* eventurum esse in *quolibet ordine possibili*. Conclusio haec, latius patet quam praemissae. Supponunt, insuper, Scotistae *duplex Dei decretum*, unum *conditionatum* (incarnatio in carne *impassibili*) et aliud *absolutum* (incarnatio in carne *passibili* pro redemptione generis humani): quod nullimode sustineri potest, eo quod *unum* tantummodo, ut diximus, fuit Dei decretum, praesentem ordinem concretum (non vero alios *possibiles* ordines) respiciens. Et in hoc repositum esse videtur peccatum originale sententiae Scotisticae.

Praeiudicatis igitur opinionibus, a saeculis iam inveteratis, generose sepositis, quidquid boni in utraque sententia invenitur libenter accipiamus; quidquid vero inconvenientis in utraque sententia reperitur, aeque libenter reiciamus. Hoc modo tantummodo quaestiones a saeculis insolutae solvi possunt, et verus theologicae scientiae progressus possibilis evadit. [1]

V – CONSECTARIA NOSTRAE SENTENTIAE

Pro B. Virgine tanti sunt momenti ut universa Mariologia influxum eiusdem persentiat. Gloria enim in Deiparam ex nostra sententia redundans maxima est, sive B. Virgo consideretur *in ordine ad Deum*, sive consideretur *in ordine ad homines*.

A) Si B. Virgo consideretur in ORDINE AD DEUM, apparet omnino singularissimus Dei amor erga ipsam, eo quod illam praedestinavit uno eodemque decreto cum Christo, *tamquam causam finalem secundariam* (cum Christo causa finali primaria) omnium rerum creatarum, id est sive hominum sive angelorum. Ratione igitur suae praedestinationis, Deipara a ceteris omnibus creaturis separatur, in *singulari* quodam *ordine*, sibi proprio, collocatur, et in solio Filii sui veluti sedet, una cum ipso. Quapropter illam Deus ab aeterno dilexit magis quam cunctas omnes creaturas simul sumptas (homines videlicet et angelos), eique,

[1] Notatu digna sunt verba P. Bonnefoy: « les deux systèmes théologiques (Scotisticus et Thomisticus) tels qu'ils étaient présentés jusqu'à nos jours contiennent *une part de vérité* (c e qui explique les essais, souvent maladroits, de fusion) et *une part d'erreur* » (l. c., p. 95). Optime!... Et infra: « la vérité d'abord! S'éloigner de sa consigne, c'est pécher contre la lumière, *prolonger inutilement* des débats au grand dommage de l'Eglise et des âmes » (l. c., p. 98). Iterum, optime!...

inde a primo existentiae personalis instanti maiorem contulit gratiam quam omnibus aliis rationalibus creaturis, simul sumptis, etiam in statu termini consideratis.

Quia vero in decreto divino primo considerata fuit tamquam Dei Mater et hominum Mediatrix antequam *filia Adae* ex qua carnaliter descendere debebat, i deo exclusa fuit a lege ipsa contrahendi peccatum originale, numquam nedum de facto, sed neque *de iure* diabolo, vel per unum instans, subiecta.

Singularissimae gratiae, gratiam creaturarum omnium simul sumptarum superanti, correspondere debuerunt *singularissima merita* in terris et singularissima *gloria* in caelis.

Vi nostrae sententiae, Deiparae influxus mediativus (una cum Christo) ad omnes omnino creaturas sese extendit, ita ut non solum homines (protoparentibus inclusis) sed etiam angeli ab ipsa (una cum Christo) gratiam essentialem et quodlibet supernaturale influxum acceperint. Quapropter vere, B. Virgo est omnium Regina, in omnibus primatum tenens, a dextris Regis Filii sui adstans ac iugiter imperans. Ipsa enim (una cum Christo causa meritoria principali) fuit causa meritoria secundaria omnium gratiarum omnibus creaturis collatarum, et est earundem cum Christo distributrix.

B) Si vero ulterius consideretur Deipara IN ORDINE AD HOMINES, clariori luce apparent, vi nostrae sententiae, singularissimus cultus nec non servitus qui ipsi debentur. Si enim Deipara est causa secundaria (una cum Christo causa primaria) sive creationis sive meriti omnium hominum et angelorum, necessario sequitur quod homines et angeli ipsam, post Christum, super omnia diligere et ipsi servire debeant. Ratione enim eius (secundario) ipsi creati sunt; ratione eius gratias omne genus acceperunt et accipiunt. Solum igitur Mariam diligendo ipsique serviendo proprium finem propriamque perfectionem homines attingere valent. Amor igitur servitusque Deiparae non iam quid supererogatorium apparet.

Quae omnia consectaria, prout quisque facile videt, maximi sunt momenti.[1]

CAP. III – UTRUM B. VIRGO PRAEDESTINATA FUERIT MATER DEI OMNINO GRATUITA DEI VOLUNTATE, ANTE PRAEVISA CUIUSCUMQUE MERITA[2]

Praenotanda. – 1. **Distinctiones praemittendae.** Agitur in hoc articulo de merito B. Virginis relate ad eius divinam maternitatem.

[1] Relate ad varias disputationes a nostra sententia excitatas conferatur opus: ROCCA-ROSCHINI, *De ratione primaria existentiae Christi et Deiparae*, Romae, 1944, Officium Libri Catholici.

[2] Utiliter consuli possunt FRIETHOFF, *De alma Socia Mediatoris*, pp. 73-95; BITTREMIEUX, *De mediatione universali B. M. V. quoad gratias*, l. 1, c. 3, a. 1.

Praesuppositis notionibus meriti de *condigno* et *de congruo*, plures distinctiones praemittendae sunt:

Maternitas divina mereri posset dupliciter: *absolute* et *conditionaliter*.

A) Mereri *absolute* maternitatem divinam, idem esset ac mereri Verbum Dei habere *aliquam* mulierem Matrem, seu incarnari. Hoc modo sumpta, *maternitas* ad ipsam *substantiam Incarnationis* pertinet; et ideo quaerere: « utrum B. Virgo meruerit *maternitatem Verbi* » idem omnino esset ac quaerere: « Utrum B. Virgo meruerit *Incarnationem* ».

Meritum vero *Incarnationis* (quoad substantiam) ulterius considerari potest dupliciter: in *ordine intentionis* et in *ordine executionis:*

a) in *ordine intentionis*, si *decretum ipsum* Incarnationis supponatur mereri;

b) in *ordine executionis*, si Incarnatio iam *decreta* supponatur mereri.

B) *Mereri conditionate* (Incarnationem) maternitatem divinam, idem esset ac *aliquam* determinatam mulierem mereri maternitatem ad quam iam *praedestinata* erat. Hoc enim non ad *substantiam* Incarnationis sed ad aliquam eius *circumstantiam* (*haec* mulier) pertinet.

Etiam meritum *conditionatum* maternitatis divinae ulterius considerari potest dupliciter: in ordine *intentionis* et in ordine *executionis*:

a) in *ordine intentionis*, si haec determinata mulier supponatur mereri *ut eligatur*;

b) in *ordine executionis*, si haec determinata mulier, iam gratuito electa, supponatur mereri seu obtinere suam maternitatem per merita.

2. **Theologorum sententiae.** 1) Quidam, ut *Ioannes a S. Thoma* (*Curs. Theol.* ed. Vivès, t. 3, q. 24, disp. 8, art. 5, n. 29, pp. 738-739), *Salmanticenses* (ed. Palmé, tom. 13, tract. 21, disp. 7, dub. 3, par. 3, n. 57) tenuerunt SS. Patres (et ideo a fortiori B. Virgo) meruisse non de condigno sed *de congruo* ipsam *substantiam* Incarnationis.

2) *S. Bonaventura*, praemissa distinctione inter meritum de congruo, de digno et de condigno, docet B. V., ante Annunciationem meruisse non de condigno sed de congruo esse Matrem Dei; post Annunciationem vero, meruisse de digno esse matrem Dei. Appellat vero meritum de digno illud opus quod licet *ex se* proportionem non habeat cum praemio, illam tamen habet ex benignitate Dei tale opus pro tali praemio acceptantis. (*In 3 Sent.*, d. 4, a. 2).

3) *Gabriel Biel* tenet B. Virginem de *condigno* meruisse ipsam maternitatem (*In 3 Sent.*, d. 4, n. 3).

4) *Lorca* negat meritum in B. Virgine, meritum congruum sive proprie dictum (i. e. retributionis) sive late dictum (i. e. impetrationis), eo quia non est verisimile B. Virginem, propter suam humilitatem, maternitatem divinam postulasse. (*In 3*, d. 22, n. 15).

5) Theologi communiter docent B. Virginem tantummodo *de congruo* meruisse maternitatem divinam, et quidem in *ordine executionis*. Inter hos Theologos, quidam ut *Sylvius* (*In 3*, q. 1, a. 5), *Billuart* (*De Incarn.*, diss. 5, a. 3), *Wirceburgenses* (*De Incarn.*, diss. 3, sect. 3, a. 5), *Paquet* (*De Incarn. Verbi*, disp. 2, a. 5) id intelligunt de merito de congruo late sumpto; alii vero, ut *Gonet* (*Clyp. Theol. Thom., De Incarn.*, disp. 7, a. 4), *Hugon* (*De Verb. Incarn.*, q. 2, a. 4), *Bittremieux* (op. cit., l. 1, c. 3, a. 1), *Friethoff* (o. c., p. 85), *Alastruey* (o. c., p. 67) id intelligunt de merito de congruo proprie dicto.

Janssens putat meritum B. M. V. stricte de condigno non fuisse, sed ad vere condignum, quantum natura rei patitur, appropinquasse (*De Verbo Incarn.*, p. I, sec. 2, q. 2, a. 11).

Inter has diversas sententias quid tenendum nobis videtur, sequenti propositione exprimitur:

Prop.: I. *Si meritum maternitatis divinae consideratur* ABSOLUTE, *B. Virgo neque de condigno, neque de congruo stricte sumpto illam meruit, sive in ordine intentionis, sive in ordine executionis;* II. *Si vero consideretur* CONDITIONALITER (i. e. *ut, iam decreta, per eam fiat*) *tunc illam minime meruit in ordine intentionis* (i. e. *ut eligeretur in matrem Dei*); *sed illam meruit, non de condigno sed de congruo in ordine executionis.*

Prob. I Pars. *a*) *Non de condigno.* S. Thomas (p. III, q. 2, a. 11 et III *Sent.* 4, 3, 1) triplicem rationem adducit:

Prima ratio est quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad *beatitudinem* (i. e. ad unionem quoad *operationem* fruendi): divina autem maternitas ordinatur ad unionem *quoad esse* (per relationem realis maternitatis ad Filium Dei), quae unio quoad esse longe transcendit unionem quoad *operationem*, et ideo sub merito cadere non potest.

Secunda ratio est: principium meriti non cadit sub merito. Atqui Incarnatio est principium meriti, imo principium gratiae. Ergo ...

Tertia ratio est: bonum puri hominis non potest esse causa boni totius naturae. Atqui Incarnatio est causa boni totius naturae, cuius est reformativa. Ergo ... Deest ergo *paritas* vel aequalitas inter opus praestitum et praemium, et ideo deficit meritum de condigno quod in paritate seu aequalitate fundatur.

b) *Non de congruo.* Gratia, enim, non solum est *principium* meriti de condigno, sed etiam meriti de congruo, in quantum ex illa oritur proportio amicitiae seu ius amicabile, vel ratio congruitatis. Iamvero, principium meriti non cadit sub merito. Ergo ... saltem in *ordine intentionis* excludi debet quodlibet meritum, nedum de condigno, sed etiam de congruo.

At admittine potest tale meritum *de congruo* in *ordine executionis*, ita ut Incarnatio *iam decreta* supponatur mereri, vel ita ut merita Patrum Deum moveant ad Incarnationem executioni mandandam?

Est quaestio valde implicata. *Ioannes a S. Thoma* (*Cursus Theol.*, ed. Vivès, t. 2, q. 24, disp. 8, art. 5, n. 29, pp. 738-739) tenuit Sanctos Patres V. T. meruisse Incarnationem de congruo. Distinguit enim inter *existentiam* gratiae et *valorem* gratiae existentis. Iuxta ipsum ergo, Incarnatio praevisa est *causa* cur detur gratia Patribus (i. e. est causa existentiae gratiae in Patribus), et *valor* (seu gratia per suum valorem) est causa congrua *executionis* Incarnationis. Idem docent *Salmanticenses* (ed. Palmé, t. 13, tract. 21, disp. 7, dub. 3, par. 3, n. 57): « Merita Christi praecedunt gratiam et merita Patrum in intentione per modum causae finalis; e contra merita Patrum praecedunt Incarnationem in executione per modum causae moraliter efficientis ».

At, alii communiter negant. Et haec videtur esse sententia S. Thomae. Ipse enim explicite docet SS. Patres meruisse non *substantiam* Incarnationis, sed *accelerationem* (et ideo aliquam circumstantiam) eiusdem (*III Sent.*, 4, 3, 1 ad 4). Et de B. Virgine explicite dicit: « Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum, *non quia meruit ipsum incarnari*, sed quia etc. » (*III Sent.*, 2, 11, ad 3). Et alibi: « Beata Virgo *non meruit Incarnationem*, sed *praesupposita Incarnatione* meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui... » (*III*, 2, 11, ad 3).

Hoc si agatur de merito de congruo stricte dicto et perfecte sumpto, quod in amicitia fundatur. Attamen datur etiam meritum de congruo *late* et *metaphorice* sumptum, et habetur cum quis, absque gratia sanctificante, aliquod opus facit in honorem Dei, et ideo habetur *similitudo* quaedam *amicitiae*. Et hoc modo concedi potest meritum ex parte generis humani relate ad Incarnationem, prout admittit S. Thomas qui (*In Sent. III*, 2, 11, ad 3) de Incarnatione dicit: « Unde *nullo modo* potest cadere sub merito, nisi *large* meritum dicamus omnem praeparationem ad aliquid habendum quod processit in humano genere ». Mereri ergo Incarnationem tali modo, nihil aliud significat quam implere ea omnia quae iuxta divinum consilium ante Incarnationem implenda erant.

Meritum ergo proprie dictum, sive sit de condigno sive de congruo, sive SS. Patrum sive ipsius Virginis, ad substantiam Incarnationis sese extendere nequit, eo quia principium meriti (quale est substantia Incarnationis), non cadit sub merito.

Prob. II pars: *a*) B. Virgo non meruit *conditionaliter* maternitatem divinam in ordine *intentionis* (i. e. ut eligeretur in Matrem Dei).

Principium meriti non cadit sub merito. Atqui maternitas divina est principium seu fons et origo omnium gratiarum quas B. Virgo a Deo accepit. Ergo B. Virgo maternitatem divinam non meruit.

b) B. Virgo, in ordine *executionis*, meruit *non de condigno* sed *de congruo* maternitatem divinam.

Non *de condigno*. Meritum enim de condigno, vi gratiae, se extendit tantum-

modo ad supernaturalem cum Deo coniunctionem *sec. operationem* (i. e. ad gloriam aeternam in visione Dei beatifica consistentem), non vero ad supernaturalem cum Deo coniunctionem *sec. esse*, qualis est divina maternitas quae in relatione reali B. Virginis ad *personam Verbi* (terminus huius relationis) consistit.

Meritum ergo de condigno B. Virginis sese extendere potuit ad *gloriam aeternam*, non vero ad *Maternitatem divinam.*

Meruit tamen *de congruo*, et quidem stricte sumpto (fundatum in iure *amicabili*) maternitatem divinam, quatenus scilicet modo perfectissimo B. Virgo Dei, amici sui, voluntatem implevit, et ideo congruum fuit ut Deus totam voluntatem eius impleret. Hinc *S. Thomas* dicit: « B. Virgo dicitur *meruisse* portare Dominum ... quia ex gratia sibi data meruit illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse Mater Dei » (*III*, 2, 11 ad 3). Idem asserunt *S. Ambrosius*, [1] *S. Augustinus*, [2] *Ps. Hieronymus*, [3] *S. Petrus Chrysologus*, [4] *Ps. Gregorius M.* [5] *Ps. Anselmus.* [6] *Eadmerus*, [7] etc. qui tenent B. Virginem merito suo Matrem Dei factam esse. Et Ecclesia cantat: « quem *meruisti portare, resurrexit, Alleluia!* »;

[1] « Soli Mariae haec salutatio (ave, gratia plena), servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam *quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore* » (*Expos. Evang. sec. Lucam*, lib. 2, n. 1285; PL 15, 1556).

[2] « Solus ergo ille (Filius Dei) etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit umquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati, id est, non concupiscentiae carnalis motu concipientem, sed *pia fide* (al. ipsa fide) *sanctum germen in se fieri promerentem*, quam eligeret (al. quam elegerat) creavit, de qua crearetur elegit » (*De peccat. meritis et remissione*, lib. 2, c. 24, n. 38; PL 44, 174-175). Et alibi: «Per quam (B. Virginem) meruimus auctorem vitae suscipere » (*Serm. 208, in festo Assumptionis B. M. V.*, PL 39, 2130). Tandem: « Quae (B. Virgo) concipere et parere *meruit*, quem constat nullum habuisse peccatum (i. e. Christus) ». (Ibid. col. 2134). Attamen sermo iste a Migne inter sermones S. Augustini supposititios ponitur.

[3] « Propone tibi Beatam Mariam, quae tantae extitit puritatis, *ut Mater Domini esse mereretur* » (Ep. XXII *ad Eustoch.*, n. 38, Venet., 1766, t. 1, col. 122).

[4] « *Benedicta tu inter mulieres.* Vere benedicta Virgo, quae et virginitatis possidet decus, matris et pertulit dignitatem. Vere benedicta, quae et *superni conceptus meruit gratiam*, et sustulit integritatis coronam » (Serm. 143, *De Annunt. B. Mariae Virg.* PL 52, 584). Et adhuc, apertissime: « Et quia illa Mater *meruit* effici Creatoris nostri, nos... Et quia illa *meruit* virtute Altissimi obumbrari » (Serm. 4 *De Assumpt. B. Mariae* (inter opera S. Hildephonsi dubia). PL 96, 259).

[5] « Annon mons sublimis Maria quae, ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? » (*In l. 1 Reg.* c. 1, Venet., 1571, t. 2, p. 866).

[6] « Et quod angelica nuntiavit puritas, ineffabilis perfecit Deitas, atque *Deum illum gignere meruisti*, qui cuncta nasci suo nutu concessit » (Or. 46 [al. 45] *Ad S. Virginem Matrem*, PL 158, 942 D.). Et alibi: « Quae mundo meruisti generare Salvatorem » (Or. 48 [al. 47], ibid. col. 946 A.).

[7] « Per pia Matris Dei Mariae merita, humana natura sit exaltata » (Lib. *de excellentia Virginis Mariae*, c. 9, PL 51, 575).

et orat: « Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici *mereretur* Spiritu Sancto cooperante praeparasti ... ».

B. Virgo, igitur, gratia sibi collata, meruit, et quidem vere, seu *de condigno* augmentum gratiae et ita pervenit ad illum puritatis gradum quem Dei Matrem decebat. « Merendo de condigno hunc gradum — scribit P. Friethoff, o. c., p. 86 — summe *implevit voluntatem Dei*, et ideo secundum *ius amicabile* meruit sibi de congruo ipsam Maternitatem Verbi Dei ». Hoc sensu canebat Alighieri:

> « Tu sei colei che l'umana natura
> nobilitasti sì che il suo Fattore
> non disdegnò di farsi sua fattura ». (*Par.* 33, 4-6).

Cap. IV – UTRUM B. VIRGO PRAEDESTINATA FUERIT AD GLORIA AETERNAM ANTE VEL POST PRAEVISA EIUS MERITA[1]

Praenotanda: **Theologorum sententiae**. Solutio huius quaestionis a diversitate praesertim opinionum Theologicarum dependet.

1) *Schola Baneziano-Thomistica*, cui, in hac re, alii etiam Theologi, ut *Suarez* (*In I*, q. 23, a. 1), *S. Rob. Bellarminus* (*Controvers.*, t. 4, l. 3) et *Vega* (o. c., pal. 2, cert. 5, n. 182) assentiuntur, generatim docet praedestinationem B. Virginis ad gloriam fuisse *ante praevisa merita*, et quidem potiori ratione ac pro omnibus aliis electis. Theologi quidam, ut *Ocham* (*In I Sent.*, d. 41, q. 1), *Gabriel* (*In I Sent.*, d. 41, q. 1), *Ambrosius Catharinus* (*De Praedest. Dei*, l. III, c. 1 et 2), tenent Deum paucos quosdam electos, ex insignioribus, i. e. B. Virginem, Ioannem Bapt., Apostolos ... antecedenter ad praevisa illorum merita praedestinasse ad gloriam.

2) *Schola Molinistica* docet B. Virginem praedestinatam fuisse ad gloriam aeternam, sicut alii electi, *post praevisa merita*. *Lercher* (*De Deo uno*, l. 1, c. 6) hanc sententiam temperat dicens B. Virginem *ante praevisa merita* praedestinatam fuisse ad illam gloriam quae pertinet ad convenientem ornatum Matris Dei; sed quia B. Virgo durante vita sua, merita innumera et immensa collegit pro quibus ei debetur ingens amplificatio gloriae, ad hanc gloriam, quam meritis acquisivit, praedestinatam esse post praevisa merita.

3) *Schola Caietano-Thomistica* (Card. Satolli, Card. Pecci, Card. Lépicier, Paquet, etc.) tenet praedestinationem electorum ad gloriam nec *ante* praevisa merita, nec *post* praevisa merita esse, sed *simul cum meritis*. Iuxta hos Theologos:

[1] Utiliter consuli potest opus Novati, *De Eminentia Deiparae*, c. 1, q. 1. Praecipuarum idearum in hoc articulo expositarum debitor sum cl. Professori P. I. M., Rocca, O. S. M.

a) *B. Virgo praedestinata non fuit ad gloriam aeternam* ANTE *praevisa merita*, eo quod in S. Scriptura gloria aeterna passim exhibetur nobis ut *corona*, *merces*, quae sane electorum merita includunt.

Hoc idem *ratione* etiam constat. Etenim, voluntas *finis* tunc tantum praecedit voluntatem *mediorum* quando voluntas vult finem *absolute sec. se* (sicut cum quis prius vult sanitatem (finem) et postea deliberat de mediis (i. e. de medicinis). Atqui voluntas divina non vult finem (gloriam aeternam) *absolute sec. se*, sed illum vult *sec. quod est ratio volendi media* (i. e. merita) quae ad ipsum ducunt. Ergo praedestinatio ad gloriam non est *ante* praevisa merita sed simul cum meritis.

Etenim: licet *prior* sit, in signo rationis, finis quam media, cum tamen de ratione *huius* finis (gloria electorum) sint et media (i. e. merita, quia gloria datur ut *merces*, ut praemium, et praemium merita supponit), hinc impossibile est aliquem ad finem (i. e. ad gloriam) praedestinari, antequam ad *haec media* (i. e. merita) ordinetur.

b) *B. Virgo non fuit praedestinata ad gloriam aeternam* POST *praevisa merita.* Etenim, in *S. Scriptura* gloria aeterna exhibetur nobis sub ratione *sortis*, *electionis*, *propositi*, *beneplaciti voluntatis Dei*, *gratiae* i. e. *doni gratuiti*, *cuius* alia ratio non est nisi voluntas divina, iuxta illud: « Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit » (*Tit.*, 3, 5).

Ratio etiam hoc idem suadet. Etenim: quicumque prudenter et ordinate agit, non potest prius intendere *media* (i. e. merita) quam finem (gloria aeterna) .Atqui Deus prudenter et ordinate agit. Ergo Deus non potuit *prius* intendere *media* ad gloriam (i. e. merita) quam finem (i. e. gloria aeterna) seu non potest velle concedere alicui infallibilia media ad salutem seu gloriam aeternam, antequam efficaciter salutem ipsam eidem dandam decernat.

Insuper: quamvis voluntas ferri possit in *finem*, in quantum huiusmodi, quin feratur *in media* (i. e. in ea quae sunt ad finem), tamen, non potest ferri in media (i. e. in ea quae sunt ad finem), in quantum huiusmodi, quin feratur *simul* in ipsum finem, (quia finis est ratio volendi media). Etenim, uno eodemque motu voluntas fertur in *media* (i. e. in ea quae sunt ad finem), ut sic, et in *finem* ipsum. Ubi enim est unum propter alterum, est *unum tantum.*

c) *B. Virgo praedestinata est ad gloriam aeternam* SIMUL *cum meritis.*

Quandocumque enim aliqua voluntas vult *finem* non absolute et sec. se, sed sec. quod est ratio volendi *media* (i. e. ea quae sunt ad finem), uno et eodem motu fertur *simul* in finem et in media. Atqui divina voluntas vult finem (i. e. gloriam aeternam electi) non absolute et sec. se sed sec. quod est ratio volendi media (i. e. merita). Ergo, divina voluntas uno et eodem motu fertur *simul* in finem (i. e. in gloriam electi) et in *media* (i. e. in merita).

Vel, alio modo: Quando voluntas *uno et eodem actu* vult et finem et media (i. e. ea quae sunt ad finem) vult finem in mediis (i. e. *simul* cum mediis) et media

in fine (i. e. *simul* cum fine). Atqui divina voluntas uno et eodem actu vult et *finem* (gloriam electorum) et *media* (i. e. merita). Ergo ...

Opinio nostra. Si quis quaerat a nobis quid de tribus istis sententiis sentiendum sit, et an inter ipsas conciliatio quaedam dari queat, ita respondemus:

1) Deus vult *simul* et semel quidquid vult. Et sicut scientia Eius est eminenter universalis et particularis, speculativa et practica, etc., ita Eius voluntas attingit *simul*, modo eminenti, finem et media, seu finem in mediis et media in fine. Hoc autem minime obstat quominus res volitae, singillatim et differenti modo, voluntati divinae subiaceant, cum earum naturae differentes sint; in numero vero rerum volitarum inveniuntur fines et media inter se differentia.

2) Ordo praecedentiae qui utiliter poni potest in rebus a Deo volitis, est ordo a nobis constitutus, quamvis *cum fundamento* in re. Quapropter nemo dicere potest: Deus *antea* vult hoc, et *postea* illud; sed potius: *natura* huius vel illius rei diligenter inspecta, convenientius videtur hoc modo illa ordinari posse ...

3) Formula *in* vel *cum* praevisis meritis, propria tertiae sententiae (i. e. Scholae Caietano-Thomisticae) veritatem aliquam evidentissimam enunciat, quin tamen quaestionem solvat, aut duas alias sententias excludat vel conciliet. In *ordine* enim *executionis* non datur praemium vitae aeternae *absque meritis*; id est, non conceditur gloria absque meritis Christi applicatis, mediante gratia sanctificante, pueris qui merito personali carent; vel absque meritis Christi in tali gratia inclusis et meritis personalibus ab adultis cum praedicta gratia acquisitis. *Ordo* autem *intentionis* exigit Deum velle *simul* gloriam aeternam et merita iuxta conditionem subiecti, et nolle gloriam aeternam concedere personae meritis destitutae. Tertia sententia, proinde (i. e. sententia scholae Caietano-Thomisticae) valorem vere theologicum habere non videtur, et litem inter duas alias sententias dirimere nequit.

4) Aliae duae sententiae cum propriis formulis (*ante* vel *post* praevisa merita) procul dubio asserere nolunt merita esse aut non esse *causam moralem* praedestinationis quatenus haec dicit actum Dei praedestinantis, cum nihil, extra Deum, actum Dei interiorem causare valeat. Formula igitur utriusque sententiae huc redit: « Praeordinavit ne Deus in mente sua praestare gloriam aeternam alicui *ante* (logice) vel *post* (logice) praevisa eius merita?... ».

5) Meminisse iterum iuvabit illud *ante* vel *post* ordinem esse a nobis positum et in commodum nostrum effectum, quamvis *cum fundamento* in ipso Deo. Attamen, ubinam praecise huiusmodi fundamentum consistat et utrum ad unam potius quam ad aliam sententiam ducat, nos a priori nescimus. Nil aliud igitur remanet quam ad *naturam* ipsam rerum a Deo volitarum nos convertere, et videre utrum una vel alia ex illis duabus sententiis seponi debeat, vel potius — prout nobis videtur — utrum duae illae sententiae nihil aliud sint quam *duplex respectus* unius eiusdemque rei, ita ut in unam veluti sententiam conciliativam coalescere valeant.

6) Iamvero, ita nobis videtur omnino. Si enim nosipsos *in ordine causae finalis* ponimus, videmus quod vita aeterna, cum sit finis ultimus hominis, absolute et per se, absque ullo ordine ad aliud, potest esse volita, ita ut si Deus, per hypothesim impossibilem, cum alicui dare vult gloriam aeternam, nondum merita praevidisset, sola vita aeterna, *praecisive sumpta*, ex sese obiectum dignum et adaequatum voluntatis divinae constituere posset. Quapropter, *in ordine causae finalis*, putamus verum asserere Thomistas cum dicunt *praedestinationem ad gloriam esse* ANTE *praevisa merita*.

Si, e contra, nos ponimus *in ordine causae materialis*, videmus gratiam *viae* et meritum rationem medii habere, quod tamen medium, in praesenti ordine supernaturali, nedum est necessarium, sed etiam exigit (praedispositio exigitiva) formam vitae aeternae, ita ut de facto ab ipso praescindere non possimus. Necesse igitur est ut, pro ordine causae materialis, Deus *antea* talem dispositionem praevideat, et *postea* velit formam. Sic, exempli gratia, in ordine causae *finalis* Deus *antea* vult animam humanam, *postea* vero, ope causarum secundarum, operatur dispositiones exigitivas foetus. At, in ordine causae *materialis*, *antea* operatur et vult tales dispositiones, *postea* vero infundit animam in foetu in quo dispositiones praedictae inveniuntur.

Quae cum ita sint, duae sententiae, Baneziana nempe et Molinistica, ad unam sententiam, prout putamus, logice reduci possunt, et praedestinationi Deiparae ad gloriam aeternam applicari.

CAP. V – UTRUM B. VIRGO PRAEDESTINATA SIT ANTE OMNEM PURAM CREATURAM

Sententiae theologorum. Quidam, cum *Contenson* [1] docuerunt quod voluntas Dei creandi B. Virginem sit posterior natura quam voluntas creandi Adamum et alios progenitores. At Theologi, post SS. Patres, communiter docent, B. Virginem in mente Dei et in serie decretorum divinorum, secundum nostrum intelligendi modum, quamlibet puram creaturam praecessisse. Dico: in *mente Dei*, quia reici omnino debet, utpote Evangelio contraria, sententia *Theoctistis* Eremitae [2] qui, sinistre exponens illud Ecclesiastici (24, 14): «Ab initio et ante saecula creata sum», somniavit B. Virginem etiam *productione et tempore* ante omnem puram creaturam extitisse.

Prop.: *B. Virgo* I. *ita ante omnem puram creaturam praedestinata est*, II. *ut vere dici possit universa propter ipsam Deum condidisse.*

[1] *Theologia mentis et cordis*, lib. X, diss. 6, c. 2, specul. 2.

[2] Cfr BARONIUM, *Ann.*, ad a. 824.

Prob. I. pars: I. Auctoritate: I. S. SCRIPTURAE: « Ego ex ore Altissimi prodivi *primogenita* ante omnem creaturam » (Eccli. 24, 5). Haec verba, licet de divinae et increatae Sapientiae aeterna generatione a Patre ante creata tempora *primo* et per se dicantur, tamen etiam B. Virgini, prout facit Ecclesia, ob analogiam, accommodari possunt. Saltem, ergo, nobis revelant mentem Ecclesiae de praedestinatione B. Virginis ante omnem puram creaturam. Est autem B. Virgo *primogenita ante omnem creaturam* eo quia — ut scribit S. Antoninus[1] « nobilior est et perfectior gratia et gloria omni pura creatura ».

II. SS. PATRUM, praesertim Ecclesiae Graecae, qui B. Virginem *solam electam* saepius appellant. « Quod sibi non vult — animadvertit Card. Lépicier, o. c., p. 27 — alios Sanctos non fuisse electos; sed hoc Scripturae more dicitur, quae rem tamquam uni personae *propriam* exhibet, quam illa eminenter possidet, unde earum mens est Beatae Virginis electionem ita cum electione Verbi stricto foedere coniungi, ut omnium prima sit dilecta, electa et praedestinata ».

II. Ratione: *a*) Illa creatura rationalis, inter praedestinatos est prima, et ordine et gradu, quae ad Christum (causa efficiens, exemplaris et finalis praedestinationis nostrae et ideo caput praedestinatorum) propius accedit. Atqui, B. Virgo (utpote Mater Christi) inter omnes praedestinatos, ad Christum propius accedit. Ergo ...

b) Deus, eo ordine creaturas praedestinat (seu eligit et diligit) quo se invicem excedunt in bonitate et in manifestatione gloriae divinae (ob quam creantur, prout patet ex Prov. XVI). Atqui B. Virgo, utpote Mater Dei, bonitate et manifestatione gloriae divinae omnem puram creaturam excedit. Ergo ...

c) B. Virgo non solum eodem actu sed etiam *eodem decreto* Incarnationis, *simul* cum Christo, a Deo praedestinata est, ut iam demonstravimus in primo articulo. Omnes alii vero, licet eodem actu, alio tamen decreto, post decretum Incarnationis, a Deo eliguntur, et ideo post B. Virginem, quae proinde ante omnes alios, tamquam Filia Dei primogenita, praedestinata est.

Caput ergo praedestinatorum est homo Christus Iesus « primogenitus in multis fratribus »; post Christum vero B. Virgo poni debet, quia a Filio nequit seiungi Mater.

Prob. II. pars: I. Auctoritate SS. PATRUM et SCRIPTORUM: *Auctor Sermonum* in Antiph. *Salve Regina*: « Et ut breviter concludam, de hac, et ob hanc, nempe Mariam, omnis Scriptura facta est, *propter hanc* totus mundus factus est » (PL 184, 1069). Idem plus minusve docet *S. Bernardinus Senensis* (t. 1, serm. 65, art. 1, c. 2).

[1] P. IV, tit. 15, cap. 14, § 3, *Opusc. de B. V. Maria*, p. 518, Matriti, 1648.

« Ce sentiment — animadvertit Nicolas — n'est pas nouveau ni hasardé. Il est antique comme le monde. C'était une opinion traditionnelle des anciens Hébreux, nous dit un savant qui s'est attaché à l'étude des institutions judaïques, que le Messie et la Vierge de laquelle il devait naître, ont été l'unique cause finale de l'univers. [1] Ils appuyaient ce sentiment sur un passage de Jérémie (33, 20) qu'ils rendaient ainsi: *Nisi pactum meum esset, diem ac noctem, leges terrae ac caeli non posuissem.* Si ce n'eut été en vue de l'union personnelle que je proposais de contracter avec mon ouvrage, je ne l'eusse pas tiré du néant, je n'eusse pas fait la nuit et le jour, et posé les lois du ciel et de la terre » (o. c., p. 67).

Et Rabbi Onkelos (qui composuit chaldaeum Targum, seu paraphrasim in Pentateuchum) scripsit: « Amore intemeratae Virginis creavit Deus coelum et terram. Non solum amore Virginis conditus est mundus, sed etiam sustentatur » (Apud *Cornel. a Lapide*, in Prov., 8, 22). [2]

[1] GALATINUS, *De Arcanis*, lib. VII, cap. 2.

[2] Pulchre P. Segneri: « Di quel valorosissimo giovane Coriolano scrive Plutarco che riportando nuovi onori ogni dì per le sue prodezze, nuovi trofei, nuovi titoli, di nessuna cosa però giubilava tanto, quanto del giubilo che sapeva quindi risultarne a Volunnia, sua cara madre. Che però laddove gli altri per fine del loro invitto operare si proponevano universalmente la gloria di un bell'alloro, che loro cingesse maestosamente la fronte, o d'un applauso che loro facesse il popolo, o d'una statua che loro decretasse il Senato; egli avanzavasi un passo più oltre, e questa gloria medesima indirizzava, come nobil figliuolo, ad un altro fine assai più sublime del loro, ch'era il diletto materno, il gaudio materno, la contentezza materna. *Caeteris quidem finis virtutis erat gloria, huic autem gloriae finis materna existebat laetitia* » (Plut. in Coriolan.). Ora io non so se il medesimo dir si possa di Cristo ancora. Io so, che la sua gloria, come divina, non potea Cristo ordinare ad oggetto men degno; perciocchè questa sarebbe stata una ordinazione pienissima di disordine. Ma quanto al resto, figuratevi pure, che se questa gloria medesima gli era cara, gli era sommamente cara per quella felicità la quale quindi tornar vedeane alla madre. Per lei godeva di aver debellato la tirannia del peccato, perch'ella non ne dovesse provar gl'insulti. Per lei godeva d'aver rintuzzato lo stimolo della morte, perch'ella non ne dovesse sentir le pene. Per lei godeva di aversi trionfante acquistato il regno dei cieli, perchè ella esercitar vi dovesse il maggior comando. Favoriscono al sommo un sì pio pensiero quelle parole dei Proverbi all'ottavo: « Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore » (Prov. 8, 19): parole, siccome è noto, da tutti unitamente gl'interpreti (Salazar, in Prov. v. 8) attribuite anche in proprio senso alla Vergine, per dimostrare che, fin da quando Iddio prese a creare il mondo, nonchè a redimerlo, sempre Lei ebbe alla sua mente presente, in Lei si attuò, in lei si affisse, siccome in quella per cui riguardo singolarmente il creava. Ora il più mirabile è che i settanta così fan parlare alla Vergine in questo luogo: *Ego eram cui adgaudebat ipse.* Io era con cui Dio si rallegrava, di quanto egli andava di mano in mano operando con tanta festa e con tanta facilità, come se il facesse per gioco: *Ludens per orbem terrarum.* Ed oh! Che nobile sentimento uditori. Fabbricava egli il sole, *et adgaudebat*, perchè pensava che questo un dì doveva formare il real manto della Vergine, col suo finissimo oro. Fabbricava egli la luna *et adgaudebat*, perchè pensava che questa un dì doveva provvedere di regie suola la Vergine col suo tersissimo argento. Fabbricava egli le stelle *et adgaudebat* perchè pensava che d'esse un dì doveva

II. Ratione: Minus nobile ad id quod est magis nobile semper referri debet. Atqui universa i. e. totus mundus est quid minus nobile Beatissima Virgine. Ergo totus mundus ad B. Virginem referri debet.

Ad Mai. Ita, e. g. mineralia, quae infimum locum tenent, sunt propter vegetalia; vegetalia propter animalia; animalia propter hominem: omnia ergo, sunt propter hominem; et homo propter Christum et Mariam ei indissolubiliter coniunctam ac post Ipsum venientem. Pariter, ordo naturae, utpote minus nobilis, est propter ordinem gratiae, ordo gratiae propter ordinem gloriae. « E in realtà — animadvertit Campana in o. c., p. 261 — dopo Gesù Cristo non c'è cosa che attiri le predilezioni divine quanto Maria; non c'è cosa così perfetta quanto è perfetta Maria. Tutte le cose portano l'impronta del divino amore e della divina liberalità; ma questo amore esplica le sue meraviglie fuori della divina essenza con quest'ordine: prima colma di perfezioni l'umanità di Gesù; poscia, in vista dell'umanità di Gesù, colma di grazie Maria; poscia, a causa di Gesù e di Maria, l'amor divino si estende a colmar di doni le altre creature ragionevoli; e per amore dei predestinati sono debitamente ordinate le altre cose spettanti all'ordine di natura. Data questa subordinazione nelle effusioni della divina liberalità, giustamente possiamo dire, che tutte le cose appartengono agli eletti, *omnia propter electos*; gli eletti appartengono a Maria, Maria appartiene a Gesù, Gesù appartiene a Dio ». [1]

Haec aeterna Dei praeordinatio, B. Virginem in vertice gloriae constituit.

Perpulchre A. Nicolas: « Qu'on imagine un but plus digne de la grandeur et de la bonté de Dieu, plus déterminant de la création, que de s'unir personnellement à son ouvrage, que de le déifier et de l'élever à sa félicité infinie; et, si on ne le peut, qu'on reconnaisse, par la raison autant que par la foi, que Jésus et Marie, en qui et

essere incoronata qual imperadrice sovrana dell'universo. Così parimente qualor ornava di tante piante la terra, di cedri, di cipressi, di ulivi, di palme, di platani, *adgaudebat* con amorosissimo giubilo, *adgaudebat* perchè pensava che queste un dì servir dovevano di simboli a dinotare tante virtù inesplicabili di Maria, la integrità del suo corpo, la sublimità del suo spirito, la benignità del suo cuore, la gloria dei suoi trionfi, la sicurezza della sua protezione. *Adgaudebat* qualor egli fecondava il loro seno alle acque, perchè sì feconda doveva essere quella che è mar di grazie, *adgaudebat* qualor egli arricchiva le loro viscere ai monti, perchè sì ricca dovea al mondo essere quella che è miniera di perfezione, ed in una parola, se tutto ciò che egli fabbricava recavagli gran diletto, questo era specialmente per ciò che di poi doveane risultar d'onore alla madre. Che impareggiabile amore fu dunque questo, che apprezzamento, che aggradimento, che stima, aver Dio fatto questo sì grande universo, più per la Vergine sola, che per tutte assieme le altre pure creature, sì splendide, sì sublimi, che sono in esso. E pure è così. *Propter hanc, propter hanc*, sono parole assai chiare di S. Bernardo, *propter hanc totus mundus factus est* » (Quaresimale, pred. 40: *Per la festa della SS. Nunziata*).

[1] Opportune animadvertit de Ségur: « Sì, abbiamo la ventura di saperlo: *tutto* sulla terra appartiene a Gesù ed a Maria e noi non abbiamo il diritto di disporre di nulla, senza il loro permesso. È perciò che dobbiamo pensar spessissimo a loro, consecrar loro le nostre azioni

par qui cette merveilleuse union s'opère, sont la raison de la création, en sont les premiers-nés dans l'intention divine, comme la fin glorieuse à laquelle tout le reste devait venir se subordonner et se rapporter.

« Comme un peintre, ayant à faire un magnifique tableau, en conçoit d'abord les principaux personnages; puis dispose tout le reste de son œuvre, les lumières et les ombres, les plans et les arrière plans, les fonds et les perspectives, les figures immédiates ou recuplées, les paysages, les ciels, les mers, et jusqu'aux détails les plus oubliés et les plus perdus, dans l'unique vue de faire valoir, d'orner et d'accompagner ses héros: ainsi Dieu a conçu, voulu, fait tout ce qui existe en vue de Jésus et de Marie, par un seul acte de sa complaisance, qui exclut en lui la succession et le travail, mais non l'ordre, et *cette sagesse qui atteint son but avec puissance et qui dispose tout avec douceur* » (o. c., p. 68).

Cap. VI – UTRUM PRAEDESTINATIO B. M. V. SIT CAUSA PRAEDESTINATIONIS ALIORUM [1]

Prop.: *Praedestinatio B. M. V. dici potest* I. *esse aliquo modo causam* (*seu rationem*) *secundam exemplarem et efficientem praedestinationis aliorum electorum, nedum vage sumptorum, sed etiam.* II. *quantum ad electionem comparativam unius prae alio.*

Sensus propositionis. 1) Dicimus, ante omnia, praedestinationem B. M. V., esse causam *secundam* praedestinationis nostrae, eo quia causa prima et *principalis* est praedestinatio Christi.

2) Cum vero dicimus praedestinationem B. M. V. esse *causam* secundam praedestinationis nostrae, nolumus intelligere ipsam esse *causam divini actus praedestinativi* electorum ad gloriam, eo quia totum ens divinum est *a se* et cau-

e viver per loro. Quanto più ciò faremo, e tanto più saremo nell'ordine e nella verità. Non è mai troppo viver sotto l'assoluta dipendenza di *Gesù* e di *Maria*.

« Pieno di questi santi pensieri, il Venerabile Abate di Brentonvilliers, primo successore di M. Oliver al Seminario di S. Sulpizio, deponeva tutto il suo danaro ai piedi di una statua della Madonna (che si conserva tutt'ora al Seminario d'Issy); egli non si permetteva mai una spesa, per minima che fosse, senza prima dimandare, in ginocchio, il permesso alla SS. Vergine ed al Bambin Gesù, ritenendosi non come proprietario della sua ricchezza, ma come l'amministratore ed il povero piccolo servo del solo Padrone *Gesù Cristo* e della sola Padrona d'ogni cosa.

« Io prego il buon lettore di penetrarsi bene della fondamentale verità esposta in questi due primi capitoli (cioè, che il mondo non esiste che per Gesù e per Maria). Troppo poco si pensa a queste cose tanto elevate, e per quanto esse siano assolutamente vere e molto semplici, sembrano a prima vista strane. Ma riflettendoci bene, innanzi a Dio, e facendole ben penetrare nel nostro spirito e nel nostro cuore, noi vi attingeremo delle grandi gioie e dei grandissimi lumi » (o. c., pp. 13-14).

[1] Cfr Buron Cl., O. E. S. A., *Causalidad de María en nuestra predestinación, según el P. Bartolomé de los Rios*, in *Estudios Marianos*, I (1942) 285-224.

sam non habet; attamen, hoc non obstante, datur *libera terminatio*, ex parte Dei, ad obiectum volitum, et etiam aliqua *ratio* sic terminandi. Hoc sensu ergo, praedestinatio B. M. V. (sicut et praedestinatio Christi) dicitur *causa* id est *ratio* praedestinationis aliorum.

3) Hisce determinatis, duo in propositione quaeruntur: *a*) utrum praedestinatio B. M. V. sit in Deo causa secunda seu ratio praedestinandi electos saltem vage et *indeterminate*, i. e. praescindendo ab illis in individuo et determinate sumptis; *b*) utrum causalitas praedestinationis eius sese extendat etiam quantum ad electionem *comparativam* unius prae alio, praecisive tamen sumpta ab alio derelicto.

Prob. I. pars: I. Auctoritate: I. S. SCRIPTURAE: B. Virgini accommodatur illud Eccli., 24, 5: «Ego ex ore altissimi prodivi, *primogenita* ante omnem creaturam». Iamvero, B. Virgo talis (i. e. primogenita) est non solum dignitate vel magnitudine gloriae, sed etiam *causalitate*, saltem vage et indeterminate, eo quia primum in aliquo genere est quodammodo causa caetorum qui sunt in illo genere. Si ergo B. Virgo dicitur prima inter omnes filios Dei adoptivos et electos, erit etiam quodammodo causa electorum. Omnia enim, propter Christum et Mariam, prout in articulo praecedenti vidimus, creata fuerunt.

II. PATRUM: *a*) *S. Irenaeus* vocat Mariam «Causam salutis sibi et universo generi humano» (*Adv. haer.*, l. III, c. 33, n. 4, PG 7, 959); *b*) *S. Ioannes Damascenus* illam vocat Causam bonorum omnium (Orat. 1 *De Dormitione B. M. V.*, PG 96, 705 s.); *c*) *Georgius Nicomediensis* B. V. appellat «praesentis pariter ac futurae laetitiae conciliatricem» (Or. 3 *de Concept. Deip.*, PG 100, 1397); *d*) *S. Albertus M.* «Causam beatitudinis beatorum» (in *Postilla* sup. cap. I Luc.), et etiam «causam omnibus salvandi» (super *Missus est*, cap. 39), et tandem «Matrem angelorum in esse gloriae» (ibid., c. 182). Cfr. I. MARRACCI in *Polyanthea Mariana*).

II. Ratione: vera Mater Christi, est causa saltem *mediata* omnis boni quod est per Christum, et ideo etiam praedestinationis electorum. Atqui B. V. est vera Mater Christi. Ergo ... Iure ergo cum AUSBERTO dicere possumus: «Multitudo electorum cum Christo in utero Virginis praedestinata descendit» (ap. VIEGAS, in *Comm.* 3 *Apoc.*, tom. 2, sect. 5).

Prob. II. pars: I. Auctoritate: PATRUM ET SCRIPTORUM: *a*) *S. Germanus Const.* B. Virginem sic alloquitur: «*Nullus* enim, nisi per Te, o Sanctissima, salutem consequitur» (*Serm. de Zona B. V.*, PG 98, 380). *b*) *S. Anselmus Cant.*: «Sicut impossibile est, quod illi, a quibus Virgo Maria oculos misericordiae suae avertit, salvi fiant, ita necessarium est quod hi, ad quos convertit

oculos suos pro eis advocans, iustificentur et glorificentur ». (Orat. 52, PL 158, 956). *c*) *Auctor Psalterii Mariani*: « Quem tu vis, o Virgo, salvus erit, et a quo avertis faciem, ibit in interitum ». « Eodem tono — animadvertit SEDLMAYR in l. c., p. 803 — loquuntur alii Patres, et hoc modo aperte indicant electionem comparativam unius prae alio praecisive sumpto, quia illi sunt electi, quos Maria Virgo respicit misericordiae oculis per applicationem suorum meritorum, et intercessionem, et illi sunt relicti a quibus oculos misericordiae avertit eos relinquendo et ex suis causis in Deo visis non curando, intelligendo nempe eos, qui ipsam in ordine executionis sequuntur; qui vero antecedunt et reprobantur, ideo sunt reprobi, quia merentur, et Deus ex suis causis non utitur meritis Christi et suae Matris ad eos salvandos ». Confirmatur praesens thesis iis omnibus quae dicentur in thesi de B. Virgine distributrice omnium gratiarum.

Iure ergo B. Virgo vocatur *Primiceria praedestinatorum*, non solum quia *prima* in cera (ut fiebat antiquitus) seu in libro vitae in quo electorum nomina ab aeterno inveniuntur, scripta est, sed etiam quia ipsa Virgo *Ceram* ipsam quodammodo subministravit in qua reliqui omnes praedestinati conscriberentur, nimirum, *merita* sua. Imo, Card. *Hugo a S. Caro*, B. Virginem simpliciter vocat *librum vitae*. In ipsa, enim, et per ipsam, tamquam *in forma* (seu in causa exemplari) Deus electos suos praeformavit, sicut in ipsa et per ipsam, tamquam in *Forma*, omnium praedestinatorum caput i. e. Christum, formavit. [1]

II. Ratione. B. Virgo est causa secundaria ubicumque Christus est causa primaria. Atqui Christus est causa *primaria* exemplaris et efficiens praedestinationis omnium electorum. Ergo B. V. est causa *secundaria* exemplaris et efficiens praedestinationis omnium electorum.

Maioris ratio est intimus et indissolubilis nexus inter Christum et Mariam in ipso consilio divino seu in ipso decreto praedestinationis eorumdem. Et ideo talis inter utrumque similitudo intercedit, ut unus speculum alterius appellari possit.

Ad Min. Quod Christus sit causa principalis *exemplaris* praedestinationis omnium electorum, patet ex verbis S. Pauli: « Praedestinavit *conformes* fieri imaginis Filii sui » (Rom., 8, 29). Quod sit etiam causa *efficiens*, ex hoc patet quod quidquid ducit ad salutem ex Christo provenit et Christus, iuxta communem Theologorum sententiam (e. g. Salmaticenses, Godoy, Vasquez, Lessius, Cornelius a Lapide etc.), *meruit* praedestinationem nostram etiam in quantum est comparativa unius prae alio. Iamvero, B. Virgo meruit de congruo quidquid Christus meruit de condigno, et « Cum Christo communem in salute mundi effectum obtinuit » (ARNOLDUS CARNOTENSIS, *De Laud. B. M. V.*, PL 189, 1727).

[1] S. L. GRIGNION DE MONTFORT circa hoc quaedam scripsit theologia simul et pietate referta in op. *La vraie dévotion à la Sainte Vierge*, nn. 29-35.

Cap. VII – UTRUM MARIAE NOMEN AB AETERNO, AB IPSO DEO, PRAEFINITUM SIT.

Prop.: *Mariae nomen ab aeterno, ab ipso Deo, praefinitum fuit, tamquam expressivum dignitatis ad quam praedestinata fuit.*

Prob.: **I. Auctoritate**: Scriptorum Ecclesiae: *a*) *Idiota*, seu Raymundus Iordanus, in libro *De contemplatione Virginis*, cap. 5, scribit: « Dedit tibi, Virgo Maria, tota Trinitas nomen, ut in nomine tuo omne genuflectatur, coelestium, terrestrium et infernorum » (Apud Bourassé, *Summa Aurea*, t. 4, col. 889); *b*) *S. Petrus Canisius*: « Mariae nomen... nec ab homine, sed ab Angelo, ut Matri Domini imponeretur, sanctis eius parentibus, demandatum fuit » (*De Maria, Virgine Incomparabili ...*, Taurini, 1934, p. 1); *c*) *S. Laurentius a Brundusio*: « Neque existimandum est gloriosum hoc Mariae nomen non abundare mysteriis, aut illi non esse divinitus impositum, sicut Christo et Ioanni Baptistae ... » (*Mariale*, Patavii, 1928, p. 177).

II. Ratione: B. Virgo, — ut iam demonstravimus — praedestinata est a Deo ab aeterno, ante omnem creaturam; ergo debuit habere nomen ab aeterno, ante omnem creaturam, eo quia nomina sunt signa intellectuum, et intellectus sunt signa rerum, ut ait Aristoteles (L. *Perih.*, c. 1). Quapropter B. Mariae V. accommodari possunt verba Isaiae: « Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meae recordatus est nominis mei » (49, 1).

Cum ergo Mariae nomen iam ab aeterno praefinitum sit, Deiparae a parentibus eius (15 dies post nativitatem, iuxta morem hebraeorum) *interno Spiritus Sancti instinctu* motis, impositum fuit, quin necessarium sit recurrere ad *specialem revelationem* ipsis per angelos *exterius* factam, maxime cum Scriptura de hac re sileat omnino. Ita Card. Lépicier, o. c., p. 28.

De significatione nominis Mariae

Ratio inquisitionis. Nomina, praesertim a Deo praefinita et imposita, sunt aliqua rerum quibus imponuntur, brevissima *descriptio*, et rerum quidditatem vel proprietatem aliquam exprimunt. Sic, ut animadvertit S. Ambrosius (*Expos. sec. Luc.*, l. II, n. 31, t. 3, col. 46): « Iacob. *Israël* dicitur, quia Deum vidit; sic Dominus noster *Iesus* nominatus est antequam natus, cui non angelus, sed Pater nomen imposuit ». Iure ergo S. Gregorius Nyssenus ait « non solum in *creaturis* Dei magnificentiam apparere, sed etiam in *nominibus* Dei sapientiam demonstrari, qui proprie et ad naturam accommodate singulis rebus ... appellationes aptavit » (L. xii, *contra Eunomium*, PG 45, 1046). Iamvero haec Dei magnificentia et sapientia praesertim in nomine Mariae (post nomen Iesus) apparere

debuit. Et haec est ratio cur quamplurimi, saeculorum decursu, in significationem ineffabilis huius nominis inveniendam sedulo incubuerunt. [1]

Momentum huius inquisitionis. Quamvis tota haec quaestio in explicanda voce versetur, tamen minime otiosa dicenda est, sed potius magni momenti ratione praesertim personae per talem vocem significatae, excelsae Virginis nempe, quae dignitate universa transcendit. Hinc factum est ut quamplurimi Scriptores, sanctitate et doctrina praestantissimi, huius nominis significationi perscrutandae, saeculorum decursu, plurimam navaverint operam. Caeterum, ipsimet inspirati auctores, haud raro nominum significationem personarum illarum de quibus gesta narrantur exponere curant, et ideo eorum exempla nos sequimur.

Variae formae nominis Mariae. Quia variae interpretationes in *forma* huius nominis plerumque nituntur et niti debent, praestat varias eiusdem formas statim exponere. Hae autem formae sunt: *in V. T.*: 1) in textu hebraico = Mirjam; 2) in textu graeco = Mariam; 3) in textu Vulgatae = Maria; *in N. T.*: 1) in textu graeco = Mariam, Maria; 2) in textu Vulgatae = Maria.

Forma *fundamentalis*, ex qua aliae derivantur, est forma hebraica MIRJAM. [2]

In Veteri Test. *una* tantum mulier nomen habuit *Maria*, videlicet soror Moysis, *prophetissa* (Ex. 15, 20) quae a Iudaeis magnam venerationem obtinuit; et forsan ob hanc venerationem factum est ut nulla alia mulier tali nomine vocaretur, quemadmodum inter christianos, primis Ecclesiae saeculis, ob venerationem erga Deiparam, *nulla mulier* Mariae nomen habuit. (Cfr ZORELL, in *Verbum Domini*, 1927, p. 257). Neque obici potest quod in libro I. Paralipomenon (4, 17) legitur: « genuitque *Mariam* ... »; tale nomen, enim, menda videtur textus massoretici, et nomen *viri* loco mulieris videtur esse ponendum, videlicet τὸν Μαρών (iuxta Septuaginta) vel τὸν Μωεώρ (iuxta de La Garde), vel τὸν Μαιών (iuxta Swete). Postea, tamen, rigor huius disciplinae relate ad nomen *Mariae* relaxatus est, ita ut tempore Christi iam plures mulieres Mariae nomine decoratae appareant.

Varietas interpretationum, earumque causae. A seculo I, id est, a tempore Philonis (c. 50 p. C.) philosophi iudaei, qui primus de significatione huius nominis tractasse videtur, usque ad nostrum saec. XX, circiter *septuaginta* sunt interpre-

[1] Cfr praesertim: 1) BARDENHEWER, *Der Name Maria* (*Biblische Studien*, t. 1, pp. 1-161, Freiburg, 1895) ex quo auctores communiter hauriunt; 2) MINOCCHI, *Il nome di Maria*, Firenze, 1897; 3) JANSSENS, *De Verbo Inc.*, p. II, *Mariologia, De Mariae nomine*, p. 209; 4) BECKERMANN, O. S. A., *Verbum Domini*, vol. I (1921), p. 130; 5) LESÊTRE, in *Dictionn. de la Bible, Marie*, vol. IV, coll. 774-76; RAYMUNDUS JORDANUS, in op. *Contemplationes* ... pars IV, in *Summa aurea*, t. 4, coll. 892-896; TROMBELLI I. C., in op. *De cultu publico ab Ecclesia B. Mariae exhibito*, dissert. 21, *Mariae nomen, cultusque illi adhibitus*, in *Summa Aurea*, t. 4, coll. 425-453 GRIMME H., *Der Name Mirjam*, in *Bibl. Zeitschrift*, 7 (1909), 245-261.

[2] Cfr JANSSENS, l. c., pp. 210-212.

tationes a variis auctoribus excogitatae et propositae. Huius varietatis ratio *duplex* assignari potest: *a*) incertitudo circa derivationem huius nominis: quidam enim illud derivari volunt ex lingua Aegyptiaca, alii ex lingua Syriaca, et alii, in maiori numero, ex lingua Hebraica; *b*) pia auctorum sollicitudo inveniendi in ipso praecipua B. Virginis privilegia significata. Et ideo Mariae nomen occasio fuit quam plurima et praeclara de B. Virgine scribendi et praedicandi. [1]

Ordo tractationis. Videndum est I. quaenam fuerint, saeculorum decursu, praecipuae interpretationes nominis Mariae; II. Quid de illis sentiendum sit.

I. Praecipuae interpretationes saeculorum decursu. Perspicuitatis gratia, triplex aetas distingui potest: I. a saec. I usque ad saec. V, seu a Philone usque ad S. Hieronymum; II. a saec. V usque ad saec. XVI, seu a S. Hieronymo usque ad editionem Polyglottorum Complutensium (1514-1522); III. a saec. XVI usque ad dies nostros.

1 – A saec. I usque ad saec. V

1. **Philo** († c. 50 p. C.), nomen « Mirjam » interpretatus est « spes », congruenter non quidem *etymologiae* nominis, sed *contextui* narrationis de Moyse exposito, et praesertim verbis illis: « stante procul sorore eius, et considerante eventum rei » (Ex., 2, 4). [2] At interpretatio haec, ut patet, sustineri non potest, eo quia fundatur non in ipso nomine, sed in sola allegorica et arbitraria interpretatione alicuius *actionis* sororis Moysis. Hebraice *spes* dicitur *môras*, et ab hac voce violenter omnino deduceretur *mirjâm*.

2. **Rabbini veteres,** [3] unanimiter dixerunt *Mirjam*, significare *amaritudinem*, et radicem repetunt a verbo *marar* quod vertitur « amarum est », et ex quo formata est vox « mar » quae significat « amaritudo ». *Ratio* vero ob quam tale nomen sorori Moysis impositum fuisset sita est in circumstantiis temporis in quibus eidem impositum fuit, tempore videlicet in quo Aegyptii Hebraeos opprimebant et « ad *amaritudinem* perducebant vitam eorum ». Sed neque haec interpretatio, ut videtur, sustineri potest: *a*) quia negligitur secunda pars nominis i. e. « jam », et consideratur tantummodo prima pars i. e. « mar »; *b*) quia nullo modo constat sorori Moysis tale nomen ex amaritudine temporum impositum fuisse; Scriptura, enim, nominum allusiones, quando revera habentur, exprimere solet, e. g. in Ex., 15, 23, de ipsa voce *Mara* dicit: « Unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illud *Mara*, id est, *amaritudinem* ».

[1] Iure scribit Lagrange: « de toute façon les efforts des anciens exégètes sont un monument de dévotion envers Marie » (*S. Luc.* p. 27).

[2] Cfr *De somn.*, 2, 20.

[3] Cfr *Pesikthi rabbathi*, notissima collectio homiliarum.

3. **Scriptores graeci** in antiquissimo [1] opere « Onomastica Sacra » [2] in quo nomina propria de quibus in S. Scriptura fit mentio, collecta et explicata inveniuntur, *sex principales interpretationes* nominis Mariae nobis exhibent, videlicet: 1) mare amarum, 2) myrrha maris; 3) illuminans vel illuminata, 4) Domina, 5) Mater Domini, 6) Sigillum Domini. Aliquid dicendum est de singulis.

1) Interpretatio MARE AMARUM deducitur a duplici vocabulo: *mar* (= amarum) et ex vocabulo *jam* (= mare); videtur ergo prae oculis habuisse vocem *Mariam* non vero Mirjâm. Et bene quidem *mare amarum* B.Virgo vocata esset; *mare* quidem, quia est Oceanum omnium gratiarum, virtutum et donorum Spiritus S.; *amarum* propter dolores ineffabiles quos passa est praesertim sub Cruce Nati, quibus nos corredemit, prout scripsit S. Bonaventura: « Maria *mare* est gratiis affluendo et *amara* Filio compatiendo ». (In Matth.).

At, observari potest quod haec interpretatio est contra indolem linguae hebraicae; hebraice enim « amarum mare » reddendum esset per *jâm mar*, non vero per *mar jâm*.

2) Interpretatio MYRRHA MARIS deducitur ex vocabulo *mor* (= myrrha) et ex vocabulo *jam* (= mare). At, observari potest quod *myrrha* fructus est arboris, non vero maris.

3) Interpretatio ILLUMINANS VEL ILLUMINATA ducitur ex vocabulo *'ôr* (= fulgere), vel ex *râ'âh* (= videre) ex quo habetur *mar'eh* (= videre faciens, vel eos videntes reddere). Et bene quidem tali modo significata esset B. Virgo, quae a *Patre* luminum *tot luminibus* ditata est quot virtutibus floruit; quae *Filio*, iustitiae sole, amicta fuit; quae a *Spiritu S.* in ipsa superveniente mirabiliter fecundata est. Insuper, illuminavit lucem veram edendo « quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », et virtutibus suis iter ad coelum comnibus demonstrando.

At, observari potest quod interpretatio haec nimiam violentiam vocibus a quibus deducitur, infert.

4) Interpretatio DOMINA deducitur ex vocabulo aramaico *mârê* (= domina). Et bene quidem B. Virgo *Domina* vocata fuisset, eo quia, utpote coeli et terrae Regina, in omnia dominium habet.

At contra hanc interpretationem observari potest: *a*) quod forma antiquior nominis Mariae, est *Mirjâm*, non vero *Mariam* (quae deduceretur ex voc. *mârê*); *b*) insuper, vox *mârê*, ex qua deducitur haec etymologia, non est vox hebraica sed aramaica, et aramaice significat « dominus » non « domina »; *domina*, enim, aramaice dicitur *martha*.

5) Interpretatio MATER DOMINI vel DOMINUS EX GENERE MEO deducitur ex *iah* (= Deus) et ex *Mar* (quod ex radice *harah*, significat *generare*). Et bene quidem tale nomen *Deiparae* impositum fuisset. Ita VEGA (o. c., Lugduni, 1653, p. II, p. 95).

At observari potest: *a*) quod vox *mar* praemissa voci *jah*, insolita est; *b*) insuper, etiam haec etymologia procedit ex *Marjah*, non vero ex antiquiori forma *Mirjâm*.

6) Interpretatio SIGILLUM DOMINI deducitur ex vocabulo persico *muh* vel *muhur* (= sigillum) et ex *jah* (= Dominus). Sed etiam haec derivatio nimis violenta videtur.

[1] Etenim, iam suo tempore Origenes, linguae hebraicae ignarus, ad huiusmodi opus alludebat (Cfr fragmenta *Comm. in Ioannem*, t. 2, c. 27, PG 14, 172; in *Gen.*, homil 12, 4, PG 12, 677). Opus *Onomastica sacra* a SIEGFRID (*Philo v. Alex. als Ausleger des Alt. Test.*, Iena, 1875, p. 365) ipsi Philoni tribuitur.

[2] Cfr *Onomastica sacra*, p. 95, ed. PAULI DE LAGARDE, Gottingae, 1887.

Scriptores *Graeci* posteriores, ut Ps. Gregorius Thaum., S. Epiphanius, S. Ioannes Dam., Teophylactes Acridensis repetunt plerumque unam vel plures ex sex interpretationibus iam expositis. Solummodo Nicephorus Callisti aliam interpretationem suggerit, videlicet DONUM, *δῶρον* ex vocabulo syriaco *rûm*, asserens *Annam* imposuisse B. Virgini nomen *Maria* ad significandum Deum esse gratiae datorem (*Hist. Eccl.* 1, 7, PG 145, 652). Et reapse in *Syrorum* libris nomen Mariae frequenter interpretatur « donum, donum Dei ». Sed etiam haec interpretatio, quae tamen bene B. Virgini aptatur, non tam obvia videtur.

4. **Scriptores latini** praecipui, circa hoc, sunt S. Ambrosius et S. Hieronymus.

1) S. Ambrosius in opere « De institutione virginis et S. Mariae virginitate perpetua ad Eusebium » scripsit: « Speciale Maria (sic) Domini hoc nomen invenit quod significat: *Deus ex genere meo* ». Et addit: « dictae sunt et antea Mariae multae; nam et Maria soror Aaron dicta fuit; sed illa Maria *amaritudo maris* vocabatur » (PL 16, 328). Aliter ergo S. Ambrosius Mariae nomen explicat de de B. Virgine ac de sorore Moysis.

2) S. Hieronymus in celebri opere « Liber interpretationis hebraicorum nominum » (a quo omnes auctores Latini usque ad saec. XVI, mediate vel immediate hauserunt) quater de Mariae nomine loquitur. In fragmento de Evangelio Matthaei (1, 16) scribit: « Mariam plerique aestimant interpretari *illuminant me isti*, vel *illuminatrix*, vel *smyrna maris*. Sed mihi nequaquam videtur. Melius est autem ut dicamus sonare eam *stellam maris* sive *amarum mare*. Sciendum est quod Maria sermone syro (= aramaico) *domina* nuncupatur ». Idem dicit in aliis tribus locis. S. Hieronymus, ergo, novam interpretationem dat, videlicet: *stella maris*, quae interpretatio, inde a S. Hieronymo, praecipua efficitur.

Attamen, iure critici hodierni dubium movent utrum S. Hieronymus scripserit *Stella maris* vel potius *stilla maris*. Etenim: *a*) nullum cognoscitur hebraicum nomen quod significet *stellam* ex quo etymon *Maria* vel a longe deduci possit; et S. Hieronymus, cum opus suum scribebat (c. 390) linguam hebraicam iam bene callebat; *b*) vox *stilla* relationem intimam habet cum interpretatione *amarum mare*, quae relatio ab ipso S. Hieronymo indicata videtur per particulam *sive*; *c*) in codice Bambergensi legitur « *stilla* »; *d*) haud raro — ut iam monebat Quintilianus (*Instit. orat.*, I, 4, 17) — *e* dictum est *i*, et e converso (e. g. Vergilium, Virgilium etc.). Ob has rationes merito multi putant S. Hieronymum scripsisse non « *stellam maris* » sed « *stillam maris* ».

2. A saec. V usque ad saec. XVI

Durante hac secunda periodo, nulla nova interpretatio proposita est ab illis iam expositis diversa, sed modo una, modo alia vel plures, vel etiam omnes a scriptoribus rursus propositae fuerunt.

Tres vero interpretationes, inter omnes, magis vulgatae apparent, videlicet: « *illuminatrix*, *domina*, et *stella maris* ». Has tres interpretationes adhibent Eucherius Lug-

dunensis (c. † 735), Valaphridus Strabo († 849), Rabanus Maurus etc. ... Imo, opera vulgatissimi hymni « *Ave, Maris stella* » (de cuius auctore disputatur utrum sit Venantius Fortunatus, S. Bernardus vel Robertus II) communissima evasit interpretatio « stella maris ». Hanc solam interpretationem admiserunt, inter alios, Notkerus Balbulus († 912), S. Petrus Damianus († 1072), Innocentius III († 1216), Hincmarus Rem., et praesertim S. BERNARDUS cuius pulcherrima homilia 2. super *Missus est*, omnibus nota est.

Ab hoc tempore laudes nominis B. Virginis multiplicantur, et scriptores, in hoc nomine interpretando, ad minutissima quaeque descendunt i. e. ad interpretandas et accommodandas, piis ludis, *singulas* litteras huius nominis, prout videre est, e. g., apud CAESARIUM DE HEISTERBACH. [1] (Cfr SEDLMAYR, o. c., q.12, art. 4: « an et quid quinque litterae SS. Nominis Mariae significent »).

Etiam DOCTORES SCHOLASTICI, ut S. Albertus M., Richardus a S. Laurentio, etc. explicationes iam usu receptas adhibuerunt. S. Thomas ad tres etymologias se refert, videlicet: « illuminatrix, domina, stella maris » (cfr *Expositio super Angelica salutatione*, cap. 6, 7, 8). S. Bonaventura etiam ad tres significationes alludit, videlicet: « mare amarum, stella, domina » (*Comment. Luc.*, 1, 17).

3. A saec. XVI usque ad dies nostros

1) Post renovata hebraica studia, in POLYGLOTTIS COMPLUTENSIBUS, praeter quasdam ex veteribus interpretationibus (amaritudinis mare, myrrha maris), *duplex nova interpretatio* proponitur, videlicet: « *magistra* sive *doctrix maris*, et *exaltata* ». (*Ad Matth.*, 1, etc.; *Onom. alphab.*). Duplex haec interpretatio,

[1] Iuxta Scriptorem istum, ingeniosum sane, sed ultra discretionis limites, in Mariae nomine a) *tres sillabae* figurant SS. Trinitatem, b) *quinque litterae* legem Mosaicam, ob Pentateuchum, c) *litterae cum syllabis* (5, 3) octo beatitudines; d) *quinque litterae per tres syllabas ductae*, quindecim psalmi poenitentiales, e) *quinque litterae cum partibus eiusdem numeri* (5+1+2+3+4) quindecim annos Ezechiae regis qui meruit per adauctam sibi vitam fieri proavus Christi; f) *numerus litterarum in syllabis* (2, 2, 1) significat Mariam ante Legem agnitam fuisse a iustis et a patriarchis, sub Lege a prophetis et regibus, sub gratia autem nonnisi ab Ecclesia; g) *litterae M* et *I* quae habent in latina lingua valorem etiam numericum, significant Mariae plenitudinem gratiarum excedere omnibus aliis sanctis et ante et post se merito supereminere: h) *positio utriusque litterae* i. e. *I post M*, significat Mariam esse altissimo sensu Reginam et non pertinere ad illas uxores quasi reginas septingentas et concubinas trecentas, quas Salomon habuisse narratur (*3 Reg.*. 11, 3); i) *In numero qui obtinetur per valorem litterarum graecarum* id est 152 (40+1+100+10+1 = 152) 100 significat integritatem corporis B. M. V., est enim in parabola numerus virginitatis, 50 significat puritatem animae cuius symbolum est Pentecosten; 2, duplicem charitatem, Dei nempe et proximi. Nec his contentus, ingeniosissimus scriptor pulcherrimas composuit sententias quinque verborum, quarum primae litterae ex ordine Mariae nomen efformant, uti, e. g.: *Mater Alma Redemptoris, Incentivum Amoris*; et *Matre Anna Radice Iesse Adorta* etc. etc. Alios huiusmodi pios lusus videas, si vis, apud BARDENHEWER, o. c., pp. 97 ss.

inde ab anno 1593, in Bibliis Vulgatae editionis receptae fuerunt et adhuc in *Bibliis* nostris latinis recipiuntur.

2) Eodem saec. XVI, S. PETRUS CANISIUS, aliis nervose depulsis, amplexus est interpretationem Complutensium: « exaltata », deducens vocem *Mirjam* a radice *ram* (= eminuit). « Mariam, ergo, — scribit — sic enim dicitur syriace ... est *excelsa*, *sublimis* atque *eminens*: quod etymon optime tam e linguae ratione, quam ex merito per gratiam SS. Virgini convenit » (*De locis S. Script. hebraicis*, Antverp. 1600, p. 63 sq.). Refellit insuper Novatorum opiniones dicentium « Maria » significare « guttulam aquae » (Lutherus), aut « miseria » (Strigellius). Affirmat Maria deduci posse etiam ex verbo « marah » quod significat « rebellio ». Ipse tamen magis adhaeret interpretationi « domina, maris domina ».

3) CHRISTOPHORUS VEGA S. I., in sua *Theol. Mariana*, duplicem aliam interpretationem excogitavit, videlicet: « domina diei » et « domina cribri ».

4) Saeculo XVIII ineunte, MATTHAEUS HILLER, dixit nomen « Mariae » deduci debere ex verbo *marah*, ex quo deinde venit *Meri* = rebellio, contumacia; *am* dicit esse suffixum intensivum et denominativum: Mirjam ergo idem esset ac *contumax*, *rebellis*. Contra hanc interpretationem nihil philologice opponi potest; et bene B. Virgini applicari potest per respectum ad diaboli potestatem a quo praeservata nos liberavit.

5) Saec. XIX ineunte, GESENIUS (inter lexicographos linguae hebraicae facile princeps), antea (a. 1812) putavit *Mirjam* significare *contumaciam eorum*; postea vero (a. 1840) opinioni Hillerii adhaesit.

6) OTTO BARDENHEWER (post Fürst, Gildemeister et Schäfer), tenet nomen *Maria* provenire a verbo *mara'*, quod significat « pinguis, sive saginatus est » et a suffixo denominativo *am*. Cum vero, iuxta Orientalium gustum, ad *pulchritudinem* habendam *corpulentia* requiratur, ideo vocabulum hoc de muliere dictum, idem est ac « pulchra ».

Huic sententiae adhaerent LESÊTRE, JANSSENS, « eo quia non modo convenit nomini mulieris in genere, sed et respondet plenissime archetypo B. M. Virginis, cuius pulchritudinem superius celebravimus. Imo in sensu spirituali exprimit eloquenter illam gratiae plenitudinem et pinguedinem, qua Filius Matrem cumulatam voluit ... Hac igitur interpretatione admissa, Sponsus Cantici, per verba "Tota pulchra es", significavit nomen archetypi Sponsae; et Angelus Gabriel Virginem salutans: "Ave, gratia plena" nonnisi exhibuit altius etymon nominis eius: "Gratia plena" enim praesignificatur per *Mirjam*. Ob has igitur rationes — concludit Janssens — ista etymologia nobis arridet, quin tamen contendere velimus, ex hinc problema a tot saeculis eruditos torquens, certam solutionem invenisse » (o. c., p. 224).

Contra hanc interpretationem animadvertere possumus cum P. Beckermann (l. c., p. 135): *a*) vox *mara* numquam in S. Scriptura adhibetur ad significandum aliquid *pulchri*; *b*) gratis, insuper, asseritur Orientales notionem pulchri cum

pinguedine coniunxisse; *c*) Hebraei alias habebant voces quibus « pulchra » pulchrius et aptius exprimere potuissent.

7) P. Bover S. I. (in *Verbum Domini*, vol. IV [1924], p. 333), conatus est invenire in Cantico Zachariae (*Lc.*, 1, 68-79) confirmationem interpretationis « illuminatrix » et similia; sed rationes videntur nimis a longe petitae et fere nullius roboris.

8) P. Franciscus Zorell S. I. (a. 1911) novam invexit hypothesim, iuxta quam nomen Mariae partim ex aegyptiaco sermone, partim vero ex hebraeo sermone sumptum esset. Componeretur, ergo, ex *mry*, quod est participium perfectum passivum radicis aegyptiacae *mr* (= amare) et valet *amata*; et ex *jam*, quod stat pro *jahu* (sicut in nomine *Abiam pro Abi-iahu*) et hebraice significat *Deus*. Maria, igitur, idem esset ac « amata a Deo », Θεόφιλος, germanice *Gottlieb*.

Quid sentiendum sit

Est difficile dictu. De variis enim opinionibus, praesertim recentioribus, hoc unum cum certitudine dicere valemus, quod nulla, cum certitudine, ut vera haberi potest.

Probabiliores, tamen, prout apparet ex dictis, videntur interpretationes sequentes: 1) *pulchra* (prout vult Bardenhewer); 2) *amaritudo* (prout vult Minocchi); 3) *rebellio* (prout vult Hiller); 4) *illuminatrix* (prout vult P. Lagrange); 5) *dilecta a Deo* (prout vult P. Zorell). Quapropter iure cum S. Laurentio a Brundusio exclamare possumus: « Quantas divitias, quales thesauros intra se reconditos tenet hoc Mariae ineffabile et, ut ita dicam, incomprehensibile nomen! » (*Mariale*, serm. 3, p. 179).

Nobis, autem, probabilissima, ne dicamus certa, videtur interpretatio P. Zorell, ob sequentes rationes:

a) Nomen *Maria* probabilissime est originis aegyptiacae; nomen enim Aaron hebraice explicari non potest; et nomen Moysis ipsi a Filia Pharaonis impositum fuit. Ergo et nomen Mariae originis aegyptiacae sat probabiliter fuit. Eo vel magis quod si nomen Mariae fuisset originis hebraicae, frequentius adhibitum fuisset in V. T., in quo — uti diximus — tantummodo sorori Moysis impositum fuit, tempore ergo, quo Hebraei in Aegypto morabantur.

b) « Vix dubium est — animadvertit P. Zorell in *Verbum Domini*, 1926, p. 257 — quin B. Maria Virgo nomen suum a parentibus inditum acceperit in honorem magnae illius in Veteri Testamento Mariae, sororis Moysis et Aaron... Probabiliter desiderium nanciscendi populo Israël alteram eiusmodi Mariam, prophetissam divinitus illustratam, ductricem plebis in venturum Regnum Dei, sanctos Ioachim et Annam, prout parentes Mariae Magdalenae, parentes Mariae Matris S. Marci impulit, ut filias suas hoc nomine appellarent.

« Ipsum illud nomen primae Mariae, sororis Moysis et Aaron, speciem prae se fert multorum illorum in Aegypto usitatorum nominum masculinorum vel femininorum, quae a participio *meri* vel *mari* « amatus, amata » incipiebant et in nomen alicuius dei deaeve desinebant (ut *Meri-Ra*, *Meri-Amun*, *Meri-Ptah* etc.); nec improbabile est Israelitas, tamdiu in Aegypto commoratos, similia sibi nomina formasse ... Si ita est, nomen *Mariam* videtur explicari posse ut *Meri-Jam*, « a Jahve amata ». Hoc erat nomen pium, magna portendens, promittens, monens ».

c) In hac interpretatione salvatur aliquomodo forma fundamentalis: « *Myriam* ».

d) Angelus Gabriel loco dicendi: « Ave, Maria », dixit: « Ave, gratia plena ». *Maria* ergo idem est ac « gratia plena », et « gratia plena » est veluti nomen Virginis proprium. Et reapse gratia nihil aliud est nisi effectus *dilectionis* Dei in ordine supernaturali. Ergo esse « gratia plenam » per antonomasiam idem est ac esse « dilectam a Deo » per antonomasiam.

e) Interpretatio *dilecta a Deo* mire concordat cum mirabili illo dilectionis mysterio, quale est electorum *praedestinatio* (in qua *electio* ex *dilectione* procedit) in genere, et cum praedestinatione B. M. Virginis in specie in qua B. Virgo, a tota aeternitate, magis quam quaecumque alia creatura, *a Deo dilecta* apparet, et *sola* fuit, inter omnes creaturas rationales, quae Deo *semper* placuit, quam Deus *numquam* odio habuit sed *semper dilexit*. Et haec singularis Dei dilectio erga ipsam, ratio fuit existentiae, missionis, gratiarum et omnium privilegiorum eius, i. e., ratio fuit *Mariae*.

Conclusio. « Totis ergo medullis cordium » te, Mariam, seu *dilectam a Deo* invocamus! « Tantae (enim) virtutis et excellentiae est tuum sanctissimum nomen, beatissima virgo Maria, quod ad invocationem ipsius caelum ridet, terra laetatur, angeli congaudent, daemones contremiscunt et infernus turbatur. Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit et penetrat duritiam cordis humani » (Raymundus Iordanus, *Contempl. de B. V. M.*, p. IV, Parisiis, 1654, p. 256).

« Rite igitur — concludit Card. Lépicier, o. c., p. 31 — nomen Mariae ut sacramentale quoddam habetur, quia prolatum vel scriptum, *quasi ex opere operato*, miros effectus producit. Nimirum, sicut sacramentalia quodammodo instrumentaliter operantur ad effectus supernaturales producendos, ita etiam sanctissima Nomina Iesu et Mariae, a fidelibus pie invocata, vim habent ad excitandos pios motus in anima; unde in eorum honorem specialia festa sunt ab Ecclesia instituta. Quinimmo, ut habet S. Anselmus, *velocior est nonnumquam nostra salus memorato Nomine* (*Mariae*) *quam invocato Nomine Domini Iesu unici Filii sui*: non quod Maria sit Christo potentior, sed quia invocatum tenerissimae Matris nomen amantem Filium ad misericordiam suavi necessitudine flectit ».

SECTIO SECUNDA

DE PROPHETIIS SINGULAREM B. M. VIRGINIS MISSIONEM PRAENUNCIANTIBUS

Ratio quaestionis. Singularissima B. M. Virginis missio ad quam praedestinata est, cum sit ineffabile quoddam mysterium humanam rationem transcendens, convenientissime a Deo, inde a mundi primordiis, mediantibus prophetiis manifestata est.

Postquam igitur B. Virginem in aeterno praedestinationis decreto consideravimus, pronum est ut in variis manifestationibus huius decreti illam consideremus, de prophetiis, figuris et symbolis eiusdem disserendo.

Divisio quaestionis. De prophetiis, figuris et symbolis B. M. Virginis agendum est sive *in genere*, sive *in specie*.

Cap. I – DE PROPHETIIS, FIGURIS ET SYMBOLIS B. M. V. IN GENERE

Quid sint prophetiae, figurae et symbola. 1) Nomine *prophetiae* intelligimus hic praedictionem rei futurae et naturaliter incognoscibilis; 2) Nomine *figurarum* (vel typorum) intelligimus *personas* quae typi fuerunt B. M. Virginis; 3) Nomine tandem *symbolorum*, intelligimus *res* quae B. Virginem aliquo modo repraesentarunt.

Ratio quaestionis. Scite animadvertit P. Passaglia: « Mutuus rerum habitus rectusque inquisitionis ordo postulare videntur, ne prius de typis symbolisque ex iudicio maiorum ad Deiparam pertinentibus *speciatim* disseratur, quam ipsorum mens atque sententia de iisdem typis symbolisque ad eam referendis *generatim* acceptos versaretur, nisi in *universum* antea constaret visum esse Patribus ea in Scripturis reperiri, quae veluti typi ac symbola Deiparae merito censeantur » (*De immaculato Deip. semper Virginis conceptu*, Neapoli, 1854-55, vol. I, p. 226). Logice ergo, antequam agamus de prophetiis et praesertim de figuris et symbolis, *in specie*, praemittimus quaestionem de prophetiis et praesertim de figuris (seu typis et symbolis) in *genere*.

Prop.: *B. Virgo, et quidem convenientissime, fuit in variis* PROPHETIIS *praenuntiata et in diversis* FIGURIS *et* SYMBOLIS *adumbrata.*

Prob.: I. **Auctoritate Patrum**: *A*) QUOAD PROPHETIAS: *de facto*, ut videbimus, plures prophetiae ad B. Virginem referuntur. Patres vero id diserte testantur.

S. EPHRAEM scripsit: « Omnes prophetae in libris suis te depinxerunt » (Cfr LAMY, 2, 588).

B. Virgo vocatur « prophetarum acclamatio, divinorum oraculorum adimpletio » (IACOBUS MONACHUS, *Orat. in Deip. nativ.*, p. 1254, apud COMBEFISIUM, *Auctar.*, t. 1), « prophetarum omnium ... gloriatio » (S. ANDREAS CRETENSIS, *Orat. in Deip. Annuntiat.*, p. 103 A., apud Gallandium t. 13); « prophetarum impletio », « prophetarum speculum et rerum ab ipsis praenunciatarum exitus » (S. TARASIUS, *in Deiparae praesentatione*, PG, 98, 1491), « Prophetae per Spiritum praenuntiaverunt » (S. IOANNES DAMASCENUS, *In dormit. Deiparae*, PG 96, 704A); « cuius praeludia lex et prophetae omnes insolitis modis praenuntiaverunt, gloriamque eius praeoccupante oculo visam praemonstrarunt » (PETRUS SICULUS, *Hist. manich*, n. 5, p. 8, apud MAI in *Nova PP. Biblioth. graeco lat.*, t. 2); « Domini porta, quam iustissimi plerique omnes praenunciarunt ». (*In Antholog.*, die 17 ian. p. 336 col. 1-D). Idem passim in ecclesiasticis hymnis Armenorum, Coptorum, Syrorum et s. Ephraemi. « Veteris et Novi Testamenti obsignatio, totius prophetiae perspicua plenitudo » (S. GERMANUS, *Orat. in Deip. nativ.*, p. 1310, A-C apud COMBEFISIUM, *Auctar.*, t. 1). Concludere ergo possumus cum CRYSIPPO HIEROSOL.: « Nos autem peropportunum est modo ut plurimarum prophetiarum faustas acclamationes illi adscribamus et dedicemus » (*Orat. de laud. Virginis*, p. 425, C-E., *Biblioth. graeco-lat.*, t. 2). Vere B. V. est « a prophetis promissa » (S. BERNARDUS, super *Missus est*, n. 4, PL 183, 63).

B) QUOAD FIGURAS (seu typos) ET SYMBOLA. S. Paulus affirmat Vetus Testamentum *figuram* fuisse Novi T.: « Haec ... omnia *in figura* contingebant illis » (1 Cor., 10, 11), et: « Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi » (Coloss., 2, 17). Et ideo multa quae in N. T. evenerunt, a V. T. praefigurata fuerunt. Quod Hebraeorum populo evenit in liberatione a servitute Aegypti, figura fuit eorum quae eventura erant populo Christiano, per Christum a servitute diaboli liberato. Multae ergo personae N. T., et praesertim Christus et B. Virgo, praefiguratae fuerunt in V. T. Ipsemet S. Paulus, et post ipsum Patres, pluries principium hoc adhibuerunt.

II. **Ratione**: *Ex ipsa Matris Dei dignitate.* Quandocumque res aliqua magna et omnino insolita eventura est, *conveniens* est ut mentes hominum paulatim ad illam amplectendam praeparentur et disponantur (ne repentino illius fulgore perterriti, in incredulitatem incidant). Atqui Matris Dei dignitas est res magna

et omnino insolita (eo quia quidquid in creatis rebus magnum et mirabile fingi potest longe antecellit). Ergo conveniens fuit ut mentes hominum, *per prophetias*, *per figuras* et *symbola* paulatim ad illam amplectendam praeparatae et dispositae fuissent. Et ita B. Virgo, non solum est « opus aeterni consilii » sed etiam « negotium omnium saeculorum ».

Cap. II – DE PROPHETIIS IN SPECIE

Tractationis momentum. Prophetiae quae B. Virginem respiciunt, singularem eiusdem magnitudinem nec non peculiarem cultum ei exhibitum mirifice probant. Ita enim B. Virgo, in prophetiis cum Filio suo coniuncta exhibetur, ut quilibet cogatur aut illos simul admittere aut simul reiicere.

Valor autem prophetiae maximus est, ita ut incredulitatem omnium temporum efficaciter confundere valeat. Prophetia enim miraculum ipsum superat, quia nedum prophetia miraculum est (ordinis intellectualis), sed iuge et continuum, imo iugiter crescens ob testes eiusdem iugiter crescentes.

Tractationis divisio. Diserta vaticinia B. Virginem respicentia sunt: I. *Protoevangelium* (Gen., 3, 15); II. Signum Virginis pariturae (Is., 7); III. Vaticinium de radice Iesse (Is., 11); IV. Vaticinium de pariente paritura in Bethlehem (Mich., 5, 2, 3); V. Vaticinium de femina virum circumdatura (Ier., 3, 22); VI. Sponsa Cantici Canticorum.

De singulis hic agimus.

I – DE PROTOEVANGELIO

BIBLIOGRAPHIA

I. Commentarii in genesim:

A) Auctores catholici

Crelier, *La Genèse*, Paris, 1889; Dier C., O. P., *Genesis übersetzt und erklärt*, Paderborn, 1914; Fillion, *La Sainte Bible*, 5e éd., Paris, 1913, vol. I, pp. 32 sq.; Hetzenauer M., *Comm. in Genesim*, Graecii, 1910; Heinisch P., *Das Buch Genesis*, Bonn, 1930; Hoberg G., *Genesis nach dem Literalsinn erklärt*, Freiburg, 1908; Hummelauer F. von, *Comm. in Genesim*, Parisiis, 1805; Murillo M., *El Génesis* (Inst. Bibl.), Romae, 1914; Neteler B., *Das Buch Genesis*, Münster, 1915; Rijckmans, *Het Boek Genesis*, Brugge, 1927; Sales M., *La Sacra Bibbia commentata*. Il Vecchio Test., t. I, Genesi ecc., Torino, 1919.

B) Auctores acatholici:

Delitzsch Franz, *Neuer Kommentar über die Genesis*, Leipzig, 1887; Dillmann A., *Genesis*, 1892; Driver S. R., *Genesis* (*Westminster Commentaries*), London, 1911; Gunkel H., *Handkommentar zum A. T., Genesis*, Göttingen, 1922; Holzinger H., *Kurzer Hand Kommentar zum A. T., Genesis*, Freiburgi, 898; König E., *Die Genesis*

eingeleitet, übersetzt und erklärt, Gütersloh, 1925; PROCKSCH O., *Die Genesis übersetzt und erklärt (Kommentar zum A. T.* von E. SELLIN), Leipzig, 1924; RYLE H. E., *The Book of Genesis*, Cambridge, 1914; SKINNER I., *The international Critical Commentary. Genesis*, Edinburgh, 1910. STRACK H. L., *Kurzgefasster Kommentar zu den hl. Schriften A. und N. T., Genesis*, München, 1905.

II. *Commentarii in protoevangelium:*

CEUPPENS F., *De Protoevangelio*, Romae, 1932; CORLUY, *Spicilegium Dogmatico-Biblicum, De Protoevangelio*, Gandavi, I, 1884, pp. 347-372; DE JONGHE M., *De Protoevangelio*, in *Collationes Brugenses*, 29 (1929) 433-439; ENGELKEMPER W., *Das Protoevangelium*, in *Verbum Domini*, 20 (1940), 139; PANADÈS, *La Virgen María en el libro del Génesis*, in *Certamen Público de 1916 Nuestra Señora de Queralt*, (s. l.), pp. 49-93; RINIERI I., *La donna del Protoevangelo*, in *Scuola Cattolica*, 4 s., 21 (1912), 160-169; 358-365; TRINIDAD L., *Quomodo praenuntietur Maria in Gen.*, 3, 15. in *Verbum Domini*, 353; WILLEMS, *Das Protoevangelium*, in *Pastor Bonus*, 23 (1910-11) 129-137).

III. *Studia particularia circa protoevangelium.*

ARENDT, *De Protoevangelii habitudine ad Immaculatam Deiparae conceptionem*, Romae, 1904; BICARRO, *Purissimae Virginis Mariae Dei Gen. conceptus quomodo immaculatus biblico testimonio statuendus*, Venetiis 1850, in collectione *Pareri dell'Episcopato Cattolico* ..., Roma, 1852, vol. 7, pp. LXXI-CXXIV; BOVER I., *Universalis B. Virginis Mediatio ex Protoevangelio (Gen. 3, 15) demonstrata*, in *Gregorianum*, 5 (1924), 569-583; BREMER, *Die unbefleckte Empfängnis und die erste Prophezeiung der Erlösung*, in *Theologisch-praktische Quartalschrift*, a. 1904, pp. 752-773; CAROL I., *Utrum B. Virginis Corredemptio sit in S. Scriptura formaliter revelata*, in *Marianum*, 1 (1939), 283-321; DREWNIAK L., *Die Mariologische Deutung von Gen. 3, 15 in der Vaterzeit*, Breslau, 1934; FLUNK, *Das Protoevangelium (Gen. 3, 15) und seine Beziehung zum Dogma der unbefleckten Empfängnis Marias*, in *Zeitschr. für Kath. Theol.* 28 (1904), 641-671; LEGNANI, *De secunda Eva* Commentarium in Protoevangelium, Venetiis, 1888; PATRIZI P., S. I., *De hu', hoc est de Immaculata Mariae origine a Deo praedicta, disquisitio cum appendice de feminini generis enallage in linguis semiticis usitata*, Romae, 1853; REPETTI, *La tipologia mariana nel Protoevangelio (Gen. 3, 15), fondamento della dottrina dell'Immacolata*, in *Divus Thomas* (Plac.), 40 (1837), 287-297; ROSCHINI G., *Il Protovangelo sintesi della Mariologia*, in *Palestra del Clero*, 16 (1937), 121-127.

Prophetiae momentum. Inter omnes prophetias, principem locum obtinet prophetia haec in Paradiso terrestri a Deo ipso statim post protoparentum lapsum, prolata, et a Moyse saec. XV a. C., vel saltem — iuxta aliquos — saec. XIII a. C., scripto in Genesi (3, 15) consignata.

Principem locum obtinet sive *ratione temporis*: est enim prima inter omnes; sive *ratione obiecti*: promittitur enim redemptio generis humani a protoparentum lapsu per Beatam Virginem eiusque *semen* seu Filium. Prophetia, ergo, non particularem aliquem populum, aut tribum, aut nationem, sed universum hominum genus respicit cui spiritualis per Messiam eiusque matrem liberatio

promittitur. Et hoc nedum catholici, sed omnes Christiani (i. e. etiam Protestantes), Hebraeis non diffitentibus, admittunt.

« Prophetia ista — ut bene animadvertit P. Ceuppens in op. « De Prophetiis Messianicis in Antiquo Test. » (p. 42) — omnium prophetiarum subsequentium revera *fundamentum* dici potest ».

« Voilà — exclamat Nicolas — l'Oracle des oracles: voilà tout le Nouveau Testament dans l'Ancien: voilà toute l'histoire du monde dans un verset ». (*La Vierge Marie d'après l'Evangile*, Paris, 1880, p. 77). Circa momentum vero mariologicum huius Vaticinii, iure animadvertit Derkx:

« Dio ha tracciato tutte le grandi linee della figura di Maria, con tanta esattezza e forza di rilievi, che la storia intera del mondo si muove fra esse, e in pari tempo con tocchi di pennello sì delicati, che quelle medesime linee sembrano quasi svanire nell'orizzonte » (*De Vrouwe*, p. 153).

Iure ergo meritoque vaticinium hoc inter omnia vaticinia Christologico-Mariana, tamquam praecipuum habetur.

Tractationis divisio. Tria circa hanc maximi momenti prophetiam praestanda sunt: I. Textus et contextus; II. Exponenda est critica textus; III. Commentarius instituendus est tum circa *serpentem* eiusque *semen*, tum circa *mulierem* eiusque *semen*.

I. Textus et contextus prophetiae

Deus hominem et mulierem formaverat et in horto voluptatis collocaverat (2, 8, 15). At, serpens quidam diabolicus, invidia motus, mulierem, viro infirmiorem, aggressus, illam cum viro suo, ad peccatum pertraxit (3, 1-7). Deus vero, iudicio instituto, sententiam protulit nedum contra protoparentes praevaricatores, sed etiam et praesertim contra serpentem suasorem. Hac ergo prophetia Deus, protoparentes lapsos erigit *spe futurae victoriae plenae et perfectae de serpente diabolico* triumphatore.

Relictis ergo poenis protoparentibus a Deo inflictis, transeamus ad poenam *serpenti* diabolico inflictam:

Textus, iuxta Bibliam hebraicam, ita reddi potest:

v. 14: « Et dixit Iahvé Elohim ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus (sis) inter omnia animalia et omnes bestias terrae; super ventrem tuum gradieris, et pulverem comedes omnibus diebus vitae tuae ».

v. 15: « Et inimicitias pono inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen eius. Ipse (scil. semen) conteret te (relate ad) caput, et tu vulnerabis (conteres) eum (relate ad) calcaneum ».

Quia tentator in semetipso duas veluti personas (*diaboli* nempe et *animalis* quo, tamquam instrumento, utebatur) repraesentaverat, ideo Deus Iudex tum contra *animal* (vers. 14), tum contra *diabolum* (v. 15) iudicium et poenam protulit. Contra serpentem ut *animal* duo statuit: 1) maledictus tu inter omnia animalia et omnes bestias terrae; 2) super ventrem tuum gradieris, et pulverem comedes omnibus diebus vitae tuae. Contra vero serpentem *ut diabolum*, tria statuit: 1) Inimicitias pono inter te et mulierem; 2) inter semen tuum et semen eius; 3) Ipse (ipsum) conteret te (relate ad) caput, et tu vulnerabis (conteres) eum (relate ad) calcaneum.

II. Critica textualis, seu interpretatio verbalis

v. 14: *a*) « MALEDICTUS (sis) INTER OMNIA ANIMALIA ET INTER OMNES BESTIAS TERRAE ».

Praepositio « inter » (*min*) in lingua hebraica tripliciter adhibetur: 1) *causative* (i. e. « ab » omnibus animalibus ...), 2) *comparative* (i. e. « prae, plus quam » omnia animalia ...), 3) *localiter* (i. e. « inter » omnia animalia ...).

Priori modo, i. e. *causative*, illam accepit versio Graeca LXX, in qua habetur ἀπό. At haec interpretatio sustineri non potest eo quia serpens non *ab aliis animalibus* maledicitur.

Secundo modo, i. e. *comparative*, illam accepit Caietanus, inter veteres, Hetzenauer (*In Gen.*, 1910, p. 74) et Bea (*De Pent.*, 1933, p. 199) inter recentiores. At etiam haec interpretatio non videtur sustineri posse. Alia enim animalia (saltem inspecta narratione genesiaca), nullibi videntur esse maledicta. Agitur enim — ut ex contextu apparet — de iudicio quodam in quo tribus sontibus (Adam, Eva, serpens) poena a iudice infligitur.

Remanet, igitur, ut praepositio *min* localiter accipiatur, i. e. prout significat « inter ». Iste enim sensus contextui magis convenit. Ita accipitur a Vulgata, a P. Lagrange etc.

Per « animalia » intelliguntur animalia *domestica*; per « bestias terrae » intelliguntur ferae.

b) « SUPER VENTREM TUUM GRADIERIS ET PULVEREM COMEDES ». Verba: *super ventrem gradi aut incedere* significant esse contemptum et vilem (cfr Lev., 11, 24); verba vero: *pulverem comedere* significant esse humiliatum et devictum (cfr Is., 49, 23, et Epistolae Tel-el-Amarna).

In nostro contextu vero, uterque dicendi modus ad supremum despectum et maximam serpentis humiliationem designandam evidenter adhibetur. « Erexit se contra Deum, ideo deprimitur; seduxit Evam ad fructum manducandum, ideo pulverem edere debet ». Ita *Cornelius A Lapide*. Hoc sensu translato, praedicta verba nedum ad serpentem ut *animal*, sed etiam ad serpentem ut *diabolum* referri possunt. Et sic idem plus minusve significant ac verba subsequentis v. 15.

Occasione huius sententiae, veteres quidam (S. Basilius, S. Ephraem, Flavius Joseph etc.) et recentiores nonnulli (Gunkel, Holzinger etc.) putaverunt serpentes, ante hominis lapsum, *pedes habuisse* et *erectos incessisse*, aut *alium cibum comedisse*. At hoc non videtur sustineri posse. Id enim quod ante lapsum erat, pro serpente, omnino *naturale*, post lapsum poenae rationem induit, hoc sensu quod *modus incedendi* et *cibus huius animalis*, hominibus, post lapsum, iam esset *humilitatis et contemptibilitatis indicium*.

v. 15: *a*) « ET INIMICITIAS PONO ... » Tria in hoc versiculo respiciuntur: 1) *Quis posuit* (Deus), 2) *Quid posuit* (inimicitiae), 3) *Inter quos posuit* (serpens et mulier).

In Vulgata habetur « ponam ». At, in textu hebraico habetur *imperfectum* (*'ascijt*) quod in lingua hebraica actionem inceptam et nondum finitam indicat; melius ergo vertitur per vocem « pono » i. e. stabilio, contituo. Agitur enim de *praesente continuato*. Inimicitia ista specialis inter *serpentem* seu diabolum et mulierem, *a Deo ipso* ponitur seu statuitur, ab illo *momento* quo Deus ipse loquitur usque in aeternum. Est inimicitia *perpetua*, loco *transitoriae* amicitiae quae inter serpentem et mulierem locum habuit.

b) « INTER TE ... ». Illud « te », ut ex contextu omnino evidens est, ad serpentem seu diabolum refertur, qui mulierem ad peccatum induxit, et cui proinde, poena proportionata a Deo infligitur.

c) « ET MULIEREM ... (hebr. *'aisciâ*). Mulier ista 1) vel est *mulier in genere* (nomen collectivum), 2) vel est *Eva* prout videretur ex toto contextu, 3) vel est mulier quaedam *singularis*, i. e. B. Virgo.

Prima sententia nullimode sustinetur.[1] Secunda a quibusdam propugnatur, sed incassum, ut videbimus.

d) « INTER SEMEN TUUM ET SEMEN ILLIUS ». Semen, in S. Scriptura, multipliciter accipitur, i. e. sive in sensu *morali* (sic. e. g. apud Isaiam I, 4, « populus criminalis *semen* peccatoris » vocatur), sive in sensu *physico*, et quidem, sive *individuali* (sic. e. g. Seth vocatur semen Adae, Gen. 4. 25, Salomon semen David dicitur, 2 Sam., 7, 12), sive *collectivo* i. e. prout totam posteritatem alicuius designat (e. g. Gen., 13, 15 etc.). In quonam igitur sensu verbum « semen » accipi debeat, ex contextu determinandum erit. Sed de hoc postea.

e) « IPSUM (VEL IPSE) CONTERET CAPUT TUUM ». In Vulgata, loco « ipsum » (semen), habetur « ipsa » (mulier).

Attamen lectio « ipse » omnino praeferri debet et ab omnibus praefertur.

[1] Etenim: « Serpens » profecto sensu *singulari* accipi debet (cfr Apoc. 12, 9; 20, 2; Sap., 2, 24); de aliis enim daemonibus nec non de impiis hominibus (cfr Mt., 25, 41; Io., 8, 44; 1 Io., 3, 8, 10) qui sunt « semen diaboli » seu eius filii, Deus loquitur in 2. membro eiusdem versus: «inter semen tuum et semen eius». Igitur, vi parallelismi, etiam mulier *singulari numero* accipienda est » (PALMARINI, l. c., p. 142).

Etenim:

1) Omnes codices antiqui *Textus hebraici massoretici*, quatuor aut quinque exceptis, habent « ipse ». Insuper, *ex contextu* etiam hoc patet. Etenim: *a*) substantivum quod immediate praecedit pronomen *hu'* « ipsum », non est *isciah* « mulier » sed *tséra'* « semen »; *b*) Verbum « Yesciufka » et suffixum « ennu » in verbo « tesciufennû », in forma masculina adhibentur.

2) *Pentateuchus Samaritanus*, Versio Graeca LXX (omnibus codicibus testantibus), versio *Latina Itala* (teste S. Hieronymo, *Hebr. quaest. in Gen.*, 3, 15. PL 23, 991), et versio Syriaca *Pescitto*, habent pariter formam masculinam « ipse » vel « ipsum ».

3) Ipsemet *S. Hieronymus* qui in Vulgata vertit « ipsa », textum Gen., 3, 15 secundum versionem *Italam* afferens, scripsit: « Ipse servabit caput tuum ... *melius* habet hebraeo: *Ipse* conteret caput tuum et tu conteres eius calcaneum ... ».

Occasione huius textus S. Hieronymi, quidam (Vercellone, Hoberg, Lagrange etc.) putaverunt S. Hieronymum (Veterem Latinam secutum), in Vulgata non scripsisse « ipsa » sed « ipse »; post mortem vero S. Hieronymi, amanuensem quemdam ignotum pronomen « ipse » in « ipsa » mutasse.

Quare? ... Ratio forsan haec esset: pronomen « ipse » neque ad mulieris *semen* (verbum neutrum), neque ad *mulierem* (verbum femininum) referri poterat, et ideo mendam adesse credens, « ipse » in « ipsa » mutavit. Imo, *contextus* ipse huic mutationi favere videtur, eo quia pugna finalis potius inter serpentem et mulierem quam inter serpentem et semen mulieris expectaretur. Textus ergo genuinus S. Hieronymi fuisset « ipse » non vero « ipsa ».

At, haec opinio non videtur sustineri posse, praesertim post Editionem criticam Vulgatae anni 1926, in qua Revisores Pontificiae Commissionis, ob fere unanimitatem et ob valorem documentorum, retinent pronomen « ipsa » uti textum genuinum S. Hieronymi. (Cfr Dom. H. Quentin O. S. B., *Biblia sacra iuxta latinam Vulgatam editionem. Genesis*, 1926, p. 151).

Quomodo ergo S. Hieronymus in Vulgata loco « ipse » ponere potuit « ipsa »? Quanam ratione hoc fecit? Probabiliter hoc fecit sub influxu dogmatico, eo quia christiana traditio, iam tunc, in *muliere* illa (sensu litterali aut saltem sensu typico), B. Virginem videbat; et ideo S. Hieronymus huius communis traditionis testis gravissimus extitit. Eo vel magis quod significatio *quoad substantiam* minime mutatur: B. Virgo, enim, solummodo per *semen suum* i. e. per Christum Redemptorem caput serpentis conterere poterat.[1] Hieronymus ergo — prout omnes catholici admittunt — significationem *implicitam* totius sententiae vere expressit.

f) Ipse conteret te (relate ad) caput et tu vulnerabis (= conteres) eum (relate ad) calcaneum.

In textu hebraico, in utraque parte versiculi, idem verbum « sciuf » (= conterere) adhibetur; dum in Vulgata in prima parte versiculi habetur « conteret », in secunda vero habetur « insidiaberis ».

[1] Ob hanc rationem in *paraphrasibus Chaldaicis* habetur pronomen *plurale* i. e. « Ipsi conterent caput tuum »; et ita utraque versio « ipsa » et « ipse » conciliantur. Cfr Nicolas, *La Vergine Maria secondo il Vangelo*, p. 67.

Hoc posito QUAERITUR: quid significat verbum « sciuf » et quomodo verti debet? 1) Quidam dicunt idem verbum « sciuf » duplicem significationem admittere, videlicet, « conterere » in prima parte versiculi, et « insidiare » in secunda parte versiculi, prout legitur in Vulgata, eo quia hoc spiritui narrationis magis convenit.

Imo, quidam tenent idem verbum « sciuf » a diversa radice derivari, videlicet, a radice assyriaca « sepu = pes » et ideo *conterere* significare (in prima parte versiculi), et a radice *sciaf* = avide appetere, inhiare, insidiari, et ideo « insidiari » significare (in secunda parte versiculi).

2) Alii dicunt idem verbum « sciuf » in utraque parte versiculi significare « conterere », prout in textu *hebraico* (Massoretico) — teste S. Hieronymo — habetur.

3) Sunt qui tenent idem verbum « sciuf » in utraque parte versiculi significare « insidiari », prout in versione graeca LXX legitur (τηρέω), ita tamen ut victoria a *semine* supra serpentem reportanda etiam sic, sive ex pugnantium conditione, sive ex contextu exprimatur (Ita Ceuppens).

4) Alii, tandem, dicunt idem verbum « sciuf » in utraque parte versiculi *idem* i. e. « conterere » non univoce, sed *analogice* significare, ita ut in prima parte versiculi significet proprie « conterere »; in saecunda parte, vero, « vulnerare » vel pungere. Et haec ultima sententia nobis magis placet. Etenim — ut animadvertit P. Hetzenauer — « verbum *sciuf* generatim *terere*, *percutere* significat, atque iuxta diversum subiectum et obiectum vario modo intelligi debet: si de actione *hominis* in caput serpentis adhibetur, idem est ac conterere, si de actione *serpentis* in calcaneum hominis, idem ac pungere vel vulnerare » (*In Genesim*, p. 77; *Theol. Bibl.* I, 553).

Nec obiciatur — cum P. Ceuppens (o. c., n. 21) — canon hermeneuticus: « in uno et eodem contextu eadem dictio eodem modo est explicanda ». Etenim, contextus in prima parte versiculi, ratione subiecti et obiecti, differt omnino a contextu in secunda parte versiculi; et ideo, quamvis idem verbum adhibeatur (sciuf), de utraque tamen parte (ob diversum subiectum et obiectum) non univoce sed *analogice dicitur*.

Hinc, verbum « sciuf » in secunda parte versiculi adhibetur analogice, eo quod serpens pedem hominis « conterere » proprie non potest, sed tantummodo « vulnerare » vel « pungere ». Et revera Christus, morte sua, contrivit *caput* serpentis, et serpens, crucifixione Christi, *pedem* eiusdem vulneravit seu punxit.

Universus versiculus 15 (sicut vv. 14 et 16 seqq.) sensu *absoluto* (non vero conditionato) accipiendus est, de inimicitia perpetua inter serpentem et mulierem, quae proinde *absolute* effectum consequi debet, quin consensus aliquis satanae aut mulieris supponatur exquiri. [1]

[1] Cfr PALMARINI, l. c., pp. 139-140.

III. Commentarius

Quatuor exponenda sunt: I, Quisnam sit serpens; II. Quaenam sit mulier; III. Quidnam sit semen serpentis; IV. Quidnam sit semen mulieris.

1 – Quisnam sit serpens

Iuxta *Rationalistas* (Dillman, Gunkel, Holzinger etc.), *serpens* de quo agitur nihil aliud esset nisi *animal physicum*, et inimicitiae positae (i. e. pugna inter serpentem et homines) esset tantummodo ordinis physici non vero moralis. Auctor ergo, hac fabula (in qua animalia loquentia et agentia ac si rationalia essent, introducuntur) exponere voluit primam originem naturalis inimicitiae (ex *veneno* serpentis provenientis) inter hominem et serpentes. Et duplici ratione hoc probant: *a*) quia « soli serpenti *animali* » et non enti *morali* poena infligitur; *b*) quia Iudaei, ante captivitatem, et ideo tempore scriptionis libri, ne minimam quidem notionem Angelorum sive bonorum sive malorum habebant. Et ideo quidam (Huhn, Richter) concludunt nos in hac narratione non habere *primum evangelium* sed *primum mendacium*.

At haec duplex ratio falsa est. Etenim, *a*) poena serpenti inflicta, i. e. inimicitia, omnino *specialis* apparet, eo quod a Deo ipso ponitur, et contritione capitis serpentis terminabitur. Si ageretur de hominis inimicitia cum serpente orta ex motivo tantummodo *naturali* (i. e. ob venenum), non vero ex motivo *morali*, inimicitia haec maior esse deberet in homine relate ad *feras* quam relate ad serpentes, cum sint periculosiores quam serpentes.

b) Notio spirituum seu angelorum bonorum et malorum iam in altissima antiquitate invenitur apud populos (e. g. Assyrios, Babylonios, Arabes) cum quibus Iudaei multiplices relationes habuerunt. Potuerunt ergo, Iudaei, etiam hoc modo, Angelorum existentiam cognoscere. Et de facto cognoverunt, prout ex ipso Pentateucho apparet, in quo non semel de entibus spiritualibus sermo est. (Cfr Gen. 19, 1; Ex., 32, 34; Num. 22, 22; Lev., 16, 8).

Agitur ergo de serpente quodam diabolico. Etenim, serpens ille:

a) tamquam *ens intellectuale* apparet: novit enim praeceptum a Deo protoparentibus impositum (2, 17; 3, 1), et protoparentes ad illud transgrediendum hortatur.

b) In tota traditione antiqua semitica (cfr Jastrow, *Die Religion Babyloniens und Assyriens*, t. 2, 782, etc.) serpens non respicitur tamquam *animal* commune seu physicum sed tamquam animal speciale i. e. daemoniacum, quo videlicet uteretur diabolus ad perdendos homines. Hinc primi lectores Geneseos statim intellexerunt *serpentem* protoparentum seductorem non esse animal phyisicum tantum sed esse daemonem sub specie serpentis. Et ideo sive pro auctore sive pro lectoribus superfluum omnino fuisset adiungere in textu serpentem illum

esse serpentem diabolicum seu esse *diabolum* sub specie serpentis. Et haec sententia *confirmatur* sive testimoniis S. Scripturae, sive Traditione Patrum. In *S. Scriptura* legitur: « Invidia autem *diaboli*, mors introivit in orbem terrarum » (Sap., 2, 24); « *Diabolus* fuit homicida ab initio » (Ioan., 8, 44); « Draco ille magnus, *serpens antiquus qui vocatur diabolus* et Satanas, qui seducit universum orbem » (*Apoc.*, 12, 9). Idem plus minusve apparet ex Patribus. (Cfr CEUPPENS o. c., pp. 30-31).

Agitur ergo de serpente quodam diabolico. At non conveniunt Catholici exegetae circa *naturam* huius serpentis diabolici. Etenim, 1) Quidam (Dennefeld, Junker, Rigaux) dicunt serpentem illum esse tantummodo *symbolum* quoddam ab hagiographo adhibitum ad narrandum, modo populari, protoparentum tentationem et lapsum; 2) Alii (Corluy, Hetzenauer, Bea) dicunt serpentem illum fuisse animal verum, reale, quod diabolus tamquam instrumentum sumpsit et in quo habitavit, sicut legitur apud *Matth.* 8, 28-34, de porcis; 3) Alii tandem (Hummelauer, Hoberg, Ceuppens et multi recentiores) tenent serpentem illum non fuisse animal verum et reale sed potius veram et realem serpentis *speciem externam* a diabolo assumptam ad hoc ut facilius et efficacius protoparentes seduceret.

Prima opinio (de serpente symbolico) non videtur sustineri posse, 1) quia quae in v. 14 dicuntur nonnisi de serpente reali dici possunt; 2) et etiam quia haec opinio non bene componitur cum Decreto Commissionis Biblicae (*Enchir. Bibl.*, 1927, n. 334) in quo, inter facta historica, quae christianae religionis fundamenta attingunt, habetur etiam « divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio ». Remanent ergo aliae duae sententiae, quae aequiprobabiles nobis videntur. Deus, igitur, se gessit sicut bonus pater qui, nedum *interfectorem* filii sui punit (in casu diabolus) sed etiam *gladium* frangit quo tamquam instrumento (in casu animal) ad filium interficiendum ille usus est.

2 – Quaenam sit mulier

Circa hoc quinque habentur sententiae, quarum prima est rationalistarum, aliae vero catholicorum.

I. *Sententia Acatholicorum.* Secundum istos, *mulier* Protoevangelii esset *Eva* et *tantummodo Eva.* (Ita Hengstenberg, Keil, etc.).

Argumentum praecipuum est: « Unum idemque vocabulum, in eodem contextu, in eodem sensu explicari debet, nisi revera sufficiens adsit ratio alio in sensu explicandi ». Atqui, in toto Protoevangelio verbum *mulier* Evam et tantummodo Evam designat, et nulla sufficiens ratio adest aliam mulierem intelligendi. Ergo ... [1]

[1] Huic sententiae acatholicae accedere videtur W. GOOSSENS qui tenere videtur sensu tantummodo *accommodato* verba Protoevangelii ad B. Virginem referri posse. (Cfr *De cooperatione immediata Matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, Parisiis, 1939, p. 96).

II. Iuxta quosdam catholicos, *mulier* Protoevangelii in sensu *litterali* est *Eva*, in sensu vero spirituali seu *typico* est *Maria*. Ita CORN. A. LAPIDE (*Comm. in Gen.*, Lugduni, 1732, pp. 66-67), REINKE (*Beiträge zur Erklärung des A. T.*, Giesen, t. 2, p. 272), CORLUY S. J. (*Spicil.*, t. 1, pp. 247-372), Card. MEIGNAN (*De l'Eden à Moïse*, Paris, 1895, p. 165-192), CRELIER (*La Genèse*, Paris, 1899, pp. 54-56), HUMMELAUER (*Comm. in Gen.*, Parisiis, 1895, pp. 139-57), ENGELKENPER (*Bibl. Zeitschr.*, 1910, pp. 351-371), SCHMIDT (*La Révélation Primitive*, trad. du R. P. Lemonnyer, Paris, 1914, pp. 56-61), MANGENOT (*Dict. Théol. Cath.*, t. 6, pp. 1, 1212), LAGRANGE, (*Rev. Bibl.*, 1897, pp. 354-355), EINIG (*De Verbo Incarnato*), CEUPPENS (o. c., pp. 47-54).

QUOMODO vero Eva typus Mariae dici possit, ita exponitur a cl. CEUPPENS: « A momento quo poena diabolo inflicta fuit, fit Eva ei inimica atque impugnatrix, et sub hac forma esset typus Mariae quae simul cum divino suo Filio diabolum impugnat atque plenae Filii victoriae associatur. Statim vero addimus, quod supra iam diximus, Evam esse typum *propheticum*, ideoque principale prophetiae obiectum potius esse antitypum Mariam, quam eius typum Evam; primario igitur Mariam, secundario Evam Spiritus Sanctus in nostro vaticinio intendit et rite cum Ruperto dicere possumus: « Equidem principaliter Beata Virgo Maria, mulier illa est inter quam et serpentem inimicitias positurum se dixit, et posuit Deus ».

Rationes vero ad sensum typicum statuendum ad unam tantummodo reducuntur, i. e. ad rationem a Rationalistis adductam: quia *contextus* exigit ut verbum « mulier » de Eva intelligatur. « Si rationem quaeras (scribit ARENDT in classico op. *De Protoevangelii habitudine ad Immaculatam Deiparae Conceptionem* », p. 11-12) unicam apud eos invenies: decem versiculi huius capitis 3, ultimus praecedentis et primus sequentis, vel vocabulum idem habent quod constanter supponit pro Eva, vel Evae referuntur: quae ceteroquin sola sui sexus tunc extat, de qua sola agitur in toto huius historiae contextu. Ergo et hic, *mulier* nonnisi Eva in sensu litterali esse potest. Volvas, revolvas tot paginas illorum commentariorum, nihil aliud in propositum tibi occurret. Alia enim multa ab eis congesta ac disputata eo tantum vergunt ut cetera versiculo expressa huic interpretationi adaptentur ».

Sed adsunt — prout videbimus — rationes sufficientes in sententia vel in ipso discursus contextu, intelligendi aliam mulierem ac Evam, i. e. Mariam.

III. Iuxta alios catholicos « mulier » sensu litterali esset *sive Eva sive Maria*, modo tamen diverso.

Ita HETZENAUER: « Verba vaticinii... quatenus ad diabolum respiciunt, imperfecte quidem de Eva et de genere humano, perfecte autem de Christo et Matre eius intelligenda sunt » (*Comm. in Gen.*, Graecii et Viennae, 1910, p. 79. Et P. BEA: « Sicut verba vaticinii perfecte in solo Christo implentur, ita etiam " mulier " illa cuius semen

est Christus, *sensu pleno et perfecto* non est Eva, sed... B. V. Maria» (*De Pentateucho*, Romae, 1933, p. 202). Idem sentiunt DEL PRADO (*Praelectiones, Vetus Test.*, I, Taurini, 1934, pp. 53-54); P. PESCH (*Cursus Theol.* I, n. 218); P. TRINIDAD (l. c., p. 357); DE AMBROGGI (l. c.).

IV. P. Murillo tenet « Mulier » respicere mulieres omnes collective, sed cum spciali respectu ad Beatissimam Virginem. [1]

V. Alii tandem, *praesertim exegetae veteres et Theologi* tenent quod mulier prophetiae non Eva sed Maria est, et quidem in sensu *litterali*. Ita ESTIUS in *Difficiliora S. Scr. loca*; CALMET, *Comm. littéral sur la Genèse*, Paris, 1724, t. 1, pp. 39-40; PATRIZI, *Biblicarum quaestionum decas*, Romae, 1877, pp. 37-53; PASSAGLIA, *De immaculato Deiparae conceptu*, Romae, 1853, t. 2, pp. 812 ss.; LAMY, *Comment. in librum Geneseos*, Mechliniae, 1883, t. 2, pp. 235-236, 6; VIGOUROUX, *Manuel Biblique*, 12e éd, Paris, 1906, t. 1, pp. 567, 571.; FILLION, *La Sainte Bible*, Paris, 1888, t. 1, p. 32; TROCHON, *Introd. générale aux prophètes*, Paris, 1902, t. 1, p. 68-70; BREMER, *Theolog. praktisch. Quartalschrift*, 1904, p. 762; FLUNK, *Zeitschr. für Katholische Theologie*, Innsbruck, 1904, pp. 641-671; PROTIN, *Revue Augustinienne*, Paris, 1904, t. 5, pp. 449-460; HOBERG, *Die Genesis*, 2ª ed., Freiburg B., 1908, p. 49-51; WILLEMS, *Das Protoevangelium*, in *Pastor Bonus*, 1911, pp. 129-137; RINIERI, *La donna del Protoevangelo*, in *Scuola Cattolica*, 1912, pp. 160-169; VAN COMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V., Deo creante et elevante*, th. 87; C. MAZZELLA, *De Deo creante*, pr. 38; L. BILLOT, *De Verbo Inc.*, th. 39; I. B. MALOU, *L'Immaculée Conception*, 2 voll., Bruxelles, 1857; HEINRICH, *Dogmat. Thelogie*, Mainz, 1896; TERRIEN, *La Mère des hommes*, t. 1, p. 35, Paris; JANSSENS, in *Summa Theologica*, t. 5, Friburgi, 1903; BOVER, *Gregorianum*, an. 5, 1924, pp. 573 s.

Huic sententiae modeste at magna cum persuasione subscribimus, et hanc probare conabimur sive *directe*, i. e. rationibus, sive *indirecte*, alias sententias refutando.

I. **Directe**: Rationes directae pro hac sententia desumuntur I. *Ex ipso contextu*, II. *Ex auctoritate ipsius S. Scripturae*, III. *Ex auctoritate SS. Patrum* et IV. *Ex doctrina Ecclesiae*.

I. EX CONTEXTU PROPHETIAE. Adversarii hoc modo contra nos arguunt: in narratione facti genesiaci *quatuor* tantum personae intervenire dicuntur: Deus, Adam, Eva et serpens. Hoc posito, absonum est praeiudicio, in narrationis sce-

[1] « En el v. 15 no habla Dios de la personalidad de Eva, sino de la clase o sexo de las mujeres en general, pero teniendo a la vista, como representación de esa clase, a una mujer singular, excelsa, la Virgen Maria ». (*El Génesis*, Roma, 1914, p. 306).

nam introducere *quintam* aliam personam, eo quod una ex illis (quatuor) nomine generico sui sexus (mulier) designetur. [1]

At animadvertendum est cum cl. P. Arendt (o. c., p. 14) quod *mulier* v. 15, non uti *interloquens*, in facti narratione, nominatur, et in scenam narratam introducitur; sed de *ea* una ex quatuor illis personis (i. e. Deus) alii (i. e. serpenti) loqui, et quidem de ea loqui proposito *alio facto futuro*, ideoque *prorsus distincto* a facto quod in cetero capitis contextu descriptum, quatuor praedictas personas includit. [2] Hoc alterum factum, promissum in v. 15 uti *futurum*, uti tale sive a diabolo, sive a protoparentibus nostris intelligi potuit et debuit. Si ergo agitur, vi contextus, de facto quodam *futuro*, iure introducitur mulier quaedam futura, alia ab Eva, cui non conveniunt et non possunt convenire *inimicitiae* illae quae de hac muliere futura praedicuntur.

Insuper si verba illa *Evam* respexissent, cur ad Evam directa non fuerunt? ... « Tantopere — animadvertit Janssens o. c., p. 50 — sensus avertit mentem ab Eva, ut etiamsi sermo ad eam fuisset directus, non de ipsa fuisset intelligendus quanto minus ipsam respicere credendum est, dum ad Satanam proferuntur? ».

Contextus, ergo, *proximus*, ad quem (antequam ad contextum *remotum* recurratur) recurrere debemus, nobis exhibetur ab ipso versiculo 15, in quo totum illud factum novum, futurum, exhibetur, non vero ab aliis versiculis praecedentibus eiusdem capitis.

Argumentum ergo ex contextu ab adversariis contra nos allatum, non valet, et ex ipso contextu falsum demonstratur. Inepte, ergo P. Hummelauer argumentatur: « *Serpens* idem omnino intelligendus, qui antea ... *Similiter* mulier eadem omnino, quae in hac tota narratione, erit intelligenda ... Ergo utique *Eva* ». Serpentem, enim, *cui* Deus sermonem dirigit (v. 14) eumdem esse ac illum *de quo* in v. 14 agitur, omnino patet. At *mulierem* v. 15 eamdem esse ac illam praecedentium versiculorum, nullo modo patet, imo, ut iam diximus, ex ipso novo contextu (in quo exhibetur factum novum, futurum) excludi debet. — Concludi ergo potest cum P. Billot: « Nedum enim contextus cogat nomine mulieris hic intelligere Evam, fidenter assero hunc sensum tanta evidentia excludi, et Mariam tam aperte designari, ut vix in Scripturis aliud quidpiam invenire sit, pluribus et firmioribus fundatum rationibus » (o. c., p. 354, ed. 3).

Argumentum hoc, ad quod magis attendere deberent *hodierni exegetae*, CONFIRMARI POTEST ALIIS RATIONIBUS a variis auctoribus adductis, videlicet:

1) Peccatum originale fuit praesertim peccatum Adae, capitis generis humani, non Evae, quamvis ab ipsa initium sumpsit. Iamvero, si ageretur de una ex 4 personis

[1] Haec ratio ex contextu deducta, unica est quae contra nostram sententiam affertur. Cfr e. g. P. TRINIDAD, l. c., p. 354. Item P. Del Prado: « Dubio vacat quod de Eva in toto contextu agatur » (l. c., p. 54).

[2] Eo vel magis quod *semen mulieris*, saltem, *futurum* dicendum est; ita, a pari, et *mulier* ipsa, futura dicenda erit.

de quibus antea, non inter Evam et serpentem, sed potius inter Adam et serpentem inimicitiae ponendae fuissent. Si ergo per vocabulum « mulier » intelligi deberet *Eva*, excluderetur omnino, ab inimicitiis positis, Adam, verum peccati originalis caput. Nec dicendum est cum *Ceuppens* (o. c., p. 42) Auctorem sacrum non excludere Adamum a serpentis *inimicitiis*, eo quia pugna erit *etiam* inter semen serpentis et semen mulieris, i. e. *posteritatem* mulieris, quae posteritas habetur *cooperatione* viri. Etenim: *a*) pro semine mulieris, saltem *obvie*, non *posteritas* mulieris, sed Christus — prout videbimus — intelligi debet. *b*) Dato etiam et non concesso quod per semen mulieris intelligi debeat *posteritas mulieris*, haberemus quod Eva, in inimicitia et in victoria supra serpentem, partem principalem haberet, et Adam partem tantummodo *secundariam*: quod absonum est. Insuper Christus devicit diabolum non quatenus est *semen Evae* (quia sic potius debuisset a diabolo vinci) sed quatenus est semen Mariae quae illum concepit *absque viri consortio*, et ideo a reliquis Adae et Evae filiis quasi solutum.

2) Cum ille (Christus) qui plenam victoriam supra serpentem relaturus sit, *semen mulieris* (non vero *semen viri*) bis appelletur, innuitur mulierem illam esse debere *virginem-matrem*. Iamvero, Eva non fuit certe virgo-mater. Ergo ...

3) Inimicitiae omnino speciales male concipiuntur positae in *ipsa Eva* quae antea fuerat diaboli amica. Etenim, quandonam et quomodo inimicitiae illae, quae tanta emphasi a Deo ponuntur, in Eva verificatae sunt? ... Quid, tandem, specialis egit Eva, quid pertulit, quid meruit ut diabolo tam inimica et exitialis extiterit? ... Eva, insuper, in tota narratione, constanter *peccatricis* et *devictae* personam gerit, qua mediante, ipsa, et filii eius futuri, sub iugo diaboli iugiter constituti fuerunt. Nihil ergo, Eva habet vel habere potest commune cum muliere illa singulari quae praedicitur *infensissima diabolo*, et plene victrix diaboli.

4) Vi inimicitiarum a Deo positarum inter serpentem et mulierem, mulier illa omnino *impeccabilis* efficitur: inimicitiae enim illae sunt *absolutae et perfectae*. Quodlibet enim peccatum non est nisi quaedam amicalis concessio diabolo facta. At, numquid Eva, post suum peccatum, impeccabilis evasit? ...

5) Deus, evidenter, prout etiam ex veteribus Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis apparet, *recirculatione* quadam contra diabolum utitur, opponendo semen *e sola muliere* (et ideo ex B. Virgine) ortum (i. e. Christum Redemptorem) semini illi quod per *solius mulieris mediationem* sibimet serpens in terra suscitaverat, et novo Adae i. e. Christo, indissolubili nexu ad dissolvenda opera diaboli, novam Evam, i. e. Mariam coniungendo.

II. Ex ipsa S. Scriptura. — *Ex parallelismo* inter mulierem Genesis et mulierem Apocalypsis (12, 4, 13). S. Ioannes, in sua Apocalypsi, alludit absque dubio ad textum genesiacum (3, 15) quando scribit: « et draco stetit ante *mulierem* quae erat paritura: ut cum peperisset filium eius devoraret ». Iamvero, mulier Apocalypis est probabiliter B. Virgo, vel si est Ecclesia, ut plures tenent, excludi non debet B. Virgo. Ergo et mulier Geneseos est B. Virgo.

Frustra vero Ceuppens (o. c., p. 44) auctores illos redarguere videtur qui ad alios locos S. Scripturae recurrunt, eo quia *contextus* huius prophetiae non est obscurus sed est bene determinatus, cum mulier cap. 3, v. 15, sit eadem mulier de qua supra (*Gen.*, 3, vv. 1, 2, 4, 6, 12, 13, 16, 20) iam egit Auctor, i. e. Eva. Vidimus, enim, *con-*

textum esse prorsus diversum; quod si hoc concedere nolit, saltem concedere debet contextum non esse bene *determinatum* et *clarum* prout ipse vellet. Iure ergo, ad alios Scripturae locos fit recursus.

III. Ex patribus.

P. Arendt (o. c., p. 21) postquam 24 Patrum mentem, a primordiis Ecclesiae usque ad saec. VI singillatim indagavit, brevi compendio conclusiones tot testium sic contrahit: « Viginti quatuor testium qui a Iustino M. ad Leonem Magnum auditi et diligentissime perquisiti sunt, unus Ephraem Syrus a *nostra* protoevangelii *exegesi* potius dissentire visus est, extraneo eoque falso seductus praeiudicio. [1] Ceteri, qui omnes etiam magna praediti sunt auctoritate atque omni se exhibent exceptione maiores, demonstrari nequaquam potuerunt huic nostrae exegesi contradixisse. Nulla aetate, in successivo quinque illorum saeculorum decursu, defuerunt qui eidem ex professo subscriberent, iique illustriores: secundo saeculo, Iustinus atque Irenaeus; tertio Cyprianus; quarto, Epiphanius, Gregorius, Nazianzenus, Hieronymus; quinto, Leo Magnus. Alii gravissimi et ipsi, uti Tertullianus et Origenes; Athanasius, Chrysostomus, Basilius M., Ambrosius, Augustinus, si remotis praeiudiciis, critice perpendantur, nostrae exegesi implicite saltem, ut minus dicam, vel favere vel saltem non repugnare arguuntur ». Sensu ergo litterali non typico, in protoevangelio Christi redemptio et Mariae Corredemptio, praenuntiatae fuerunt.

Et P. D. Palmieri (o. c., p. 725) iam antea, quaestioni quaenam fuerit hac in re sententia Patrum, ita respondit: « Affirmare licet *communem* hanc apud eos esse interpretationem quam defendimus; et quia res non parvi momenti agitur, non pigebit ea recitare testimonia quae factum hoc ostendunt. Itaque, veterum sententia est eademque *communis*, mulierem promissam, inter quam et Satanam posituras est inimicitias Deus, esse B. Virginem, eiusque semen Iesum Christum. Haec sententia *duplici modo* potissimum se prodit; sive cum Patres enarrantes ea verba Domini, de B. Maria et Christo interpretantur, atque ita quidem ut significent iis solis ea convenire, sive cum Patres de prima origine peccati et salutis loquentes, Evae perpetuo Mariam opponunt, illam solum spectantes ut causam mali, atque hanc unice in oppositione ad Evam ut initium boni considerantes, quatenus haec non illa Satanae adversa fuerit et Satanae insidias eluserit. Hac vero perpetua comparatione, Patres evidenter significarunt mulierem illam inter quam et serpentem inimicitias posuit Deus, non esse e sententia eorum Evam, sed Mariam ». Et laudat S. Iustinum, S. Irenaeum, Pseudo-Origenem, S. Cyprianum, S. Gregorium Neocaesariensem, S. Ambrosium, S. Epiphanium, S. Cyrillum Hierosol., Amphilochium Iconiensem, S. Ioannem Chrysostomum, S. Augustinum. Et concludit: « ex quibus omnibus una collatis manifestum, puto, fiet interpretationem quam defendimus fuisse vere priore aetate *communem*. In sequentibus autem saeculis

[1] Attamen, animadvertendum est quod alibi verba protoevangelii de B. Virgine intelligere videtur. Scribit enim: « Salve, pura, quae draconis nequissimi caput contrivisti et in abyssum proiecisti vinculis constrictum » (Assemani, III, 547).

usque ad Bernardum, qui eam disertissime proponit in Serm. 2 super *Missus est*, ac deinceps, aucta est haec persuasio factaque est fidelibus omnibus familiaris; cuius est indicium praxis repraesentandi B. Virginem sub imagine mulieris conterentis serpentem vel gestandi puellum Iesum qui pede suo conterat serpentis caput ». Iure ergo cum Divo Bernardo concludere possumus: « Quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait, inimicitiam ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubites quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum, cui haec servata victoria est nisi Mariae? ». [1]

IV. Ex DOCTRINA ECCLESIAE quae eruitur *a*) ex Liturgia, et *b*) ex Bulla Pii IX « Ineffabilis Deus ».

a) *Ex Liturgia*: sic, in Vesperis festi Immaculatae Conceptionis B. M. V. legitur: « Immaculata Conceptio est hodie Sanctae Mariae Virginis; quae serpentis caput virgineo pede contrivit »; in Ant. ad *Benedictus*: « Ait Dominus Deus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, Alleluia! ». Ad *Magnificat* in 2. Vesperis: « Hodie egressa est virga de radice Iesse: hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui, alleluia! ».

Ex iis apparet quomodo verba Protoevangelii *simpliciter* de B. Virgine interpretentur.

b) *Ex Bulla dogmatica Pii IX* « Ineffabilis Deus »: Summus Pontifex dicit quod *Patres Ecclesiaeque Scriptores*, « enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians; et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit, inquiens: *inimicitias ponam* etc. *docuere*, *divino hoc oraculo* CLARE APERTEQUE demonstratum fuisse misericordem humani generis *Redemptorem*, scilicet Unigenitum Dei Filium C. I., ac *designatam* beatissimam eius Matrem

[1] Nostris diebus L. DREWNIAK, O. S. B., in op. *Die Mariologische Deutung von Gen.* 3, 15, *in der Väterzeit*, Breslau, 1934, aperte negavit Patres, consensu moraliter unanimi, in *muliere* Protoevangelii B. Virginem vidisse. At opus istud, utpote obiectivitate carens, a pluribus valde improbatum fuit. Et iure meritoque. Etenim: *a*) inspirationem desumpsisse videtur ab opere acatholici Stap (*L'Immaculée Conception. Étude sur l'origine d'un dogme*, Paris, 1859); *b*) antithetice opponitur assertioni Bullae *Ineffabilis Deus*; *c*) mirum in modum confundit duo bene distinta, *Traditionem*, nempe, et *organa* eiusdem, inter quae, praeter *scripta* Patrum quae nunc supersunt, magisterium ordinarium Ecclesiasticum annumerari debet, de cuius sententia affirmativa nemo dubitare potest. Nuper sententiam P. Drewniak vindicare conatus est P. Lennerz in *Gregorianum* (a. 1943, pp. 347-366). Illius rationes refutavimus in *Marianum* (a. 1944, pp. 76-96). Respondit in *Gregorianum* (a. 1946, pp. 300-318). Illi rursus respondimus in *Marianum*, 8 (1946) 293-299.

REPETTI, (cfr *La tipologia mariana nel Protevangelo, Gen.* 3, 15, *fondamento della dottrina dell'Immacolata*, in *Divus Thomas* [Plac.], 1937, ser. 3, t. 40, pp. 291-294) censet sententiam tenentem *Gen.* 3, 15, sensu spirituali seu mystico, agere de B. Virgine, absque magna difficultate invocare posse *consensum moraliter unanimem* Patrum.

Virginem Mariam, ac simul *ipsissimas* utriusque contra diabolum inimicitias *insigniter* expressas ».

Iamvero, verba haec quemlibet sensum typicum a Protoevangelio excludere videntur. Etenim:

1) Ea quae *typice* tantummodo designantur, non possunt dici *clare aperteque designata*, sed sub *velamine*. Sic, e. g. in historia Cain et Abel, *typice* significatur populus Iudaicus necem inferens Christo. At, quisnam dicere audebit mortem Christi et populum deicidam in hac historia fuisse *clare aperteque designata*? ... — Frustra vero *P. Ceuppens*, (o. c., p. 50), conatur ostendere verba illa « clare aperteque » *non necessario* ad designatam Virginem referri sed ad Christum tantum; et verbum « designata » adhibitum pro Maria, minoris esse roboris quam verbum « demonstratus » adhibitum pro Christo. Etenim, si verba « clare aperteque » ad Christum tantummodo referenda essent, Pontifex illa ponere debuisset post verbum « demonstratum », non vero antea, i. e. debuisset dicere: « divino hoc oraculo demonstratum fuisse *clare* aperteque ... », non vero: « divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse ... Redemptorem et *designatam* ... Mariam ». — Insuper verba « demonstratum » et « designatam », sunt synonima, et idem omnino robur habent. Hinc, nulla distinctio inter praeannuntiationem Christi et praeannuntiationem Mariae; et ideo, sicut Christus sensu litterali, non typico, in oraculo, significatur, ita et Maria.

2) Eo vel magis quod divino hoc oraculo *ipsissimae* utriusque (Christi et Mariae) *inimicitiae* contra diabolum sunt *insigniter expressae*. Iamvero inimicitiae Evae cum diabolo dici nequeunt *ipsissimae* ac inimicitiae Christi cum ipso. Insuper, inimicitiae tantummodo *typice* (i. e. sub velamine quoddam) expressae (quales essent si *mulier* significaret Evam) nequeunt certe dici *insigniter* expressae.

3) Si *mulier* intelligitur Eva, argumentum *scripturisticum* pro Immaculata Conceptione ex Protoevangelio deduci non posset: quod est contra Bullam *Ineffabilis*, quae ex Protoevangelio argumentum et quidem *scripturisticum* sumit ad illam probandam.[1] Etenim, Eva, ut postea videbimus, non potest esse *typus Mariae*. « Omnibus ergo modis — concludit Billot — vanum effugium est quod

[1] Etenim, Commissio specialis a Summo Pontifice Pio IX constituta ad definitionem dogmaticam praeparandam, de *argumento scripturistico* in favorem Immaculatae agens, ex omnium Consultorum sententia ad hanc conclusionem pervenit: « Praerogativa immunitatis a culpa originali in Beatissima Virgine, solidum habet fundamentum in verbis *Gen.* 3, 15: « Inimicitias ponam ... ». Hoc deducitur I. *ex ipsis verbis*; II. *ex traditione huic loco allusiva*. Probatur *ex ipsis verbis*: Etenim, si semen mulieris est Redemptor, qui iuxta Catholicam doctrinam ibi promittitur, ita ut protoevangelium appellari hoc soleat, mulier igitur est sanctissima eius Mater... ». (Cfr SARDI, *La solenne definizione dell'Immacolato concepimento di Maria SS.*, *Atti e Documenti*, vol. I, p. 796). Duo hic animadvertenda veniunt: 1) agitur de Protoevangelio tamquam « solido fundamento » pro definitione Immaculatae Conceptionis: excluditur ergo quilibet sensus *accommodatitius* qui *solidum fundamentum* praebere non potest; 2) agitur de

ex sensu *spirituali* quaeritur, et quisquis recipit ea quae de oraculo Geneseos in Bulla *Ineffabilis* traduntur, confiteatur necesse est B. Mariam designari *sensu litterali*, illo scilicet sensu qui immediate verbis subest » (l. c., p. 359).

Prob. Indirecte, id est, ex refutatione aliarum sententiarum.

Prima sententia: id est sententia acatholicorum *de Eva tantum*, sustineri non potest ex eo quod Maria, in Protoevangelio, *saltem excludi non potest*. Etenim, ipsa, et ipsa *sola* arctissime et indissolubiliter cum maximo diaboli victore seu Christo coniuncta est.

Unicum vero argumentum ab ipsis adductum et *ex contextu* deductum, nullis roboris nobis videtur, prout iam vidimus. [1]

Secunda sententia: id est, sententia de *Eva* tamquam typo Mariae, difficulter omnino sustineri potest; quinimmo pluribus de causis reicienda videtur.

Etenim, ad *typum* habendum, duo praesertim requiruntur: 1) *similitudo* typi cum antitypo ita tamen ut typus sit semper *inferioris ordinis* respectu antitypi; 2) *praeordinatio Dei* qua res vel persona aliqua ad typi rationem elevatur, eo quod electio et determinatio typi a solo libero Dei arbitrio dependet, et ideo solummodo per *revelationem* innotescit, i. e. sive ex S. Scriptura, sive ex *unanimi* Patrum consensu. Iamvero duplex ista conditio in sententia aaversariorum deest. Etenim: 1) deest *similitudo* inter Evam (typum) et Mariam (antitypum). Verum quidem est *Evam* fuisse *formam futurae* (i. e. Mariae), sicut *Adam* fuit *forma futuri* (i. e. Christi): attamen, si loquamur deA damo et Eva in statu naturae lapsae, id fuerunt per comparationem *a contrario*, non vero per comparationem *a simili*, prout tota christiana traditio clamat; vel si admittatur comparatio *a simili*, haec comparatio in hoc solum invenitur quod, sicut Adam est caput omnium hominum et Eva est mater omnium viventium in ordine naturae, ita Christus fuit caput omnium hominum et Maria mater omnium viventium in ordine gratiae. Nil ergo habetur relate ad *inimicitias* cum diabolo. Insuper: inimicitia

solido argumento desumpto *ex ipsis verbis*: excluditur ergo sensus typicus qui non ex ipsis verbis sed *ex rebus* per verba significatis desumitur.

Animadvertendum etiam est quod eadem Pontificia Commissio, de salutatione angelica agens, ad hanc conclusionem pervenit quae confirmat ea quae superius scripsimus: « Praedicta Angeli verba ad B. Virginem inserviunt ad demonstrandam praerogativam conceptus immaculati *quando accedit SS. Patrum exegetica Traditio*, de qua heic specimen praebetur » (Sardi, l. c., p. 800). Et ratio quae adducitur haec est: quia praedicta verba « per se *vim sufficientem non habent* ad demonstrandam B. Virginis praerogativam de qua agitur » (Ibid., p. 799).

[1] Iure animadvertit P. Garcia Garces: « Negantes sensum litteralem de Maria, eo quod mutatio subiecti inducatur, et ipsi mutationem admittere tenentur, cum vox « mulier » in vers. 15, Evam solam, in 16 mulieres omnes certo designet » (*Mater Corredemptrix*, Torino-Roma, 1940, p. 30).

posita a Deo in Eva, vel est *naturalis* contra serpentem (animal) vel est *spiritualis* contra diabolum. Atqui *primum* a catholicis, ut vidimus, sustineri non potest, nec de facto sustinetur, vel ab iis qui sensum typicum defendunt, eo quod est contra apertissimam aliarum Scripturarum auctoritatem atque contra unanimem traditionem, iuxta quam serpens non est animal physicum, sed animal diabolicum, seu diabolus.

Secundum vero (i e. inimicitia *spiritualis*) inepte omnino assumitur ut *typus* inimicitiae inter B. Virginem et diabolum, eo quia id quod ut typus assumitur, debet esse *inferioris ordinis* relate ad antitypum, cum typus solam *umbram* veritatis praeseferat. Sic, e. g. non *spiritualis iustificatio* Patrum fuit typus iustificationis nostrae, sed *iustificatio legalis* tantummodo. « Ea quae uti effectus, similitudinem causae gerunt, in notitiam quidem causae inducere possunt, sed non per typi rationem ». (ARENDT, o. c., p. 41).

2) Deest sive testimonium ex S. Scriptura, sive *unanimis Patrum consensus* aut magisterium Ecclesiae ex quibus solummodo, ut diximus, cognoscere possumus Evam constitutam fuisse a Deo *typum Mariae*. Etenim, quamvis perpauci ex Patribus et Scriptoribus (ut S. Ephraem, Iacobus Edessenus) sententiae adversariorum faveant, nemo tamen dicere audebit Traditionem quoad sensum typicum *unanimem* esse. Quomodo ergo, a sensu typico *nullimode* demonstrato, argumentum erui posset pro dogmate Immaculatae Conceptionis? ... « Nonne potius — dicere malumus cum P. Arendt[1] — in hanc opinionem (de sensu typico) inducti sunt necessitate se extricandi *ex ambagibus criticae recentioris*, quibus, nisi hoc excogitassent effugium, longius quam voluissent, fuissent a sensu catholico distracti? Meliori ergo et tutiori via incedunt in praesenti quaestione qui, adminiculis etiam a critica moderna mutuatis, sensum communem antiquorum confirmare nedum subvertere quaerunt. Si autem in hac opera plene perficienda, metam nondum attingere valuerit, Augustini consilium servabunt qui scripsit: "melius esse premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere" (*Doctr. chr.*, 3-9)».

Tertia sententia, id est sententia secundum quam «mulier» sensu litterali esset sive Maria sive Eva, quamvis diversimode, nititur in doctrina hermeneutica de sensu eminentiori.[2] At, haec etiam non videtur solide fundata.

Rationes vero praecipuae pro hac sententia, iuxta P. TRINIDAD qui ei adhaerendum esse putat (l. c., pp. 355-356) hae sunt:

1. « Mulier » in toto contextu de Eva intelligi debet. At inimicitiae inter «mulierem » et « serpentem » imperfecte tantum applicari possunt Evae; perfecte vero Mariae.

[1] O. c., p. 41.

[2] Cfr VACCARI A., *La Redenzione*, Roma, 1934, pp. 185-190; IDEM, *De libris didacticis V. T.*, Romae, 1935, pp. 23 et 123.

Nam, illae inimicitiae in textu, certe intellegendae sunt perfectae: « Inimicitias ponam... » Inimicitiae vero inter Evam victam et diabolum victorem vix dici possunt perfectae. Etiam post poenitentiam Evae, « inter diabolum atque Evam ... permanentes inimicitias seu perpetuum voluntatum dissensum fuisse, non valde probabile est ». [1]

« 2. Omnes catholici admittunt « semen » aliquo vero sensu intellegi de Christo. Iamvero « si semen mulieris Christus est, mulier B. V. Maria esse debet, ex qua natus est Christus ». [2] Haec intima unio matris cum Filio exhibetur etiam in aliis vaticiniis messianicis ... Nonne dici potest in his locis clarius exprimi quod obscurius in Gen. 3, 15 iam indicabatur? ».

« 3. Del Prado addit aliud argumentum: « Verba ad diabolum diriguntur, et divinum consilium reparandi genus humanum *per mulierem*, manifestare videtur idem esse lapsus et reparationis instrumentum ». [3] Instrumenta vero reparationis sunt Christus et Maria ».

Et concludit P. Trinidad: « Opiniones ... quae excludunt Evam, plerisque exegetis modernis displicent. Etenim *textus et contextus* videntur exigere ut promissio in 3,15 expressa aliquomodo respiciat Evam. Nam 1) *textus* nullam aliam mulierem eousque nominaverat quam Evam; 2) *contextus* loquitur de vindicatione mulieris contra serpentem, mulier vindicanda est Eva ... unde, sola remanet ... opinio, quae intellegit 3,15 de Eva inchoative, et de B. Virgine sensu pleno et perfecto. Inimicitiae quae iam inde a poenitentia Evae inceperunt inter diabolum et Evam cum suo semine, perfectam impletionem habiturae erant in Maria et suo Filio » (l. c., p. 257).

Attamen, prout ex ipsamet expositione argumentorum elucet, ex *tribus argumentis* a P. Trinidad allatis, hoc tantummodo deduci potest: quod B. Virgo a Protoevangelio *excludi* non possit, minime vero quod Eva *includi* debeat. *Unicum argumentum* ad probandam *inclusionem Evae*, deducitur, prout patet, *ex textu et contextu*: quod argumentum parum probare iam vidimus. Etenim: verum est *textum* nullam aliam mulierem eousque nominasse; attamen, in v. 15 sermo est de *alia* muliere, seu de muliere *futura*, a muliere de qua antea textus locutus fuerat omnino diversa, eo quod *solummodo* huic *futurae* mulieri, non vero Evae, inimicitiae absolutae et perfectae (et ideo impeccabilitas) [4] referri possunt. — Pariter, verum est *contextum* loqui de vindicatione mulieris contra serpentem, et mulierem vindicandam Evam esse; attamen, nullibi dicitur aut innuitur talem vindicationem fieri *ab ipsa Eva*; sufficit ut fiat a muliere quadam futura, filia *Evae*, seu ex ipsa stirpe Evae. Et hoc sensu universa traditio christiana vaticinium illud intellexit.

In hac tertia sententia, igitur, conclusiones latius patere videntur quam praemissae.

[1] M. Hetzenauer, *Theologia Biblica*, Friburgi Brisgoviae, 1908, pp. 553-554.

[2] Del Prado, l. c., p. 54.

[3] Idem, ibid.

[4] Peccatum enim est semper quaedam amicalis concessio diabolo facta.

Quarta sententia, i. e. sententia secundum quam « mulier » sensu litterali respiceret mulieres in genere, sed cum speciali respectu ad Mariam, ob sensum eminentiorem, non videtur solida probabilitate gaudere. Praecipua ratio quae ab ipsis adducitur, est haec: « Ob intimam coniunctionem inter « mulierem » et « semen », sensus qui tribuitur « semini », dari etiam potest « mulieri ». Iamvero « semen » a multis intelligitur de hominibus collective sed cum speciali respectu ad Iesum. Ergo « mulier » intelligi potest de mulieribus collective, sed cum speciali respectu ad Mariam ».[1] « Attamen — prout iure animadvertit P. Trinidad — haec ratio non satis convincit, nam 1) « semen » si intellegitur de hominibus collective, includit etiam mulieres. Unde nulla adest necessitas intellegendi « mulier » de mulieribus in genere; 2) in Gen., 3, 15 « mulier » apparet ut prima fons unde « semen », id est, omnes homines cum Christo capite, originem ducunt. Haec prima fons est Eva « mater cunctorum viventium » (Gen., 3, 20) (l. c., pp. 356-357) non vero mulieres in genere. Remanet igitur ut *mulier* Protoevangelii sit Maria, in sensu litterali.

3. – Quid sit semen serpentis

Solutio huius quaestionis a solutione alterius quaestionis dependet, nempe, quid sit serpens.

Rationalistae, ergo, qui pro serpente intelligunt (illogice omnino), ipsum *animal* physicum, pro *semine* serpentis intelligunt (logice omnino) omnes serpentes physicos in natura existentes, qui a serpente primitivo, via generationis, proveniunt. Ita Dillman, Gunckel, Holzinger etc. Hinc semen serpentis in sensu exclusive *physico* intelligunt.

Catholici, e contra, qui pro serpente *diabolum* principaliter intelligunt *semen* serpentis in sensu *morali*, saltem *principaliter*, interpretantur, eo quia diabolus, cum sit spiritus, filios per generationem procreare non potest.

Dixi: *saltem principaliter*, eo quod quidam exegetae Catholici (Corluy, Hetzenauer, Bea etc.) qui admittunt serpentem realem tamquam diaboli *instrumentum*, tenent semen serpentis duplici sensu sumendum esse:

a) quatenus consideratur *animal*, semen serpentis sensu *physico* est sumendum, i. e. pro serpentibus qui ab hominibus conculcabuntur et homines in calcaneis mordebunt; *b*) quatenus vero serpens consideratur *diabolus*, semen serpentis necessario *in sensu morali* sumi debet.

Alii vero Catholici, qui pro serpente non animal prout est *instrumentum* diaboli, sed *speciem externam* realem serpentis intelligunt, semen serpentis in *sensu* tantum *morali* accipiunt.

[1] Trinidad, l. c., p. 356.

Omnes ergo catholici in hoc conveniunt: quod semen serpentis, saltem *principaliter*, in sensu *morali*, non vero in sensu physico sumi debeat.

At, non conveniunt Catholici in solvenda quaestione particulari: *quid sit in concreto semen serpentis in sensu morali*. 1) Quidam enim per semen serpentis in sensu morali, *solos daemones* (non vero homines malos) intelligunt, quatenus tentatoris socii. Ita Hummelauer, Hetzenauer, Sales, Ceuppens. « Semen serpentis collectionem eiusdem naturae indicare videtur; qui ergo semine serpentis designantur, serpentis naturae esse debent. Cum vero serpens, omnibus consentientibus, sit diabolus, semen serpentis sunt diaboli « qui luciferi exemplum imitantes, illi similes facti sunt ut filii parentibus » (Hetzenauer, *In Gen.*, p. 78), quo in sensu, secunda pugna erit sicut prima, revera diabolica: inimicitiae erunt inter diabolos et posteros mulieris, sicut primo fuerunt inter diabolum tentatorem et mulierem. Ceteroquin sanae interpretationis legem impugnaret, qui argumentis fortissimis deficientibus adversariorum, species a sensu *proprio* ad sensum translatum transmutarent, quia sensus translatus probandus est, non supponendus (Hummelauer, o. c., p. 162), quae argumenta hoc loco deesse credimus ».

2) Alii vero, per semen serpentis in *sensu morali solos homines malos*, non vero daemones, intelligunt ita ut pugna *primo* fuerit inter diabolum et mulierem, *secundo* vero inter iniquos et iustos, et *tandem* inter diabolum tentatorem et homines iustos simul cum Messia coniunctos. Ita Corluy, Hoberg etc. Duplicem rationem afferunt: *a*) quia homines mali quandoque in S. Scriptura, *filii diaboli* vocantur, eo quia sunt ex patre diabolo (*Ioan.*, 8, 44; *Act.*, 13, 10; *Matth.*, 3, 7; 23, 33); *b*) quia daemones nunquam in S. Scriptura *filii diaboli* vocantur.

3) Alii tandem, ut Arendt (o. c., p. 2) per semen diaboli in sensu morali sive *daemones* sive *malos homines* intelligunt, homines tamen cum aliqua restrictione. « Semen, enim, diaboli, *per se* intelliguntur *omnes creaturae rationales quae Lucifero sponte sua inserviunt*, si ceteri *diaboli* sint, ratione primordialis liberae in via sua apostasiae qua Luciferum imitati sunt; si *homines*, ratione repulsae potentiae supernaturalis reparationis, ex qua diabolo assentientes servi, imo filii eius fiunt, et quia consentientes fiunt, non tam *victimae* (P. de Hummelauer, l. c., p. 163 in fine) quam filii et asseclae voluntarii. Isti omnes itaque *per se* segregantur a semine mulieris nedum includuntur in eo, quippe quod non absolute atque exclusive intelligitur de generatione materiali sed de ea restricte... Sed monui homines malos intelligendos esse *cum aliqua restrictione*: hanc enim immediatus contextus suggerit, quippe quem infra ostendam obvie significare ipsum *reparationis opus totius humani generis lapsi*, non vero huius *applicationem* quae communi modo singulis in alterutro foedere locum habet. Atqui, si ita est, *semen diaboli* supponit in protoevangelio pro *illis solis inter malos homines qui, operi a Messia complendo*, recusata quam ipse praedicabat fide, *data opera obstiterunt*. Hos ipse Christus diabolum patrem sibi habere dixit, atque ineunt passione, horam illam eorum esse qui tenebrarum potestati obediunt » (Arendt, o. c., p. 23).

Haec tertia sententia nobis magis placet, eo quia pro ipsa rationes aliarum duarum sententiarum militare videntur.

4 – Quid sit semen mulieris

« Hic — iure animadvertit P. Ceuppens[1] — revera iacet *cardo quaestionis*, de cuius solutione prophetiae sensus omnino dependet, nempe *an sit messianica* (et ideo etiam mariologica), et in quonam sensu, *litterali* aut *spirituali* »

Etiam solutio huius quaestionis a solutione alterius quaestionis dependet. nempe, quaenam sit *mulier* Protoevangelii. Ideoque triplex datur sententia:

Prima sententia. Illi qui tenent mulierem esse Evam et Evam tantum (Rationalistae), per semen mulieris logice *totam* et *solam* Evae *posteritatem* intelligunt. Ad istos fere accedere videntur (proh dolor!) catholici quidam recentiores qui per semen mulieris *totam humanitatem* ut sic, i. e. totam Evae posteritatem intelligunt, Messia non excluso, sed nec clare indicato. Ita LEVESQUE (*Revue du Clergé Français*, mars 21, 1895); ENGELKEMPER (*Bibl. Zeitschr.*, 8, 1910, 362-363); DENNEFELD (in *Messianisme*, decr. S. Officii 16 dec. 1930 prohibitum; cfr *Diction. Théol. Cath.*, 10, 1929, 1410); HEINISCH (*Das Buch Genesis*, pp. 126-127).

Sententia haec est omnino reicienda et communiter reicitur. Est enim directe contra Bullam « Ineffabilis » in qua, iuxta SS. Patres, Redemptor dicitur in Protoevangelio « clare aperteque praemonstratus ». Insuper, si verba « semen mulieris » simpliciter pro omnibus hominibus sumantur, essent simpliciter falsa, eo quod non omnes homines, experientia teste, sunt inimici diaboli. Ipsimet *iusti*, absolute inimici diaboli dici non possunt ob peccatum originale et ob quaedam inevitabilia pecccata venialia semideliberata. Christus tantummodo eiusque Mater, fuerunt absolute et perfecte diaboli inimici.

Nec iuvat asserere cum ENGELKEMPER (l. c., pp. 362-63) vaticinium nostrum esse omnium *primum* et ideo necessario *obscurum*, eo quod pertinet ad lineam prophetiarum messianicarum evolutionis, ut magis magisque clariores fiant. Hoc enim principium, modo aprioristico adhiberi non debet; sed textus et contextus, antequam adhibeatur, accurate inspici debet.

Secunda sententia. Illi (Catholici) qui tenent *mulierem* Protoevangelii in sensu *litterali* esse Evam et in sensu *spirituali* esse Mariam, per *semen mulieris* totam *Evae posteritatem* intelligunt, sed speciali modo *Messiam*, per quem humanitas diabolum vincet. Ita P. Hummelauer, Ceuppens etc.

ARGUMENTA quae ad hanc sententiam propugnandam afferri solent, ad sequentia reducuntur:

1) Terminus *tserá* (= semen) *collectivum* sensum habere *potest*; 2) *Semen mulieris*, collectivum sensum habere *debet*; etenim, cum semen *serpentis* (in v.

[1] O. c., p. 57.

15) *collective* sumatur, etiam semen *mulieris* in eodem sensu accipi debet, eo quia leges hermeneuticae vetant ne *idem vocabulum* in eodem contextu diversam significationem induat; 3) Idem postulatur *ex fine* a Deo per hanc prophetiam intento, eligendi nempe et solandi animum protoparentum eisque fiduciam inspirandi; iamvero, si protoparentes verba Dei de aliquo filio victore diaboli intellexissent qui post plura saecula venturus esset, nihil ad se promissionem illam pertinere cogitassent; 4) plures in V. T., sicut et in N. T., de diabolo victoriam retulerunt, propriamque salutem operati sunt: et ipsi, ergo, ad semen mulieris *pertinent*, et ideo a comprehensione rei per huius nomen significatae excludi non possunt; 5) Apostolus ipse (in *Ep. ad Rom.*, 16, 20) hanc interpretationem probare videtur, dicens: « Deus pacis *conterat* Satanam sub pedibus vestris velociter »; 6) Frequenter, in Scripturis, Christus simul cum fidelibus qui ab ipso vitam hauriunt, repraesentatur, tamquam *una persona* aut unitas quaedam (1 Cor., 12, 12-14; Coloss., 1, 18-22; Gal., 3, 26-28; Ioan., 15, 1-6). Ita praesertim REINKE.

Respondetur: argumenta haec parvi roboris esse videntur. Etenim: 1) Quamvis vox « semen » sensum collectivum habere *possit*, numquam tamen phrasis haec: « semen mulieris » in Scripturis sensum collectivum habet. 2) Omnes, velint nolint, fateri debent, in textu nostro, semen non *univoce* et *proprie* dici de diabolo et de muliere, sed *analogice* et *metaphorice*. Etenim, semen *mulieris* est filius qui ab ipsa per carnalem generationem procedit; semen vero *diaboli* aliud omnino est. Diversa igitur ratione (vi ipsius contextus) semen utrobique accipi debet. Sic, e. g. in textu: « ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum » termini « Pater et Deus », vi contextus, diversa prorsus ratione utrobique accipi debent. Verba, igitur « semen serpentis » potius quam sensum *collectivum*, sensum *universalem* habere videntur, videlicet: « inimicitias pono ... inter *quemcumque tuum asseclam et* ... » (sive *unus* tantum sit futurus, sive *multi*). Reliqua enim verba versiculi nos minime cogunt ad respiciendam hanc asseclarum diaboli *multitudinem*. 3) Finis a Deo, per prophetiam, intentus (i. e. sublevandi protoparentes) bene salvatur etiam in alia sententia. Ex promissione enim Illius (Redemptoris) qui serpentis caput contriturus erat, et ideo *universum genus humanum* a potestate diaboli erepturus erat, Adam et Eva bene intelligere potuerunt ad seipsos etiam redemptionis fructus spectare, et ideo sublevari et consolari a Deo potuerunt. 4) Non agitur de *qualibet* inimicitia aut victoria supra serpentem, sed de *contritione capitis* eius, i. e. de eversione eiusdem regni (peccati) et ideo de ipso opere redemptionis, quod Christo *tantummodo* competit et in quo nequit Christus cum aliis connumerari; nomine *seminis*, ergo, directe *et primario* Christus tantummodo intelligi debet, non vero collectio omnium iustorum. Attamen, quia Christus est *caput* morale, et caput necessario ordinem dicit *ad membra*, ideo *indirecte* et *secundario*, vi connexionis, etiam mem-

bra eius intelligi possunt et debent, quatenus et ipsa, in virtutis stadio, *pro applicatione redemptionis* cum diabolo decertare debent. 5) Apostolus minime sententiam adversariorum adprobare videtur; *Deo*, enim, non vero *fidelibus*, Satanae *contritionem* tribuit. 6) Licet Christus passim cum fidelibus et iustis, ad *modum unius*, repraesentetur, tamen ex hoc non consequitur quod *semper* tali modo repraesentetur, et multo minus quod aeque *principaliter* et *directe* Christus et fideles significentur, sed Christus *directe* et *principaliter*, fideles vero, vi connexionis cum Christo, *indirecte* et *secundario*.

Tertia sententia. Illi (Catholici) qui tenent mulierem Protoevangelii esse *Mariam* et *Mariam tantum*, per *semen mulieris* Messiam *Redemptorem* simpliciter intelligunt, vel etiam Redemptorem *directe et principaliter*, fideles vero *indirecte et secundario*. Haec sententia, nobis nedum probabilis sed *certa* omnino videtur.

Prob.: I. Auctoritate: I. S. Scripturae: 1) Versio Graeca 70 Interpretum huic interpretationi favet. « La version des LXX — scribit P. Lagrange — interprétait le lignage comme resumé dans une personne (αὐτὸς = ipse) ... ». [1]

2) Quando verbum *semen* in S. Script. sensum *collectivum* induit, *pronomen* quod ad illud refertur, in *plurali* communiter ponitur, non vero in singulari (Cfr e. g. Gen., 15, 13; 17, 8, 9); huic regulae generali tres tantummodo exceptiones dantur (i. e. Gen., 16, 10; 17, 17; 24, 60). Iamvero, in textu nostro pronomen *hu'* est in singulari. Ergo ...

3) Aliquando *semen* in S. Script., in sensu *individuali* sumitur, e. g. 2, Sam., 7, 12-13: quod adversarii etiam (ut Lagrange, Ceuppens etc.) concedunt.

4) Numquam *hominum genus* seu *homines* a Scriptoribus sacris, hac appellatione « semen mulieris » vocantur, sed tantummodo « nati mulierum ».

5) Non semel in S. Script., *semen Abrahae* in sensu litterali pro *Messia* supponit. Sic S. Paulus, in Ep. ad Galatas, 3, 16, scripsit: « Abrahae factae sunt promissiones et *semini eius*. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo qui est Christus ». Et amplius cap. 4, verba « semen mulieris » explicare intendens scribit: « misit Deus Filium suum factum *ex muliere* ».

II. Auctoritate Patrum: Patres interpretationem hanc *individualem* secuti sunt, ut S. Iustinus (*Dial. cum Tryph.*, 100, PG 6, 709-712), S. Irenaeus (*Contr. haer.*, 3, 423, 7; v. 19, 1; c. 21, 1, t. 7, coll. 964, 1175-1176, 1179); S. Cyprianus (*Testim. adv. Judaeos*, II, 9, t. 4, col. 704); S. Epiphanius (*Haer.*, 77, 18 PG, 42, 729); S. Leo M. (*Serm.*. 22, PL 59, col. 729); Pseudo-Hieronymus

[1] *Rev. Bibl.*, 1897, p. 335.

(*Epist.* VI, *ad amicum aegrotum*, PL, 30, 82-83); S. ISIDORUS PELUSIOTA (*Epist.*, l. 1, ep. 326, PG 78, 417); S. FULBERTUS CARNOTENSIS (*Serm.* 6, de *Nativ. B. M. V.*, PL 141, 320-321); S. BERNARDUS (Homil. 2, super *Missus est*, 4, PL 183, 63).

Relate vero ad Patres illos qui ab adversariis contra nostram sententiam laudantur, haec cum P. PALMIERI animadvertenda sunt: « Quoad patres qui citantur, respondemus EPHRAEMUM [1] in Genesim, ad h. l., nihil habere quod faveat interpretationi quam reiicimus: locum vero citatum ex Tomo primo Syriaco spectare ad Collectanea Interpretationum in Genesim Ephraemi Syri et Iacobi Edesseni excerpta ex catena syriaca Severi monachi Edesseni, ibi vero auctorem *moraliter* enarrare verba Genesis; quemadmodum ad eadem allusio fit in altero testimonio Ephraemi citato ascetico super illud *Attende tibi* c. 11. Cum enim Christus, *caput* contriverit serpentis ut nobis membris suis vim tribueret superandi serpentem eumque cum nostro capite Christo conculcandi; cum moralis institutio agitur, provocanturque fideles ad pugnandum cum diabolo, ea verba Genesis licet ad ipsa quoque, qui indirecte significati sunt, transferre. Pari ratione se gerit AMBROSIUS in lib. de fuga saeculi n. 43. CHRYSOSTOMUS in Genes. hom. 17, postquam dixerit verba Domini in serpentem esse multo magis accipienda de spiritali serpente, id tantum habet: « Etenim, et illud pedibus nostris subiecit humiliatum, et id praestitit ut nos eius capiti incumbamus. An non haec significat dicens: calcate super serpentes et scorpiones? ». Verum haec causam quae defenditur non iuvant. Nam, non est quaestio *an nos quoque cum Christo et sub Christo conculcemus diabolum*, idque indirecte tamquam consequens et finis sit significatum verbis Genesis: sed quaestio est an id *directe* sit significatum ibidem. Id autem heic Chrysostomus non docet; quod vero tradit in Orat. in S. Pascha, superius recitata, huic interpretationi haud parum adversatur. HIERONYMUS quidem in Quaest. hebr. ad hunc locum, dicit « nostros gressus praepediri a colubro », quod quis negat? Sed pariter contritionem serpentini capitis *Domino* tribuit, subdens: « et *Dominus* conteret Satanam sub pedibus vestris velociter » (o. c., p. 731).

Ex dictis clare patet quomodo minus recte P. CEUPPENS haec scripserit: « SS. Patres Messiam clare aperteque in nostro divino oraculo esse praemonstratum consentiunt; quando vero quaestio ponitur an voce « semen mulieris » *solus* Messias designetur, *unanimitatem* non amplius retinent, et quidam, uti S. Irenaeus, Cyprianus, Epiphanius, Leo Magnus affirmative respondent; *alii vero*, uti SS. EPHRAEM, AMBROSIUS, CHRYSOSTOMUS, HIERONYMUS *negative*, dicentes *sensum collectivum* esse probabiliorem » (l. c., p. 66).

II. **Ratione**: Iuxta catholicam doctrinam, post protoparentum lapsum, *nemo* salutem obtinere potuit ac potest nisi per *Christum Redemptorem* et per fidem in illum, eo quia « non est in aliquo alio salus ». Necesse ergo, vel saltem summe conveniens fuit ut, generi humano, inde ab initio, tam necessarium fidei *obiec-*

[1] Relate ad S. EPHRAEM notentur etiam haec verba: « Conculcavit puer execrabilem serpentem, et confregit caput aspidis ». Et « Ex te (Maria) exiet infans qui conteret caput serpentis » (*Hymni et sermones*, ed. Lamy, t. 2, p. 606, et t. 3, p. 954).

tum (i. e. Christus Redemptor) propositum fuerit; et quidem, non indirecte et in confuso, sed directe et clare. Proponendus enim erat *Christus Redemptor* ut *obiectum* fidei in quem homines crederent et *a quo* salutem sperarent, et ideo non poterat *simul cum aliis* (in tota posteritate Evae) commisceri et connumerari.

Et ut *tale* revera in Protoevangelio Christus Redemptor propositus est per verba *semen mulieris*, i. e. ut filius *solius* mulieris a qua *sola* ortum ducit, et ideo ut *Deus* satisfactionem valoris infiniti pro offensa infinita exhibens, eo quia filium *Virginis* solum Deum esse decebat. Ex quo itaque Christus Redemptor tamquam *semen mulieris* propositus est, sub aliqua propria et distincta ratione iam praenuntiatus fuit.

TANDEM: Si per *semen mulieris* Christus Redemptor intelligatur, plane pariter intelliguntur ultima Protoevangelii verba: « ipse *conteret* caput tuum, et tu *insidiaberis* calcaneo eius », i. e. diabolus Christum contrivit *in calcaneo*, seu in inferiori parte i. e. in humanitate, ipsi *mortem* procurando; Christus vero diabolum *contrivit* eius regnum morte et subsequenti gloriosa resurrectione funditus evertendo.

Si vero per *semen* mulieris aliud intelligeretur, haud facile ultima illa verba quid significent cognosceretur.

Post ea quae diximus, iure, ad modum conclusionis, quaeri potest: PROTOPARENTES hunc *plenum sensum* Vaticinii, prout illum exposuimus, *assecuti ne sunt?* Huic quaestioni bene respondit P. Bea: « Cum hoc vaticinium protoparentibus consolationi et confortationi esse deberet, recte supponitur Deum eos specialiter illustrasse et adiuvisse, ut clarius viderent quae esset futura victoria de diabolo cui ipsi succubuerant, et de eius regno. Id etiam *confirmatur ex traditionibus apud varias gentes de futuro Redemptore vigentibus* » (*De Pentateucho*, p. 203, ed. 2, Romae, 1933).

« Cet oracle biblique — scribit Nicolas — déposé sur le berceau du genre humain, fut emporté par lui dans ses migrations et ses dispersions sur la terre, mais divisé et altéré comme lui, de manière à ne nous offrir plus, hors du peuple hébreu, que des lambeaux de vérité consus des fables.

Or, dans ces lambeaux, ce qui est le plus conservé, c'est le rôle considérable donné à la Femme qui doit mettre au jour le Libérateur...

Nous rappellerons seulement ce passage frappant de l'*Isis* et *Osiris* de Plutarque, où, après avoir dit du serpent Typhon que ayant *mis*, par son *envie et sa malignité*, *tout en combustion*, *il remplit de maux et de misères le ciel et la terre*, il ajoute: ET PUIS EN FUT PUNI, ET LA FEMME et sœur d'Osiris EN FAIT LA VENGEANCE, ÉTEIGNANT ET AMORTISSANT SA RAGE ET SA FUREUR...

« C'est ainsi que de tous les points de l'humanité, des échos de la Parole première se font entendre, et confirment la grande voix du Seigneur Dieu » (o. c., pp. 79, 82).

« Admirons-y, avant tout, avec Bossuet, « ce trait merveilleux de miséricorde, que la promesse de notre salut se trouve aussi ancienne que la sentence de notre mort, et qu'un même jour ait été témoin de la chute de notre nature et du rétablissement de notre espérance ».[1] Et voyons dans cette simultanéité l'exécution de ce Plan divin, par nous exposé, où la chute n'est permise que pour donner lieu à une réparation plus glorieuse encore que le premier état, par *la Femme*, qui est MARIE, dans *sa Semence*, qui est JESUS.

« Jésus et Marie nous apparaissent ainsi, sur le seuil du paradis terrestre, parmi les ombres du péché et de la mort, comme le point du jour de la grâce et de la vie.

« Marie peut dire, comme Jésus: « En tête du Livre il est question de moi ». *In capite* Libri scriptum est de me » (o. c., pp. 77-78).

II – DE VIRGINE-MATRE EMMANUELIS

(Is. VII, 14)

BIBLIOGRAPHIA

I. *Commentarii in Isaiam*:

1) AUCTORES CATHOLICI:

CONDAMIN A., *Le livre d'Isaie*, Paris, 1905; FELDMANN F., *Das Buch Isaias übers. und erkl.* (Exeg. Handbuch) Münster, 1925-1926; HITHCOCK G. S., *Isaiah, first twelve chapters*, London, 1912; KALT E., *Das Buch Isaias: übers. und erkl. Kaldenkirchen*, 1927; KNABENBAUER I., a) *Ercklärung des Prophetem Isaias*, Freiburg, 1881; b) *Commentarius in Isaiam*, Parisiis, 1887, ed. 2, 1923 (cura F. Zorell); KROON I., *Isaias*, Roermond, 1933; LE HIR, *Les trois grands prophètes*, Paris, 1878; MINOCCHI S., *Le profezie d'Isaia*, Firenze, 1907; NETELER B., *Das Buch Isaias aus dem Urtext übersetzt und erklärt*, Münster, 1876; ODONE S., *Le visioni di Isaia*, Torino, 1931; PETERS N., *Das Trostbuch Israëls. Isaias, ausgewählt und übertragen.* (*Dokumente der Religion*), Paderborn, 1923; ROELANTS A., *Het boek Isaias*, Brugge, 1924; SCHLÖGL N., *Das Buch des Propheten Iesaja übers. und erkl.*, Wien, 1915; TOBAC E., *Les Prophètes d'Israël*, Malines, t. 2-3, 1921, pp. 3-203; TRONCHON C., *Le Prophète Isaïe*, 1878; VAN HOONACKER A., *Het Boek Isaias*, Brugge, 1923.

2) AUCTORES ACATHOLICI:

BOX G. H., *The book of Isaiah*, London, 1908; BUDDE K., *Das Buch Jesaja*. Kap. 40-66, Tübingen, 1922; DELITZSCH FR., *Das Buch Iesaja*, Leipzig, 1889; DUHM B., *Das Buch Jesaja, übers. und erkl.*, Göttingen, 1902, 1922; GRAY AND PEAKE (*The International Critical Commentary*), Edinburg, 1912; KNOBEL A., DILLMANN A., KITTEL R., *Der Prophet Jesaja* (K. H. A. T.) Leipzig, 1898; KÖNIG E., *Jesaja eingeleitet übersetzt und erklärt*, Gütersloh, 1926; MARTÍ K., *Das Buch Jesaja erklärt* (K. H. K.), Freiburg, 1900; MORGAN G. C., *The prophecy of Isaiah*, 2 voll., London, 1910; ORELLI K. V., *Der Prophet Jesaja ausgelegt*, München, 1904; PROCKSCH O., *Jesaja übersetzt und erklärt*, 1 (K. A. T.), Leipzig, 1930; RAWLINSON G. (*The Pulpit Commentary*), London, 1897; ROBERTS L. G. A., *Commentary on the book of Isaiah*, London, 1921; SKINNER

[1] *Sermon pour la fête du Rosaire.*

I., *The book of the prophet Isaiah*, Cambridge, 1915-1918; SMITH G. A., a) (*The Expositor's Bible*), London, 1888-1894, b) *The book of Isaiah*, 2 voll., London, 1927; TORREY L. A., *The second Isaiah*, New York, 1928; WHITEHOUSE (*The Century Bible*), 1905, 1908; VOLZ P., *Iesajah*, II (K. A. T.), Leipzig, 1932.

II. *Studia particularia in vaticinium Is.* 7, 14:

BEAUQUIER G., *Le signe de l'Emmanuel*, in *Rev. August.*, 11 (1908), 529-561; BOYLAN, *The sign in Isaias* 7, 17, in *The Irish theological Quarterly*, 7 (1912), 203-215; BURNEY C. F., *Old Testament notes*: I. *The sign of Immanuel*, in *The Journal of theol. Studies*, 10 (1909), 580-584; CALÈS I., a) *Le sens de « Almah » en hébreu d'après les données sémitiques et bibliques*, in *Recherches de Sc. Rel.*, 1 (1910), 161-168, b) *Les trois discours prophétiques sur l'Emmanuel (Isaie:* 7; 7, 1-10; 8, 11-IX, 9), in *Rech. de Sc. Rel.*, 12 (1922), 169-177; c) *L'avènement d'Emmanuel est-il affirmé prochain dans Isaie 7, 14?*, in *Rech. de Sc. Rel.*, 17 (1927), 314-316; CEUPPENS F., in *De Prophetiis Messianicis in V. T.*, Romae, 1935, pp. 188-225; *De signo Emmanuelis*, in *Angelicum*, 23 (1946), 53-59; CHARUE A., *Les Prophéties de l'Emmanuel*, in *Coll. Nam.* 24 (1930), 65-94; COLUNGA A., *El Vaticinio de Emmanuel (Is.* 7), in *La Ciencia Tomista*, 32 (1925), 345-361; CONDAMIN A., *Is.* 7, *14*, in *Rech. de Sc. Rel.*, 13 (1923) 160 ss.; CORLUY I., *De Virgine paritura*, Gandavi, 1, 1884, 394-429; DAVIDSON A. B., *Immanuel*, in *Dict, B. H.*, 2, 1899, 454-456; DE KEULENAER G., *De praedictione conceptionis virginalis Mariae apud Isaiam* 7, 13-17, in *Collat. Mechl.*, 5 (1931), 412-419; DE MOOR F., *Le chapitre 7e d'Isaie contenant la description prophétique de la naissance d'Immanuel ou de Dieu avec nous*, in *Science Cathol.*, 1904, décembre; DENNEFELD L., a) *Le « Signe » dans la prophétie d'Emmanuël*, in *Rev. de Sc. Rel.*, 17 (1927), 6986; b) *Messianisme*, in *D. T. C.*, 10 (1929), 1434-1446); DENIS, *Isaïe 7-8*, 10. *Essai d'explication*, in *La Sc. Cath.*, avril 1906; DE VRIES I., *Sensus messianicus vaticinii Isaie 7, 13-16, ex contextu probatur*, in *Verbum Domini*, 7 (1927), 342-348; 373-376; FAITHFUL R. C., *Immanuël*, in *The Expositor*, 1920-21; GRAY G. B., *The virgin birth in relation to the interpretation of Isaiah 7, 14*, in *The Expositor*, 1911-289-308; GUTHE H., *Zeichen und Weissagung in Ies. 7, 14-17*, in *Wellhausenfestschrift*, 1914; HAGHEBAERT B., *La Vierge mère au chapitre VII d'Isaie*, in *Rev. Bibl.*, 2 (1893), 381-383; HUYGHE C., *La Vierge Mère*, in *La Sc. Cath.*, 1895, 15 févr.; KRAELING E. G., *The Immanuel Prophecy*, in *Journ. Bibl. Litt.*, 50 (1931), 277-297; LAGRANGE M. I., *La Vierge et l'Emmanuel*, in *Rev. Bibl.*, 1 (1892), 481-497; LEMANN A., *La Vierge et l'Emmanuel*, Paris, 1904; MANGENOT E., *Emmanuel*, in *D. B. V.* 2, 1899, 1732-34; MURILLO L., « *Emmanuel* » *El Vaticinio (Is.* 7, *14-16)*, in *Est. Bibl.*, 4 (1929), 65-64; PASCUAL B., *Razón del anuncio de la virginidad de la Madre de Emmanuel en Is.* 7, *14*, in *Anal. Sacra Tarrac.*, 7 (1931), 171-196; REINKE L., *Die Weissagung von der Jungfrau und vom Emmanuël*, Münster, 1939; TEN BOKUM L., *De Emmanuël bij Isaias* 7, *14-16* in *Nederl. Kathol. Stemmen*, 1907, pp. 166-176; TOBAC E., *La Prophétie de la naissance d'Emmanuel*, in *D. T. C.*, 8, 1924, 50-66; VACCARI A., *De signo Emmanuelis Is.* 7, in *Verbum Domini*, 17 (1937), 44-75; VAN DER PLOEG, *De Emmanuel profetieën uit het boek Isaias*, in *Thomistisch Tijdschrift*, 1933, 356-562; VAN HOONACKER A., a) *La prophétie relative à la naissance d'Immanuel*, in *Rev. Bibl.*, 13 (1904), 213-227, b) *De maagdelijke ontvangenis en de geboorte van den Messias bij Isaias*, in *Ons Geloof*, 7 (1921), 481.

Prophetiae momentum. Prophetia haec, semper inter praecipua Isaiae vaticinia habita, in partu virginali B. M. V. — teste S. Matthaeo (1, 22) — plenam adimpletionem invenit.

Post protoevangelium vero, inter prophetias messianicas et mariologicas principem locum obtinet eo quod alias omnes prophetias anteriores et posteriores sua luce perfundit. Merito igitur tamquam una ex fidei nostrae columnis habetur.

Tractationis divisio. Tria praestanda sunt: I. Determinandi sunt contextus et textus; II. Exponenda est critica textus seu interpretatio verbalis; III. Interpretatio realis seu Commentarius tum circa *Virginem*, tum circa *Emmanuelem* ad hoc ut demonstretur Virginem esse *B. Mariam*, et Emmanuelem esse *Christum* eius Filium.

I – Contextus et textus prophetiae

A) Contextus. Anno 732-1, Achaz, rex Iuda, cum impugnaretur a Rasin, rege Damasci, et a Phacee, rege Israel, magno terrore percussus est. Tunc Iahveh misit ad eum Isaiam qui auxilium supremum atque salutem promitteret. Isaias divinum mandatum exequitur, et dicit quod reges illi terram eorum extendere non poterunt, neque Ierusalem capere. Immo Isaias solemniter Achaz invitat ad petendum signum aliquod extraordinarium «sive in profundum inferni, sive in excelsum supra» a Deo in confirmationem eorum quae ab ipso audiverat. Achaz vero callide adiutorium Dei recusat dicens: «non tentabo Dominum; vera autem ratio alia erat: iam enim legatos ad extraneum regem Asyriorum miserat ad auxilum eius — contra indolem theocraticam regni Davidis — implorandum, simul cum muneribus e templo (2 Reg., 16, 7-8) ereptis. Tunc Isaias, iusta ira succensus, Dei nomine, regi Achaz celeberrimum vaticinium, de quo agendum nobis est, pronuntiavit.

B) Textus. «Audite ergo, domus David: numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*; quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum suorum regum».

Iuxta textum *hebraicum*, ad litteram, esset: «Ecce Virgo concipiens (gravida) et pariens Filium, et vocat nomen eius Emmanuel».

II – Critica textus seu interpretatio verbalis

v. 13. Audite ergo domus David... propheta non amplius ipsum regem incredulum sed totam domum David, seu totam familiam regiam alloquitur.

Quare? Quia tota defecerat, salutem propriam non apud Deum (qui populum suum per semetipsum salvare decreverat) sed apud gentes extraneas (Assyrios) quaerens.

v. 14. PROPTER HOC DABIT DOMINUS IPSE VOBIS SIGNUM... Quia Achaz rex divinum auxilium despexerat, et signum huius auxilii petere recusaverat, Dominus ipse signum dabit.

Signum ('ot), in S. Scriptura adhibetur ad factum aliquod sive *extraordinarium*, i. e. miraculosum, sive *ordinarium* i. e. naturale significandum. Ex contextu autem, factum *extraordinarium*, seu miraculosum significat, et quidem ab ipso Domino electum. Utrum vero signum hoc sit signum benevolentiae vel non, postea investigabitur.

ECCE (*hinneh*). Hac particula Isaias vaticinia *solemnissima* incipere solet, sive proxime sive remote futura. Particula, ergo, de se, minime tempus determinat, sed efficacissima est ad auditorum attentionem excitandam.

Hic observari potest quod particula haec « ecce » aliquando (e. g. Lev., 13, 8; Deut. 13, 15; Sam. 9, 7; 20, 12 etc.) ad propositionem aliquam *hypotheticam* introducendam adhibetur, et tunc significat: *posito quod, si* ... Sensus ergo tunc esset: « quod si Virgo tunc conciperet et pareret filium suum Emmanuel, iste, nondum discretionis annos attigisset, et terra Iudae iam esset desolata et destructa ». Ita Davidson, Huyghe, Durand, Condamin. Attamen, haec significatio vocis *ecce*, apud prophetas, in genere, minime communis est, et apud Isaiam, in particulari numquam (in 24 textibus in quibus occurrit) talem significationem habet. [1]

VIRGO (hebraice *'almah*). Articulus *hă* praefixus voci *'almah*, non necessario significat quod agatur de muliere iam auditoribus nota, eo quia in praecedenti contextu propheta nullam mentionem de ipsa facit; sed significat agi de puella bene determinata, a Deo electa, quae, licet auditoribus ignota adhuc esse possit, illam propheta ut bene *determinatam* perspicit.

Sed quid significat *'Almah*? CATHOLICI in etymologia nominis instantes, contendunt *'Almah* significare *puellam virginem*, cum *bethulah* declaret viginem cuiuscumque aetatis.

ACATHOLICI, vero, verbo *'almah*, quod ducunt a radice *'alam* (= nubilis fuit, matura fuit) subiciunt notionem mulieris *iuvenis*, sive innuptae sive recenter nuptae.

Ad quaestionem hanc plene dirimendam, ad sex attendere debemus, videlicet: 1) ad sensum etymologicum, 2) ad usum biblicum, 3) ad vim huius vocabuli in linguis hebraicae cognatis; 4) ad interpretationem verbi « *'almah* » in versionibus praecipuis; 5) ad traditionem iudaicam; 6) ad contextum.

[1] CEUPPENS, l. c., p. 192.

I. *Sensus etymologicus* vocis « *'almah* ». *S. Hieronymus* et alii plures post ipsum, tenuerunt vocem « *'almah* » a verbo *'alam* (= *abscondit*) provenire, et consequenter *absconditam*, *velatam* i. e. *non coniugatam* (ἀπόκρυφος) significare; apud Orientales enim, puellae ante matrimonium in domo paterna *absconditae* manere solebant. Attamen, haec etymologia hodie communiter, etiam a catholicis, parum verisimilis habetur, eo quia *'almah* est forma foeminina vocis *elém* quae *adolescentem* significat, qui certe non vocatur *elém* quia *absconditus* mansit.

Attamen, si etymologia quam proponit S. Hieronymus parum verisimilis videtur, adhuc minus verisimilis, imo, inverisimilis omnino habenda est acatholicorum recentiorum explicatio. In hebraico enim sermone *elém*, cuius femininum est *'alam*, certo designat puerum, adolescentem, i. e. virum in aetate quae matrimonium praecedit constitutum (cfr e. g. 1 Sam., 17, 56; et 20, 22 cum 20, 53). Quare, *'almah*, sola vi vocis inspecta, significat *puellam*, adolescentulam quae matrimonio adhuc collocata non est, et ideo virginem.

Ceterum, etymon, parum per se valet. Scite enim animadvertit *P. Lagrange*, vocabulum germanicum « Jungfrau », quod ex sese *mulier iuvenis* significat, ex usu significare *virginem* (*R. B.*, 1892, 487). Hinc potius quam ad etymon, ad *usum* attendere debemus.

II. *Usus biblicus*, seu loci *paralleli*. Praeter textum Isaiae, vox *'Almah* in *sex* aliis locis S. Scripturae adhibetur, videlicet:

1) Vocatur *'almah* Rebecca (Gen., 24, 43) quae paulo supra dicta est « Puella decora nimis, *virgoque* (*bethulah*) pulcherrima et incognita viro » (Gen. 24, 16).

2) Vocatur *'almah* Maria soror Moysis, in Ex. 2, 8, ubi sermo est de puella quae occulte observat quid eventurum sit de fratre infante ad ripam fluminis in fiscilla deposito. Iamvero, tunc soror Moysis, ut ex ipso contextu apparet, minor erat aetate et nubilis.

3) Vocantur *'Almôt'* (in Vulg. *iuvenculae*) in Ps. 67, puellae quae, in ingressu triunphali arcae sanctae, choros ducebant, tympanis concrepantes. Iamvero mulieres quae religiosis functionibus destinabantur erant adolescentulae innuptae. (Cfr Mangenot, *Dict. de la Bible*, t. 1, 392).

4) Vocantur *'Almôt'* in Cant. 1, 2, *adolescentulae* (Vulg.) quae fragrantia sponsi attractae, cupiunt eum in sponsum assumere: « oleum effusum nomen tuum, ideo *adolescentulae* ('almôt') dilexerunt te ».

5) Vocantur pariter *'Almôt'* in Cant. 6, 7, adolescentulae ad reginarum obsequium deputatae, vel a rege postea in uxores ducendae. Sunt ergo *virgines*, eo quia *reginis* et regis concubinis opponuntur.

6) Etiam in 1 Prov. 30, 19, verbum *'almah* (prout legitur in textu hebr.) usurpari de *virgine* vix non est certum. Sapiens dicit quatuor esse scitu difficillima, nempe: viam *aquilae* in coelo, viam *colubri* super terram, viam *navis* in medio mari, et viam *viri* in adolescentula. Sequenti vero versiculo explicat quare hoc difficile sit: quia videlicet etiam mulier nupta ita occultare potest et scit adulterii peccatum ut a nullo cognosci possit; ita evenire potest de puella innupta, quae ita abscondere potest *viam* seu sui peccati indicia ut virginitatis famam adhuc conservet.

Ergo, etiam in Prov. vocabulum *'almah* puellam nubilem significat et saltem *de iure* virginem.

Animadverti potest quod in Vulgata et in versione syriaca, loco '*almah* (in adolescentula sua), habetur: *in adolescentia sua*, ita ut legatur: « viam viri in *adolescentia sua* ». Attamen, concordia codicum, versionum antiquarum (chaldaica, Symmachi, arabicae), et parallelismus contextae orationis, cogunt retinere '*almah* (in adolescentula).

Iure ergo S. Hieronymus scribebat: « Ostendant (Iudaei) mihi ubi hoc verbo ('*almah*) appellentur et nuptae, et imperitiam confitebor » (*Contra Iovin.*, 1, 32, PL 23, 266).

III. *Vis vocis* '*Almah in linguis hebraicae cognatis*. Recte dici potest quod in omnibus linguis semiticis seu hebraicae propinquis (prout apparet ex inscriptionibus Palmyrae a. 137 p. Ch. n., ex documentis insulae Elephantinae et ex aliis textibus aramaicis nuper detectis), vox '*almah* probabilissime significat puellam, quae sane (nisi de facto contrarium probetur) semper ut virgo habenda est.

IV. *Interpretatio verbi* '*Almah in versionibus praecipuis*.

1) Versio Graeca LXX Interpretum vertit '*almah pro* ἡ παρθένος quo vocabulo designatur vere proprieque *virgo*.

2) Versio Syriaca *Pešitto* habet *betûltô*, quod significat *virginem*.

3) Versio Latina *Vulgata* habet *virgo*.

Aquila, Symmachus et Theodotio, loco *virginis* (ἡ παρθένος) posuerunt *adulescentula* (ἡ νεᾶνις): quae versio quamvis non omnino falsa sit, attamen minus felix, imo a Iudaeis aetate Christiana dolose invecta dicenda est, et ideo a S. Iustino (*C. Tryph.*, 84, PG 871) fortiter reprobata fuit.

V. *Traditio iudaica*. Applicatio huius prophetiae Isaiae facta a S. Matthaeo, nobis revelat quaenam fuerit saec. 1 post Christum *iudaica interpretatio* huius loci. Etenim, S. Evangelista suis contemporaneis *virginalem Maternitatem* Mariae suadere non potuisset si in verbis Isaiae miraculosam Messiae conceptionem enunciatam non vidissent. Frustra autem Rationalistae interpretantur locum S. Matthaei de *fortuita adimpletione*, in B. Virgine, eius quod de alia persona ab Isaia dictum erat. Haec enim interpretatio sive *textui* sive *intentioni* Evangelistae contradicit. Ipsemet Strauss eos confutat. (Cfr *Vie de Jésus*, Paris, 1853, t. 1, p. 196).

Hoc confirmatur pluribus *versionibus* a Iudaeis ipsis peractis.

VI. *Contextus*. Isaias, enim, ibi *signum* sollemniter proponit; at « *quodnam signum* — scribebat Origenes contra Celsum — parere puellam non virginem? » (*C. Celsum*, 38, PG 11, 728). Et hoc ex ipso contextu ita evidens est ut ipse Calvinus scribere non dubitaverit: « Evidens est Isaiam de quadam virgine locutum esse quae non secundum communem naturae ordinem, sed Spiritus Sancti gratia concipere debuit » (*Comm. Is.*, h. 1) E. F. C. Rosenmueller, novator, pariter scripsit: « Intellexisse autem Isaiam, cum haec loqueretur, *virginem* parituram, verba ipsa demonstrant » (*Scholia in V. T.*, Lipsiae, 1835, p. 123). Alii vero (ut Driver, von Orelli etc.), evidentia coacti, saltem hoc concedunt, Isaiam in *conceptu* et *nativitate* Emmanuelis aliquid mirabile, arcanum, inexplicabile vidisse.

Vox igitur '*almah* adolescentulam significat nubilem (non nuptam) quae de iure supponitur *virgo*.

* * *

CONCIPIET ET PARIET FILIUM. Hebraice: « harah v^{e}yoledet ben » i. e. *gravida et pariens filium*. Etenim, *harah* est adiectivum femininum in statu absoluto (non *verbum*, prout habetur in Vulgata) quod significat « gravida », et *v^{e}yoledet* est participium activum femininum *Kal* significans « pariens ».

Iamvero, formae *adiectivales* sunt appositiones quae superadduntur nomini seu subiecto absque ulla mutatione subiecti; sic, e. g., si dico: « Virgo alta et pinguis », altitudo et pinguedo, per talia adiectiva significata, characterem subiecti i. e. virginitatem nullimode mutant. Quamvis ergo futurum Vulgatae: « concipiet et pariet » sensum divisum possibilem reddat, textus tamen hebraicus illum omnino excludit; imo participio illo *yoledet* (= pariens) simultaneitas clarissime exprimitur.

Propheta ergo videt et annuntiat *virginem* gravidam et parientem in sensu *compositio* (i. e. gravida et tamen remanens virgo) non vero in sensu *diviso* (i. e. virgo, quae usque ad conceptionem virgo permansit, et in ipsa conceptione virginitatem perdidit). Etenim, si accipienda essent verba prophetae in sensu diviso, haec quaeri iure possent: 1) Quare propheta mulierem illam tanta cum sollemnitate vocat *'almah*? ... Multae enim matres in tali conditione concipiunt et pariunt; 2) quare modo tam peculiari laudibus extulit propheta illius virginitatis statum qui conceptionem praecessit, cum status ille multis puellis communis sit? ... 3) Undenam, ut iam animadvertimus, ratio signi *extraordinarii* in tali ordinaria conceptione? ...

Insuper, ex ipso textu et contextu, nedum virginalis conceptio sed etiam *virginalis partus* eruitur. Propheta enim, in ipso actu concipiendi et *pariendi* vocat illam non *mulierem* (*iscia*) sed *virginem* (*'almah*). *Virgo* illa, igitur, virginitatem suam retinet nedum in conceptione Emmanuelis, sed etiam in *partu* eiusdem. Isaias ergo, divinitus illustratus, et conceptionem et partum virgineum matris Emmanuelis solemniter praenuntiavit.

* * *

ET VOCABITUR NOMEN EIUS EMMANUEL. In hebr. habetur tertia persona feminina, et ideo, iuxta communem interpretationem significat: *et vocat* (vel et *vocans*) nomen eius ... Lectio enim haec optime congruit cum participio certo *yoledet* (pariens) et cum adiectivo *harah* (gravida, seu concipiens); congruit etiam cum *contextu*, eo quia si sit virgo quae (virgo manens, et ideo absque viro) concipit et parturit Emmanuelem, convenit ut nomen ei a virgine matre, eaque sola, imponatur.

Emmanuel (hebr. *'immanû'el*) significat « nobiscum Deus ». Nomen hoc, in V. T., apparet tantummodo apud Isaiam (7, 14; 8, 8), et semel tantum in N. T. ud Matth. 1, 23. Si abstrahi posset *a contextu* subsequenti Isaiae et ab inter-

pretatione S. Matthaei, ex ipso *solo* nomine non posset deduci puerum qui praedicitur nasciturus esse reapse *Deum*: multa enim sunt nomina, uti aiunt, *theophora* in V. T., quae divinitatem evidenter excludunt ab illis qui talibus nominibus appellantur. Attamen, si attendatur ad ea quae de puero isto propheta postea praedicit (praesertim 8, 8; 9, 6-7; 11, 1 et ss. ubi maiestatem eiusque divinitatem aperte proclamat), et si attendatur ad interpretationem S. Matthaei nec non ad integrum Incarnationis eventum, evidentissime patet nomen *Emmanuel* non esse nomen vacuum aut symbolicum, sed esse significativum divinitatis illius pueri ex virgine matre nascituri.

BUTYRUM ET MEL COMEDET etc.... Duo ultimi versiculi (15 et 16) sat obscuri sunt, ita ut quamplurimae explicationes propositae sint.

Nos hic, brevitatis causa, proponimus tantummodo interpretationem quae a P. A. VACCARI S. J. defenditur (cfr *Verbum Domini*, vol. XVII, 1937, p. 45-49; 75-81) eo quia fere certa nobis videtur.

Aliqua, ante omnia, sunt PRAEMITTENDA: prout apparet ex toto *contextu*, duplex distingui debet prophetiae obiectum: 1) unum *principale* et absolutum, i. e. *conservatio* davidicae dynastiae; 2) aliud *secundarium* et conditionatum, i. e. *prospera conditio* davidicae stirpis.

Ad I. Etenim, praecipua coniuratorum hostium (i. e. duorum Regum, Damasci et Iudae) insidia dirigebatur contra regem et contra davidicam stirpem quam radicitus evellere sibi praestituerant, ponendo super thronum Davidis novum regem a stirpe davidica et forsan etiam a gente Israelitica alienum (v. 7). Hoc patet: *a*) ex 2 (4) Regum, 16, 5, ubi dicuntur hostes « regem Acaz » circumdare atque urgere (iuxta vim textus hebr.); *b*) et ex eo quod nuntium hostilis invasionis allatum fuit « domui David » i. e. regiae stirpi. Et haec (i. e. imminens destructio davidicae stirpis) erat pro rege Acaz praecipua terroris causa. Ad hunc terrorem ab animo Regis avertendum Deus Isaiam misit, qui Dei nomine, *absolute*, dixit: « non erit, neque stabit » (v. 7) consilium hoc hostium, seu, effectu carebit, eo quia sicuti « caput Syriae Damascus et caput Damasci Rasin », sicuti « caput Ephraim Samaria, et caput Samariae filius Romeliae » (i. e. Phacee), ita (conclusio haec, quamvis non exprimatur, tamen logice ex praemissis sequitur) caput Iuda est et remanere debet Ierusalem, et caput Ierusalem rex davidicae stirpis, iuxta solemnem Dei promissionem (2 Sam. 7, 12-16; Ps. 89 [88] 19-37).

Ad II. Praeter conservationem davidicae stirpis Deus solemniter promiserat etiam *prosperam* eius, *conditionem* sed *conditionate*: « Si dereliquerint filii eius legem meam, et in iudiciis meis non ambulaverint ... visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum » (Ps. 88, 31). Relate ad hanc temporalem prosperitatem, propheta conditionate dicit: « si non credideritis, non permanebitis » (v. 9), seu hebraice cum alliteratione: *'im lo' ta' 'amîmū, kî lo' tē 'āmēnū*, i. e. si non fiditis Deo, ita ut, confisi Eius promissionibus indefec-

tibilibus, salutem expectetis ab eo, non ab artibus humanae politices (Acaz enim iam tum cogitabat, quod postea effecit, invocare nempe Assyriorum auxilium ut pressuram Rasin et Phacee a se excuteret) « non permanebitis » in illa pace et prosperitate quam Deus vobis ultro promiserat. Emmanuel ergo ex virgine miraculose nasciturus, signum erat proximae liberationis ab hostibus intra duos vel tres annos efficiendae, et reapse postea effectae, relate ad obiectum *primarium* et *absolutum* prophetiae (i. e. relate ad *convservationem* davidicae stirpis, eo quia *Messias* seu Emmanuel ex illa erat oriundus); non vero relate ab obiectum *secundarium* et conditionatum prophetiae (i. e. relate ad *temporalem prosperitatem* davidicae stirpis) eo quia non *crediderat* i. e., non est confisa promissionibus divinis sed auxilio Assyriorum seu extraneorum.

Signum igitur quod v. 14 praedicitur a Deo dandum, est eiusdem generis ac destinationis atque illud quod v. 11 regis optioni offertur petendum, i. e. *est signum undique salutis et felicitatis*, prout interpretes tam Christiani quam Iudaei usque ad medium circiter saec. XIX tenuerunt, et prout ex ipso nomine Emmanuel (Deus est nobiscum) erui potest. Consequenter, quod Emmanuel dicitur « butyrum (seu lac spissum, concretum) et mel » comesturus, est signum *abundantiae et prosperitatis*, non vero miseriae et desolationis, eo quia comestio butyri et mellis in sermone biblico prosperitatem et abundantiam significat.

Nec iuvat OBICERE: Post signum a Deo oblatum (v. 11) et ab Acaz impie repudiatum (v. 12), non potest certe expectari pro Acaz incredulo et infideli signum liberationis, sed vaticinium vastationis, iuxta normam in v. 9 enunciatam: « si non *credideritis* non permanebitis ».

RESPONDETUR: certe, et infidelitas Acaz punienda erat; sed punitio haec non iam in versiculis 14-16, sed in v. 17 et seq. clare denuntiatur eo quia Deus adhibuit ipsos Assyrios, quorum Acaz auxilium imploraverat, ad poenam ei infligendam; punitio, ergo, fit non in ipso statim signo (quod a Deo dandum promittitur) sed in secundo momento. Natura ergo signi, de facto, a Deo non mutatur. Norma vero v. 9 enunciata, bene applicatur poenae v. 17 et seq. statutae, circa *prosperam conditionem* stirpis davidicae: « Si non credideritis, non permanebitis in illa pace ac prosperitate quam Deus vobis, ex sua benignitate, ultro promiserat ».

Hisce praemissis quoad *naturam signi*, ad interpretationem versiculorum 15 et 16 procedere possumus.

a) BUTYRUM ET MEL COMEDET ... Butyrum (hebr. *hem' ah*) idem est ac lac spissum, concretum (la crema). Butyrum et mel (vel butyrum *cum melle*) (cfr *R. B.* [1903] 241-44) comedere, est — ut diximus — *prosperitatis indicium*. Nomine enim « terrae fluentis lac et mel » designatur Palaestina uti regio felix et bonis omnibus affluens. Iamvero cum locutionibus istis, nostra locutio est omnino parallela et arctissimo nexu coniuncta. Nec ratio adest ab hac significatione recedendi.

Sed Obicitur: in vv. 21 et 22, comestio butyri et mellis exhibetur inter *indicia* summae desolationis et penuriae. Dicitur enim: « et erit in die illa, nutriet homo vaccam boum et duas oves et prae *ubertate* lactis comedet butyrum; butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terrae ».

Respondetur: *nego suppositum*, eo quod in illis versiculis (21 et 22) sat clara indicia habentur ex quibus patet ibi agi non de penuria sed de abundantia. Etenim, ut animadvertit P. Vaccari (l. c., p. 76): « Mirum esset, si ad indicandam penuriam adhiberentur verba abundantiae, et hic dicitur: « prae *copia* lactis comedent butyrum ». Nec dicatur penuriam indicari *ipso genere alimenti*, nempe lacte, sive quod sit vilis cibus, sive quod subintelligatur deesse fruges agrorum; nam, idem valeret de « terra fluente lacte et melle » contra manifestum Scripturae sensum; quae enim differentiae ratio assignari potest? Praeterea, quod unusquisque (haec enim est vis vocis « homo » v. 21 ex usu hebraico *'îs*) nutriat unam vaccam et duas oves, h. e. quod nemo sit de populo, quin saltem tale parvum peculium possideat, id certe non est publicae calamitatis et miseriae, sed contra non ordinariae prosperitatis indicium ». In vv. ergo 21 et 22 felix condicio describitur, quae immediate praecedit desolationem v. 23 adumbratam, ita ut sensus sit: « eo tempore (in die illa) e tam felici statu (ut vita passim sustentetur butyro et melle) in tantam desolationem devenietur ut agri redigantur in vepres ».

b) Ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

Praefixum *le* (ut) plures significationes habere potest: *a*) significatio magis obvia, est finalis, i. e. *ut*, prout habetur in Vulgata. Attamen, significatio haec contextui dissonat, ita ut ipsemet S. Hieronymus suum *ut* exponat per *quamvis*. *b*) Alia significatio est *usque ad, donec* (Iob., 38, 13; Dan., 9, 24); *c*) Tertia significatio est *quando* (Is. 10, 3; Gen., 8, 11; Iob., 24, 14).

Probabilior significatio est *quando*, prout ex ipso contextu apparet, eo quia proxime dicitur: « Quia *antequam* sciat puer ... ».

c) Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum ... Particula *quia* indicat dari in sequentibus rationem *cur* tunc puer ille portentosus manducaturus sit butyrum et mel.

Malum autem et *bonum*, referenda sunt, probabiliter non *ad gustum* (prout vult P. Murillo) sed ad *mores*, ita ut sensu sit: « Quando puer (Emmanuel) ad *aetatem discretionis* pervenerit, vescetur butyro et melle, *quia* antequam aetatem illam attingat, derelinquetur terra ... »...

d) Derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.

Verbum hebr. *te 'azeb*, quod in Vulgata vertitur « derelinquetur », secundum recentiores pene omnes rectius verteretur « vastabitur, desolabitur »; in hoc sensu enim constanter accipitur haec vox apud Isaiam, ubi de regione aliqua sermo est (Cfr 17, 2, 9; 27, 10 etc.).

Igitur, iuxta vim et constructionem textus hebraici ita verti debet: « vastabitur terra a cuius duobus regibus tu molestia premeris ». Ergo iuxta textum

hebraicum, TERRA cuius vastatio praedicitur, non est terra Iuda (prout vellent plures interpretes qui vim textui inferre coguntur; cfr CEUPPENS, o. c., pp. 199-203) sed est *terra duorum regum* i. e. Rasin et Phacee qui, foedere iuncti, constituerant regem Acaz eiusque stirpem evellere: quod vere paulo post factum est a Tiglat-Pileser IV, Rege Assyriorum (cfr 2 Reg., 16, 5-20).

Obicitur: Duo regna distincta et separata (Ephraim et Syriae) inepte omnino appellarentur nomine singulari *'ādāmāh* solum, terra.

Respondetur: Non est absonum quod duo regna *contigua* uno singulari nomine *regionis* comprehendantur, prout peritissimi linguae hebraicae facile admittunt (Cfr E. KÖNIG, *Das Buch Jesaia* , Gütersloh, 1926, p. 118).

Itaque, concludentes, sensus duorum versiculorum (15 et 16) est: « Emmanuel, quando ad aetatem discretionis pervenerit (i. e. quando sciet reprobare malum et eligere bonum) vescetur butyro et melle (signum prosperitatis); quia antequam puer (Emmanuel) aetatem illam (discretionis) attingat, vastabitur terra a cuius duobus regibus tu molestia praemeris ».

Duo ergo hic determinantur: *a*) conservatio *Domus* Davidis (contra hostile consilium duorum Regum) eo quia ex domo davidica Messias i. e. Emmanuel *miraculose* (signum *extraordinarium* a Deo patratum) orietur;

b) *terminus liberationis statuitur*, eo quia antequam puer ad aetatem discretionis perveniat (hinc non post longum tempus) vastabitur terra duorum regum qui domum David vastare volebant.

III – Interpretatio realis

Quinam sint Emmanuel et « 'Almah »

Triplicis generis interpretationes distingui possunt: *A*) Interpretationes quae omnem sensum messianicum excludunt; *B*) Interpretationes quae sensum messianicum *typicum* admittunt; *C*) Interpretationes quae sensum messianicum *litteralem* admittunt.

A) *Interpretationes quae omnem sensum* **Messianicum** *excludunt.*

Praecipuae tres sunt.

1) *Prima interpretatio*: EMMANUEL est *Ezechias* rex, filius Acaz, et *'Almah* est uxor Acaz. Ita Hebraei, tempore Patrum, teste S. Hieronymo, et nostra aetate acatholici Maspero, Lagarde, M. Curdy etc.

S. Hieronymus Hebraeos irridet, demonstrans quomodo Ezechias, quando Isaias oraculum protulit, i. e. anno I. regni Acaz, aetatem novem annorum habuerit. Ergo Isaias non potuit, tempore regni Acaz, conceptionem et nativitatem Ezechiae praedicere.

2) *Secunda interpretatio*: EMMANUEL est *filius Isaiae*, et *'Almah* esset sive uxor Isaiae, quae prophetissa nuncupatur (8, 3), sive uxor iuvenis quae, tempore prophetiae, Isaiae erat desponsata. Ita Iudaei quidam posteriores (Ibu Ezra, Iarhi) et Grotius, Gesenius, Hitz, Olzhausen inter Protestantes. At quomodo filius Isaiae dici posset dominator, rex pacis, principatum super humeros habens, imo rex et Salvator Iudae? ...

3) *Tertia interpretatio*: EMMANUEL est puer quicumque indeterminatus, et 'Almah est mulier indeterminata nubilis ac iuvenis, eo quia prophetae intentio est solummodo proximitatem salutis et liberationis praedicere i. e. a liberatione tantum tempus decurret quantum a conceptione (hic et nunc) alicuius mulieris usque ad neonati discretionem decurreret. Ita Kuenem, Smith, Marti et, in genere, Radicales.

At, iure observari potest quod propheta non loquitur *conditionate* sed *absolute*; nec ratio habetur, in tali opinione, eorum quae de tali puero (bene determinato) in sequenti cap. VIII, 8 ss. dicuntur.

Sententia quae omnem sensum messianicum ab hac prophetia excludit damnata est a Pio VI in Brevi « Divina » (*Enchir. Bibl.*, 20 sept. 1779, n. 59).

B) *Interpretationes sensum Messianicum* **typicum** *admittentes.*

Inde a tempore S. Hieronymi quidam sensum messianicum typicum admiserunt dicentes EMMANUEL esse filium Isaiae « generatim in typum Domini », (*In Is.*, PL 24 112) et 'Almah esse uxorem Isaiae, typum Mariae. Opinionem hanc inter Catholicos secuti sunt Richardus Simon, Lamy, Bossuet, Calmet, Le-Hir etc.

Attamen: 1) Typica significatio omnino gratuito asseritur, et nullimode demonstrari potest, sive ex S. Scriptura sive ex Traditione; 2) Deest fundamentum pro sensu typico. Etenim: typus (in eo praecise in quo typus est) debet antitypum repraesentare. Atqui virgo nupta, modo naturali concipiens, nequit repraesentare formaliter virginem modo supernaturali concipientem Ergo ...

C) *Interpretatio quae sensum Messianicum* **litteralem** *admittit.*

EMMANUEL in sensu litterali est Messias, et 'ALMAH est B. Maria V. Est interpretatio communis, nostris diebus, apud Catholicos.

Probatur: I. Ex Scriptura et praecipue ex Matth. 1, 18-25, ubi Evangelista diserte omnino testatur hoc Isaiae vaticinium in conceptu virgineo B. M. V. impletum fuisse. Ergo Isaias praedixit Iesum nasciturum ex Virgine, integro remanente virginitatis flore, et ideo EMMANUEL est Christus, et *'Almah* est B. Maria V. Hoc autem Matthaei testimonium, prout ex verbis (« hoc autem totum factum est ut adimpleretur ... ») patet, est pro sensu non typico, neque (a fortiori) accommodatitio, sed pro sensu *litterali prophetico*.

II. Ex unanimi interpretatione Patrum et scriptorum Catholicorum. (Cfr CEUPPENS, o. c., p. 216).

III. Ex ipso contextu totius prophetiae. Etenim: *a*) terra Iudae, in T. V., constanter *terra Iahvéh* et non terra regis nuncupatur. Iamvero, eadem terra Iudae etiam *terra Emmanuelis* dicitur (8, 8): quod fieri nequit (prout concedit ipse Marti) nisi Emmanuel sit ipse Messias. Frustra vero ad hanc illationem subvertendam quidam asserunt textum hebraicum ibi corruptum fuisse; etenim, huius corruptionis nullum indicium in manuscriptis et in versionibus invenitur.

b) Emmanuel, ut pignus salutis praesentis, et ut futurus populi salvator apud Isaiam (8, 8-19) exhibetur. Iamvero, munus hoc Salvatoris, Messiae et Messiae tantum optime competit, prout ex S. Scriptura patet.

Si Emmanuel, ergo, in sensu litterali est Messias, consequenter *'almah* est in sensu litterali mater eius, seu B. Maria V. De qua ergo duo ab Isaia praedicuntur: 1) Eius virginitas sive in conceptione sive in partu Messiae, et ideo Eius virginalis maternitas; 2) Eius *divina maternitas*, eo quia Emmanuel, prout ex contextu clare apparet, nedum est homo (quia nascitur ex muliere), sed etiam Deus.

* * *

Si quaeratur QUAENAM CONNEXIO habeatur inter Emmanuelis seu Messiae prodigiosam nativitatem et liberationem ab illa duorum regum pressura, dicendum est adesse certe *connexionem causalem*, eo quia temporale illud beneficium conferebatur *intuitu Emmanuelis seu Messiae*, seu vi divinae promissionis de solio davidico usque ad illius, per Messiam, complementum conservando. Quod nulla adsit *temporis connexio*, ex hoc patet quod Isaias in subsequentibus vaticiniis (quae cum hoc nostro et inter se seriem continuatam efficiunt) clarissime et apertissime dicit (8, 1-4) liberationem a praesenti duorum regum periculo intra breve tempus secuturam, nativitatem vero Messiae post invasionem Assyriorum et liberationem ab ea serius secuturam (9, 1-7).

Forsan, praeter coniunctionem *causalem*, admitti potest *coniunctio prophetica*, videlicet: Isaias promisit domui David liberationem quia ex ipsa oriturus erat Messias, signum et argumentum salutis, atque ex Messia qui, *prospectu prophetico* nuper natus exhibetur, definit *tempus* quo terra Iudae ab incursione duorum regum liberabitur.

III – VATICINIUM DE RADICE JESSE

(Is. XI, 7)

BIBLIOGRAPHIA

Praeter Commentatores Isaiae superius recensitos, sequentia studia particularia habentur:

Calès I., *Les trois discours prophétiques sur l'Emmanuel*, in *Rech. de Sc. Rel.*, 13 (1922), 169-177; Ceuppens F., in *De Prophetiis Messianicis in Antiquo Testamento*, Romae, 1935, pp. 246-274; Corluy I., *De Radice Iesse*, in *Spicil. Dogm. Bibl.*, Gandavi, 1, 1884, 433-441; Dennefeld, *Messianisme*, in *D. T. C.*, 10, 1929, 1441-1443; Hermann I., *Der Messias aus Davids Geschlecht*, in *Zeitschr. für wiss. Theol.*, t. 51, 260-268; Tobac E., *La prophétie du rejeton de Jessé*, in *D. T. C.*, 8, 1924, 525-538.

Prophetiae Momentum. Prophetia haec (una cum prophetia immediate praecedenti de *parvulo nato*, 9, 1-7), prophetiam iam expositam de *signo Virginis pariturae* evolvit et complet, ita ut cum ea quid unum constituat. Ex hoc patet etiam huius prophetiae momentum.

Tractationis divisio. Tria, ut mos est, praestanda sunt: I. Determinatio contextus et textus; II. Interpretatio verbalis; III. Interpretatio realis.

1 – Contextus et textus

A) **Contextus**. Assur, qui instrumentum fuit Jahveh ad populum Israeliticum iure puniendum, suis victoriis abutitur et populum Israeliticum — contra Dei voluntatem — omnino extirpare vult. Deus autem qui, ratione Messiae, vult ut residuus populi Israelitici permaneat, ipsius Assur perditionem et humiliationem statuit. Clades ista Assyriorum mystice referebat cladem infernae potestatis a Messia ei inferendam. Hinc est quod propheta, a typo ad antitypum pertransiens, ostendit surculum parvum ex humili trunco familiae Davidis erumpentem, cui supernaturalia dona Spiritus S. plenissime infunduntur ad hoc ut regnum iustitiae instituat, quique, hostibus devictis, in signum salutis omnibus gentibus crescat et floreat.

B) **Textus**. Iuxta Vulgatam: « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet ».

Versio vero litteralis textus hebraici haec esset: « Et egredietur *surculus de trunco succiso* Isai et *virgultus* ex *radicibus* illius crescet ».

2 – Interpretatio verbalis

Et egredietur. Copula *et* oppositionem cum antecedentibus indicat, videlicet: potentia Assur destructa est, domus David humiliata est, *sed* e radice domus David surget surculus qui novum fructum afferet.

VIRGA ... hebraice: *surculus*, qui, ut ex v. 2 seq. aperte constat, determinatam aliquam personam designat.

DE RADICE IESSE. Melius, iuxta textum hebr., vertitur: *de trunco succiso*. Surculus ergo oritur ex arbore succisa, cuius tamen radix adhuc in terra superest. Sub hac imagine humilis status familiae Davidis tempore Christi indicatur. In textu hebr. pro *Iesse* habetur *Isai*, quod est nomen patris Davidis qui Bethlehem vixit; virga igitur seu surculus ex familia Davidis originem habebit.

ET FLOS DE RADICE EIUS ASCENDET ... Loco *flos* melius verteretur *virgultus*. Loco *ascendet*, melius verteretur *exurget*.

Ex vi terminorum textus hebraici et ex concordi interpretatione iudaica et etiam ex ipsa Vulgata, apparet omnino versiculum hunc in duos sticos distingui, qui parallelismo synonimo (i. e. id quod asserit primus sticus repetitur, aliis verbis, ab alio stico) arcte inter se coniunguntur, videlicet:

Primus sticus: Egredietur — surculus — de trunco succiso (seu de radice).

Secundus sticus: Exurget — virgultus — de radice.

3 – Interpretatio realis

Quid hic veniat sub nomine **Radicis Iesse**.

Duplex interpretatio distingui potest: *Acatholicorum* et *Catholicorum*.

I. **Interpretatio acatholicorum** omnem messianitatem huic vaticinio denegat. *a*) Aliqui illud de *Ezechia*, rege Iudae, intellexerunt. Ita Moyses-hakkohen, Aben-Ezra, Grotius et Rationalistae quidam. At, haec interpretatio nullimode sustineri potest, eo quia vaticinium hoc rem *futuram* praedicit, dum e contra, Ezechias tunc iam natus erat et iam ab aliquot annis regnabat, prout apparet ex Is. 10, 11; et ea quae de surculo illo dicuntur violenter omnino Ezechiae aptantur.

b) Alii vaticinium illud de *Zorobabele* intellexerunt, principe et duce primorum captivorum e Babylonia in Palaestinam redeuntium. Ita, tempore Theodoreti, quidam Rabbini et quidam acatholici hodierni.

At, contextus huic interpretationi obstat, quia qualitates regi huius vaticinii assignatae, Zorobabeli non conveniunt; et familia Davidis tunc non erat truncus excisus.

II. **Interpretatio catholicorum** messianitatem vaticinii defendit. Propheta verbis translatis utitur; at facile est verba illa translata ad significationem propriam reducere eo quia: *a*) in pericope ipsa clare indicatur quid sit truncus, radix i. e. Isai seu Iesse, pater scilicet Davidis; *b*) ex ipso contextu evidenter apparet Isaiam loqui de Messiae origine, i. e. de eodem de quo locutus erat antea 7, 14; 9, 6-7 seu de Messia. Itaque, *sensus explicitus proprius* est: « Filius (i. e. Emmanuel, Messias) orietur de stirpe Iesse ».

Et hoc probatur argumentis sive *externis sive internis*.

Argumenta externa: *a*) *Ex communi interpretatione Iudaica*: *Targum Ionatham* ita antiquissimam Iudaeorum traditionem refert, in vv. 1 et 6: « Et egredietur rex ex filio Isaiae et Messias (Unctus) ex filio filiorum suorum ungetur ». Multa testimonia interpretationis Iudaicae afferuntur a Galatino (*De arcanis*, 5, 1; 8, 1; 10, 4). Iure ergo S. Hieronymus testatur: « Virgam et florem de radice Iesse ipsum Dominum Iudaei interpretantur ».

b) *Ex unanimi traditione catholica* cuius testimonia collegerunt Reinke (ad h. l.) et Thailhan (*Analysis Bibl. Kilber*, 1, p. 359). Cfr etiam CEUPPENS, o. c., p. 271.

Argumenta interna: Notae enim regis in vaticinio descriptae, tam mirabiles, tam sublimes sunt ut nulli, praeter Messiam, convenire possint. Sic, e. g. quisnam ex hominibus solo signo voluntatis suae subiecit aut subiecturus erit omnes inimicos suos?

Sensus ergo *explicitus* prophetiae est origo Messiae ex familia Iesse seu ex *radice Davidis* (Apoc., 5, 5,).

At praeter hunc sensum *explicitum*, interpretatio catholica sensum etiam *implicitum* (et quidem *formalem* non virtualem) admittit, videndo *in virga* B. M. Virginem significatam. « Nos autem — scribit S. Hieronymus — *virgam* de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi fruticem cohaerentem, de qua et ut supra legimus: ecce virgo etc. et *florem* Dominum qui dicit in Cant. Canticorum: ego flos campi et lilium convallium » (in h. l.).

GASPAR SANCTIUS asseruit *virgam*, ex *communi Patrum consensu*, esse Matrem Messiae. Ad hunc vero communem Patrum consensum demonstrandum, P. PASSAGLIA (*De Immaculato* ..., vol. I, pp. 588-599) fere 50 Patrum testimonia refert, incipiendo a S. Iustino, quibus vix 10 ex antiquis et quorundam recentiorum opponi possunt.

Et bene quidem: significatio enim Matris, prout animadvertit D'Alès (in *Dict. Apol.*, III, 122), est simpliciter contenta in conceptu collectivo *radicis Iesse*. Ex ipso enim Isaia 7, 14, scimus Messiam humanam carnem *ex matre*, non vero alio modo (e. g. Eva ex Adam) et quidem *miraculose* (i. e. absque principio activo humano) sumpturum esse. Origo ergo Messiae ex stirpe Iesse in *sola matre* fundatur, et ideo, pro Messia, radix Iesse est *sola mater*, usque ad quam, per *lineam* virilem, illa radix extenditur. In illa pericopa ergo, *implicite*, sensu iam exposito, continetur significatio *Matris* Messiae i. e. B. Mariae V.

Sed ulterius quaeri potest: significatio haec implicite contenta, estne *formalis* vel *virtualis*? Videtur *formalis*, eo quia vim ipsorum terminorum ipsius pericopae non excedit, praesupposita tamen revelatione de Messiae origine *ex sola Matre*, absque patre. Terminus enim *orietur* a nobis explicari debet iuxta modum originis nobis a Deo ipso revelatum. Significatio ergo Matris impli-

cite et *formaliter* sive in termino *orietur* sive in termino *radix* continetur, in quantum scilicet radix, in sua pleniori significatione, ad Mariam usque se extendit.

Interpretes igitur *explicite* reddiderunt in primo stico, id quod *implicite et formaliter* in pericopa continetur.[1]

IV – VATICINIUM MICHAEAE DE PARTURIENTE PARITURA IN BETHLEHEM

(Mich. V, 2, 3)

BIBLIOGRAPHIA

I. *Commentarii in Michaeam.*

1) Auctores catholici:

Dürr L., *Wollen und Wirken der altest. Propheten*, Düsseldorf; 1926, 80-89; Reinke L., *Der Prophet Micha*, Giessen, 1874; Tobac E., *Les Prophètes d'Isrëal*, Malines, 1919, t. 1, 243-268.

2) Auctores acatholici:

Beck I. T., *Erklärung der Propheten Micha und Ioël*, Gütersloh, 1898; Cheyne T. K., *Micah with notes and Introduction*, Cambridge, 1902; Elhorst H. I., *De Prophetie van Micha*, Arnhem, 1891; Posner A., *Das Buch des Propheten Michah*, Frankfurt, 1924; Smith I. M. P., *Micah (Intern. Crit. Comm.)*, Edinburgh, 1912.

II. *Studia particularia* in c. 5, vv. 1-5:

Ceuppens F., in *De prophetiis Messianicis in Ant. Test.*, Romae, 1935, pp. 340-357; Corluy I., *Spicil. Dogm. Bibl., De ortu Christi in Bethlehem*, Gandavi, 1, 1884, 442-446; Protin S., *La Vierge Mère chez Michée* (5, 2), in *Rev. August.*, 15 (1910), 589-592.

Prophetiae momentum nedum ex hoc desumitur quod a Michaea propheta clarissime praenuntiatur ortus Christi in *Bethlehem*, sed etiam praenuntiatur *mater* eius, ita ut vaticinium Michaeae veluti parallelum dici debeat vaticinio Isaiae (coaevi eius) de *virgine paritura*.

Divisio tractationis. Tria exponenda: 1) Contextus et textus; 2) Interpretatio verbalis; 3) Interpretatio realis.

[1] Quod de hac prophetia Isaiae diximus, etiam de prophetia Balaam (Num. 24, 17) de « Stella (seu de Messia) ex *Iacob oritura* dici debet, i. e. implicite et formaliter etiam in hac prophetia significatio Matris continetur.

Relate vero ad Vaticinium Ezechielis de *porta clausa* (44), dicendum est verba illa solo sensu *accommodatitio* (quamvis optimo) B. M. Virgini applicari posse (cfr. Knabenbauer).

1 – Contextus et textus

A) **Contextus**: Michaeas, postquam in tribus prioribus capitibus castigationes divinas ob infidelitatem populi erga Iahveh praenuntiavit, in capitibus 4 et 5 promissiones pro Iuda gloriosissimas profert, i. e., victoriam perfectam Iudae per Dominatorem seu Salvatorem qui in Bethlehem orietur, et populum ad maximam gloriam adducet.

B) **Textus** v. 2: « ET TU BETHLEHEM Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. v. 3. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo PARTURIENS PARIET: et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israel ».

2 – Interpretatio verbalis

ET TU BETHLEHEM EPHRATA ... Ita in Vulgata et in ipso textu Massoretico. At, in versione graeca 70 interpretum habetur: « et tu, Bethlehem, Beth Ephrata », et ob hanc rationem haud pauci exegetae putaverunt *Bethlehem* apud 70 et *lehem* in textu Massoretico interpolationem constituere posteriori tempore introductam ad hoc ut identitas inter *Ephratam* et *Bethlehem* asseri potuisset; et ideo, textus primigenius Michaeae, iuxta illos, habuisset: « Et tu, Beth Ephrata ». Quidam tamen horum exegetarum non renuunt agnoscere glossam omnino intentionem significare ipsius prophetae qui de Beth Ephrata loquendo, Bethlehem designare voluit eo quia incolae Bethlehem de facto in S. Scriptura (e. g. Ruth, 1, 2; 1 Sam., 17, 12) Ephrataei nuncupantur. (Ita Nowack, Marti).

Attamen, contra hos exegetas animadverti debet quod nomen *Beth Ephrata* in S. Scriptura nullibi invenitur, et ideo explicari non potest quomodo Michaeas nomen illud adhibere potuerit ad Bethlehem designandam. Lectio ergo primigenia est illa quae in textu Massoretico et in Vulgata habetur, i. e.: « Et tu Bethlehem Ephrata ». Viri Bethlehemitae considerantur Ephrataei quia egressi sunt ex Ephrata, in finibus Beniamin, prope Rama. Michaeas vero, dicendo *Bethlehem Ephrata*, distinguere voluit hanc civitatem ab alia civitate Bethlehem in terra *Zabulon* (Ios., 19, 15).

PARVULUS IN MILLIBUS IUDA ... i. e. Bethlehem « parva inter coetus Iudae ». Et de facto Bethlehem in V. T. semper ut *parva* consideratur. Nec opponi potest S. Matth. 2, 6: « nequaquam minima es in principibus Iuda », eo quia dum Michaeas considerat Bethlehem prout erat historice *ante* Messiae nativitatem, Matthaeus e contra considerat Bethlehem *post* prophetiam Michaeae adimpletam.

EX TE MIHI EGREDIETUR QUI SIT DOMINATOR IN ISRAËL. Illud *mihi*, non ad ipsum prophetam refertur (prout vellet Rosenmüller) sed ad Iahveh (de quo in c. 4, 13 et 5, 2), ita ut *Dominator* ille pro Iahveh egrediatur ad decreta Iahveh adimplenda et potestatem Iahveh in regno Iudae instaurandam.

ET EGRESSUS EIUS AB INITIO, A DIEBUS AETERNITATIS. Iuxta Ceuppens (o. c., p. 344) verbis istis propheta exhibere voluisset « familiae Davidicae, e qua Messias oriundus erat, *antiquitatem et gloriam* », in oppositione ad « *magnam humilitatem* loci originis Messiae ». Ita etiam Van Hoonaker, Tobac, König etc. Sed non videmus qua ratione hoc asseratur.

Melius ergo, et magis obvie cum P. Corluy, Crampon, Knabenbauer etc. verba illa intelliguntur de *origine aeterna* futuri Dominatoris seu Messiae in sinu Patris, ita ut Propheta duplicem Dominatoris originem significet, videlicet, *terrenam* (e familia Davidis in Bethlehem) et *coelestem* (a diebus aeternitatis, in sinu Patris). Hac secunda interpretatione, melius et magis completa apparet oppositio inter *locum* et familiam *humilem* Dominatoris, et eiusdem gloriam aeternalem. Dominator ille, igitur, erit *Deus et homo*.

PROPTER HOC ... dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet.

Verba: *propter hoc*, nexum quemdam *causalem* important, i. e. « *ratione* adventus huius Dominatoris praenuntiati, castigatio populi Israël perdurabit tantummodo usque ad tempus in quo illa quae parere debet, Filium suum pariet ». Cum autem *Dominator* qui praedicitur sit persona bene *determinata*, etiam illa quae Illum parere debet, persona quaedam bene *determinata* esse debet.

3 – Interpretatio realis

Quinam sint *Dominator* Israël et *parturiens paritura*.

I. *Quisnam sit* **Dominator**.

A) **Sententiae Acatholicae**:

1) *Dominator* Israël, iuxta quosdam IUDAEOS , quibus adhaeret Grotius, esset Zorobabel eo quia Zorobabel: *a*) fuit Dominator in Israël, *b*) egressus eius fuit *ab initio*, cum initium fecerit egrediendi e captivitate; *c*) reduxit ad Dominum i. e. ad sanctuarium Domini reliquias fratrum suorum, et *d*) aliquo vero sensu prodiit ex Bethlehem eo quod fuit de stirpe davidica.

Sed haec sententia admitti non potest eo quia: *a*) Zorobabel non est natus Bethlehem sed Babylone; *b*) neque fuit egressus eius a diebus aeternitatis, imo neque a tempore remotissimo.

2) *Dominator* Israël, iuxta quosdam RATIONALISTAS, esset Dominator quidam *idealis*, non *realis*.

Sed huic interpretationi opponitur constans interpretatio hebraica de Messia seu Dominatore quodam reali. Ceterum, quomodo explicaretur ortus in *Bethlehem* i. e. in loco *reali* cuiusdam Messiae *idealis*? ...

B) **Sententia Catholica**: tenet *Dominatorem* Israël esse Messiam.

Prob: 1) EX TRADITIONE UNANIMI IUDAICA, prout apparet ex responsione a principibus sacerdotum et scribis populi data Herodi regi quaerenti de loco

nativitatis Messiae ad hoc ut illum Magis indicaret (*Matth.*, 2, 5): « In Bethlehem Iudae: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem etc. ... ». Similiter apud S. Ioannem 7, 41-42: « Nonne scriptura dicit: quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? ». Haec eadem messianica interpretatio invenitur in *Talmud*, tr. Pesachim, fol. 51, c. 1, et Nedarim, fol. 39, c. 2.

2) Ex unanimi traditione Christiana, apud omnes Patres et scriptores, uno excepto Theodoro Mopsuesteno qui a Vigilio Papa damnatus fuit. Omnes verba *ex te egredietur*, intellexerunt: *in te nascetur*. (Cfr Ceuppens, o. c., p. 354).

3) Ex argumentis internis. Etenim, characteres quae in hoc vaticinio describuntur, nonnisi Messiae a S. Scriptura tribuuntur. Sic, e. g., egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis, potestas eius quae se extendet ad universam terram etc. ...

II. *Quaenam sit* parturiens paritura.

Triplex sententia.

Prima sententia: Theodorus Mopsuestenus dixit parturientem illam esse *filiam Sion.*

At hoc sustineri non potest eo quia prophetae nunquam filiam Sion exhibent tamquam matrem parturientem Messiam individuum. (Cfr Knabenbauer, *In parvos prophetas*, t. 1, pp. 444-445).

Secunda sententia est Theodoreti et S. Hieronymi (qui tamen etiam tertiam sententiam infra exponendam admittit), secundum quos parturiens illa esset gentilitas filios Deo pariens sub Messia, ita ut sensus sit: « Et in terra ipsorum Iudaeos manere patietur donec gentilitas parturiens pariat ... ».

Affertur tamquam argumentum illud Is 54. 1: « Lauda sterilis, quae non paris, etc. ».

Attamen etiam haec sententia sustineri nequit quia: *a*) sensus iste non est satis obvius; *b*) si ita esset, propheta scribere debuisset: « donec *sterilis* (non vero *parturiens*) fiat *parturiens* »; *c*) si ita esset, deficeret vinculum inter Messiam nasciturum et partum liberationem illam auspicantem.

Tertia sententia: Parturiens illa est B. Maria V., Mater Messiae. Ita Eusebius, Cyrillus et optimi interpretes etiam Rationalistae.

Prob.: 1) Ex evidenti *parallelismo* cum vaticinio Isaiae 7, 14, de Virgine paritura Emmanuelem.

2) Ex ipso *contextu* prophetiae: etenim, cum statim ante Propheta locutus sit de Dominatore seu de Messia nascituro, obvium est ut nativitatem eiusdem concelebret; eo vel magis quod statim post de fratribus Messiae loquitur.

V – DE FEMINA VIRUM CIRCUMDATURA

(Ier. XXXI, 22)

BIBLIOGRAPHIA

I. *Commentarii in Ieremiam.*

1) Auctores catholici:

Condamin A., *Le livre de Jérémie*, Paris, 1920; Dimmler E., *Jeremias übersetzt und erklärt*, M. Gladbach, 1921; Kenlers I., *Jeremias*, Roermond, 1933; Knabenbauer I., *Commentarius in Ieremiam prophetam*, Parisiis, 1889; Leimbach K. A., *Das Buch des Propheten Jeremias übers. und erkl.*, Fulda, 1923-1924; Nötscher F., *Das Buch Jeremias*, Bonn, 1934; Ricciotti G., *Il libro di Geremia*, Torino, 1921; Roelants A., *Het Boek Jeremias*, Brugge, 1928; Schneedorfer L. A., *Das Buch Jeremias, des Propheten Klagelieder und das Buch Baruch erklärt*, Wien, 1903.

2) Auctores acatholici:

Binns E., *The book of the prophet Jeremiah*, London, 1919; Breuer I., *Das Buch Jirmeiah übers. und erläutert*, Frankfurt a M., 1914; Buber M., *Das Buch Jirmejah*, Berlin, 1931; Calkins R., *Jeremiah, the prophet*, New York, 1930; Cornill C. H,. *Das Buch Jeremias erkl.*, Leipzig, 1905; Duhm B., *Das Buch Jeremia erklärt* (K. H. K.), Freiburg, 1901; Douglas G. C. M., *The book of Jeremiah*, London, 1903; Driver S. R., *The book of the prophet Jeremiah*, Edinburgh, 1906; Erbt G. W., *Jeremias und seine Zeit*, Göttingen, 1902; Giesebrechts F., *Das B. Jeremias übers. und erkl.*, Göttingen, 1907; Lewis H. E., *The book of the prophet Jeremiah*, London, 1929; Morgan C., *Studies on the Prophecy of Jeremiah*, London, 1931; Orelli K., *Das B. Ieremias*, München, 1905; Peake A. S., *Jeremiah and Lamentations*, London, 1910-1912; Rothstein I. W., *Das B. Jeremias*, Tübingen, 1909; Smith G. A., *Jeremiah*, London, 1929; Volz P., *Der Prophet Ieremias übers. und erkl.* (K. A. T.), Leipzig, 1922, 1928, 1930.

II. *Studia particularia circa prophetiam de radice iesse* (xxxi, 22):

Brassac A., *La prophétie « mulier circumdabit virum » est-elle messianique?*, in *Rev. Prat. Ap.*, 28 (1919), 696-698; Ceuppens P. F., in op. *De prophetiis messianicis in V. T.*, 428-433; Closen G. E., « *Femina circumdabit virum* », in *Verbum Domini*, 15 I1936), 295-304; Condamin A., *Le texte de Jérémie*, 31 22, *est-il messianique?*, in *Rev. Bibl.*, 6 (1897), 397), 396-404; Tobac E., *Paulisper explana verba Ieremiae* 31, 21, 22, in *Vie Diocésaine*, Malines, 1910, pp. 66-69.

Huius vaticinii difficultas. Vaticinium hoc maxima obscuritate laborat, et ob hanc causam variae interpretationes, saeculorum decursu, datae fuerunt. Reinke, a. 1855, quindecim diversas interpretationes distinguebat, quibus aliam seu decimam sextam adiunxit. Aliae interpretationes etiam nostris diebus propositae sunt, at sine felici exitu, ita ut *Duhm* scribere non dubitaverit: « Quid haec (verba) significent, nemo hominum cognovit » (*Das Buch Jeremia*, Tübingen und Leipzig, 1901 [KHK], 251).

Tractationis divisio. Tria, ut mos est, exponenda sunt: I. Contextus et Textus; II. Interpretatio verbalis; III. Interpretatio realis.

1 – Contextus et textus

A) **Contextus**: Ieremias conversionem, reditum et restaurationem messianicam annuntiat regni septentrionalis Ephraim. Et v. 21 filiam Israël admonet ut eadem via qua olim in exilium deportata fuerat, in patriam suam revertatur. Et prosequitur: « revertere, Virgo Israël, revertere ad civitates tuas istas ».

B) **Textus**, ita vertitur in *Vulgata* a S. Hieronymo:

v. 22: « Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum ».

Septuaginta Interpretes, ita, quamvis male, verterunt: « Nam, suscitavit Dominus salutem in novam plantationem, in salute circuibunt homines ».

2 – Interpretatio verbalis

Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Iuxta textum hebr.: «usquequo vagaberis huc illuc filia rebellis, vel apostata? ». Urget propheta populum, ut redeat in terram suam, et ne amplius in terra aliena, longe a Domino, vagetur.

Quia ... Ad hoc ut vagantem populum ad reditum permoveat, Dominus ipse illi signum quoddam magnificum offert.

Creavit novum super terram, hebr. *bara*; vox haec solummodo ad operationem Dei propriam significandam usurpatur. *Creavit*, est praeteritum *propheticum*, et stat loco futuri. Dicitur *novum* i. e. nova creatio, novae rei productio, qualis nondum extitit, quae ratio efficacissima erit ad populum ad reditum excitandum: *quia* creavit ...

Femina circumdabit virum. Ita etiam iuxta textum hebraicum. Vox *n^{e}qébah* (femina) et vox *géber* (vir) simpliciter *sexum* designant, et verbis italicis respondent: *una femmina, un maschio. Géber*, insuper, in l. Iob, 3, 3, puerum in sinu matris suae designat.

Verbum *sobeb* significat « circumdare », « circumire ». Sed insuper in Deut., 32, 10 (cum quo libro tam affine est genus dicendi Ieremiae) significat « circumducere » i. e. « tuendo atque protegendo alicui providere ».

Verbis istis, igitur, prout ex contextu omnino apparet, novum quoddam, gratia quaedam annuntiatur quae ad ordinem novi foederis seu ad aetatem messianicam pertinet, prout facile conceditur, eo quia unaquaeque ex istis strophis periodo messianica terminatur (cfr 30, 9, 21; 31 11 seq.). Quodnam est novum illud quod tam sollemniter promittitur? ...

3 – Interpretatio realis

Quaenam sit *femina*...

Triplex distingui potest interpretatio: I. *femina* illa est *mulier vulgaris* in *genere*; II. Femina illa est *populus Israël*; III. Femina illa est *B. Maria Virgo* concipiens Messiam.

Prima interpretatio: Mulier *vulgaris* in genere. Sub multiplici forma proposita fuit, videlicet: 1) « femina tuebitur seu proteget virum » (Ita Rosenmüller, Umbreit, Bade). « Hoc utique — animadvertit KNABENBAUER — esset aliquid *novi*, ut femina timida et debilis protegeret heroem fortem; sed novum hoc simul satis est ridiculum, neque aptum quo viri ad reditum invitentur. Dein, iuremerito quaeritur quid hoc sibi velit? Si adest pax et securitas, iam id non abest quod alias ubique tamquam tempori messianico maxime proprium describitur » (*In Ier.*, p. 387). Haec explicatio, ergo, est prorsus repudianda.

2) Alia explicatio est: « mulier *ambiet* virum ». At verbum *sobeb* in tali significatione numquam adhibetur. Insuper, quomodo talis ambitio viri ex parte mulieris potest proponi ut quid novum, magnum, divinum, a Deo patratum? ... Imo, ex ipso Isaia 4, 1, talis ambitio viri ex parte mulieris non tempori prosperitatis sed tempori maximae calamitatis assignatur.

3) Alii, tandem, ita interpretantur: « femina se in virum mutabit », seu Deus debilem ita confortabit velut si mulier mutaretur in virum. Ita Ewald. At verbum *sobeb* talem significationem numquam habuit.

Secunda interpretatio: *Femina* est *populus* Israël et *vir* est *Iahveh*. Sensus ergo esset: « Israël omni amore amplectetur Dominum » (Keil, Cheyne); vel: « Israël efficiet ut Dominus sese iterum ad Israël convertat » (Naeg); vel: « femina debilis, Ecclesia Dei, proteget terram cum suis viris fortibus » (Or.), vel « populus ex sua parte omnia faciet ut amorem divini sponsi, Dei, sibi conciliet », vel « femina ad suum sponsum revertitur » (Condamin), vel: « populus Israëliticus ad Iahveh virum suum redibit, illumque amore suo circumdabit » (Ceuppens).

Interpretatio haec, quae a quibusdam praesertim recentioribus praefertur, *contextui* certe congruit. Etenim: *a*) immediate antea populus pluries cum femina comparatur (e. g. v. 21: « revertere, virgo Israël etc. »); *b*) interpretationem messianicam admittit. Insuper interpretatio Syriaca ei favet, eo quia habet: « femina amanter diliget virum »; et hanc explicationem etiam s. Ephraem tradit.

Attamen, etiam interpretatio haec non videtur sustineri posse. Etenim:

a) Non apparet cur Israël vocaretur *n^{e}qébah*, femina (nomen *sexus*).

b) Quomodo reditus Israël ad Deum aliquid *novum*, inauditum, nova creatio dici potest? ... Quomodo verba illa intelligi possunt « de conversione populi Israëlitici infidelis ad Iahvè, Deum suum, tempore messianico » (Ceuppens)

si tempore messianico populus Israël Messiam et ideo Deum *reiecit*, et a Deo potius *aversus* est? ...

c) Illa interpretatione admissa, inconstantia quaedam haberetur, i. e.: «Revertere, Virgo Israël, *quia* Israël diliget Dominum, vel convertetur ad Dominum». Etiam haec interpretatio ergo: reicienda videtur, Remanet ergo.

Tertia interpretatio: Femina illa est *B. Maria Virgo*.

Hanc interpretationem proposuit S. HIERONYMUS: «absque viri semine, absque ullo coitu atque conceptu, femina circumdabit virum gremio uteri sui... Notandum quod nativitas Salvatoris atque conceptus, Dei creatio nuncupetur». (In Ier., PL, 24, 880 s.). Ageretur ergo de Incarnatione Verbi in utero virginali B. M. V.; et ideo sensus totius pericopae esset: «Redeant captivi in patriam suam, quia in terra illa, per templum Iahveh iam consecrata, mirabilia videbunt: ibi nempe Messia virginaliter concipietur, ibi novum foedus cum Iahveh concludetur ...». Hanc interpretationem, praeter S. Hieronymum,[1] tradunt S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura, Maldonatus, Sanctius, Sa, A Lapide, Estius, Menochius, Tirinus, Loch, Mayer, Scholz, Meignan, Knabenbauer, Fillion, Reischl, Arndt, Herme etc.

Explicatio haec — scribit Knabenbauer — «ad *verba*, ad *contextum*, ad *locos parallelos* est quam maxime accommodata». Etenim:

1) quoad *verba*: mulier enim in utero gerens Messiam (qui paulo ante ab ipso Ieremia *fortis* vir *populi electi* describitur, 30, 21) est utique, sensu maxime obvio, «femina circumdans virum».

2) quoad *contextum*: interpretatio haec (prout requirit contextus prophetiae) est quam maxime messianica, et opus vere *divinum* quod a propheta praeannunciatur (conceptio Messiae in utero mulieris) utpote maximum Dei beneficium, erat ratio *efficacissima* ad hoc ut populus Israël in terram suam rediret.

3) quoad *locos parallelos*: prophetia *Isaiae de virgine paritura* (7, 14), et prophetia *Michaeae* de *pariente paritura* (5, 3). Ieremias enim non semel vaticinia iam data recolit. Iamvero, Isaias Virginem parituram Emmanuelem praedicit

[1] Exegetae quidam veteres et recentiores docuerunt interpretationem *mariologicam* huius prophetiae esse IUXTA COMMUNEM EXPLICATIONEM PATRUM ECCLESIAE; et afferunt, ad hoc probandum, tres Patres Graecos (S. Iustinus, S. Athanasius, et S. Sophronius) et quinque Patres Latinos (S. Cyprianus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius M. et S. Hildephonsus Tolet.). At textus horum Patrum sunt apocryphi, exceptis textibus S. Athanasii (qui tamen simpliciter refert versionem Aquilae, quin aliquid dicat de valore eius) et S. Hieronymi (cfr CONDAMIN, in *Rev. Bibl.*, 6 (1897), 396-404). Solus S. Hieronymus, ergo, inter Patres, tamquam plene favens interpretationi Mariologicae adduci potest.

Insuper, versiones Syriaca, graeca 70 Interpretum, vetus Latina, S. Ephraem etc. sensum valde diversum prophetiae Ieremiae tribuunt. Interpretatio igitur *mariologica*, *traditionalis* dici non potest.

tamquam *signum* liberationis ab hostibus; et Michaeas tempus in quo parturiens pariet Dominatorem Israël praedicit tamquam finem calamitatis et miseriae. Ita et Ieremias feminam quae in utero gerit Messiam, tamquam finem oppressionis praedicit ad hoc ut populus Israel in illam regionem redeat in qua maximum illud beneficium Deus ipsi praestabit. Sub luce ergo Isaiae et Michaeae, prophetia Ieremiae clarior et bene determinata apparet.

« Demum — concludit Knabenbauer — perpendere ne omiseris quam arcto nexu in tribus istis vaticiniis Mater Messiae exhibeatur cum prole sua et quomodo ipsa proponatur tamquam *consolatrix afflictorum* et tamquam *adiutrix populi Dei* per quam iste emergat e miseria et redeat ad Deum suum, dummodo mysterium in ea effectum rite consideret » (l. c., p. 387). Iure ergo cum Fillion concludere possumus: « Tandis que l'interprétation traditionnelle fournit un sens très simple et très naturel, toutes les autres sont arbitraires » (*La Sainte Bible*, t. 5, p. 644, 3 ed.).

* * *

Praeter hanc interpretationem mariologicam prophetiae Ieremiae a S. Hieronymo datam, et a multis receptam, nuper P. G. E. Closen S. J., novam interpretationem mariologicam, eamque magis extensam, in Eph. *Verbum Domini* (1936, pp. 295-304) proposuit, quam tamen ad interpretationem Hieronymianam ipsemet reducit.

Iuxta ipsum significatio verborum Ieremiae esset haec: « Novum quid creabit Deus in terra: mulier viro providet ». « Inter pulcherrimas imagines gratiarum temporis futuri Ieremias propheta unam percipit, quam perfecte non cognoscit. Tantummodo videt lineas quasdam generaliores, caligine obscuritatis multae involutas. Sed ea quae videt, fideliter refert, licet sint pauca tantum, sat generalia et obscura ... Tamen, haec imago, quam videt, est tam pulchra et consolationis plena, ut eam omittere non velit. Videt enim figuram, *personam feminae cuiusdam temporis futuri*, magnae, potentis, plenae simul omnis caritatis. Res autem maxime inaudita quam percipit, est haec. Semper viri fortis est, tueri feminas. Vir debet pro muliere curare eamque defendere. Sed haec mulier magna, quam videt, non a viro curatur vel defenditur, sed e contra, ipsa est tutela atque defensio etiam fortissimorum virorum. Ipsi apud eam refugia quaerunt et auxilia inveniunt. Haec videt propheta; et licet ipse minime perfecte perspiciat ea, quae videt, tamen fideliter et recte refert ea pauca, quae percipit: « *Deus creabit novum in terra: mulier viro providebit* ».

Sumit ergo vocem *géber* (virum) sensu *collectivo* vel saltem sensu magis indeterminato, qui proxime ad collectivum accedit. Et dicit quod « explicatio data omnia implere videtur, quae, vel ex parte *philologiae* vel ex parte *contextus*, requiruntur ad interpretationem convenientem textus nostri statuendam ». Explica-

tur enim « mira illa oppositio inter *n^{e}qébah* (femina), et *géber* (virum):« quae antea fuerunt viri fortis erga feminam, abhinc erunt illius mulieris erga virum ».

« *Neque obstat contextus*, qui proxime agit de restauratione et reditu Israël ex exilio, quae persaepe in V. T. est *typus* restaurationis messianicae ».

Ulterius P. Closen quaerit IN QUO MYSTERIO N. T. HAEC PROPHETIA IMPLETA SIT. Et respondet: « In patronatu quodam, quo mulier magna et benefica omnes, etiam viros fortes, defendit atque tuetur, omnibus consulit et providet. *Talem* autem mulierem in ordine salutis *unam* tantum cognovimus, quae est mater Messiae, BEATISSIMA VIRGO MARIA. Reapse illud Ieremiae prophetae "mulier viro providebit" impletum est, in cura materna huius Virginis Matris, quam habet erga homines universos, in cura eius benigna et in eius auxiliis continuis, quae hominibus praestat. Omnes, etiam viri fortes, apud ipsam refugia quaerunt. Patet Ieremiam prophetam totam plenitudinem, quacum postea *insinuatio eius prophetica* impleta est, nequaquam perspexisse. Tamen, etiam ipse cognovit: erit quasi altera creatio mundi novi, quod tempore futuro mulier quaedam magna et fortis, patiens et benigna patrona omnium, etiam viri in fortitudine eius, statuetur. Licet obscure tantum rem viderit et obscure tantum rem visam describere possit, tamen pulchritudine et magnitudine rei visae perculsus, pauca illa verba, mysteriorum plena profert: « Deus creabit novum quid in mundo: Mulier viro providebit ».

Tandem, P. Closen ostendit QUOMODO INTERPRETATIO HAEC AD EXEGESIM S. HIERONYMI REDIRE POSSIT. « *Postquam* constat, verba "mulier virum proteget" intelligi de cura materna B. Virginis, non est cur, ex amplitudine illorum verborum, curam illam excipiamus, quam Mater Messiae circa eum virum fortem egit, qui erat ipse eius filius. Neque est cur ab hac cura materna actionem illam excipiamus, qua filium suum utero suo portavit. Hac ratione de facto interpretatio S. Hieronymi vera est, sed non ac si sensus verborum immediatus synonimus esset cum notissimo effatu Isaiae "virgo concipiet" sed quia verbum Ieremiae curam tam universalem matris Messiae circa omnes homines insinuat, ut neque cura illa excipi possit, quam proxime notant verba Is. 7, 14 ».

Et concludit: « Si quis *brevem formulam* quaerit, ut plenitudinem significationis illius effati Ieremiae enuntiet, quam nos in "lumine Christi" videmus, quam propheta virgo (cfr 16, 1) paucis verbis breviter et obscure insinuavit, dicere possumus:

" Femina circumdabit virum " vel exactius "mulier providebit viro" impletum est in mysterio *maternitatis Beatae Mariae Virginis*, quam habet relate ad Christum et mysticum corpus eius ».

Contra hanc pulcherrimam et logicam P. Closen interpretationem, nullum validum argumentum, ut nobis videtur, opponi potest, illamque maxima probabilitate gaudere censemus.

VI – DE SPONSA CANTICI CANTICORUM

BIBLIOGRAPHIA: Joüon P., *Le Cantique des Cantiques, Commentaire philologique et exégétique*, Paris, 1909; Le Hir, *Le Cantique des Cantiques*, Paris, 1883; Lepicier Card. A. E., O. S. M., *In Cant. Cant. Comm.*, Romae, 1936; Miller A., *Das Hohelied*, Bonn, 1927; Munz P., *Die Allegorie des Hohenliedes*, 1912; Ricciotti G., *Il Cantico dei Cantici*, Torino, 1928; Ruffenach F., *Canticum Canticorum exegetice enarratum*, Romae, 1932.

Inter prophetias quae B. Virginem respiciunt, haud ultimum locum tenet Canticum Canticorum in quo Spiritus Sanctus per hagiographum imaginem B. M. Virginis, fulgidissimis coloribus, mundo depictam exhibuit. Haud pauci enim exegetae in Sponsa Cantici Canticorum B. Virginem etiam designatam vident, et quidem, iure meritoque, prout statim videbimus.

1. **De nomine et argumento Cantici.** Appellatur *Canticum Canticorum* quia est carmen omnium pulcherrimum, id est, canticum per antonomasiam. In linguis enim semiticis, gradus superlativus haud raro fit per repetitionem substantivi; sic, e. g. *Iahveh*, vocatur *Deus Deorum* (Ps. 50, 1; 136, 2), vel *Dominus Dominorum* (Ps. 136, 3); caeli altissimi appellantur *caeli caelorum* (Deuter., 10, 14).

Iuxta P. Hetzenauer (*Biblia Sacra*, 1922), Canticum in duplicem partem dividi potest: in prima parte agitur de amore *sponsorum* tum 1) ante nuptias (1, 1-3, 5) tum 2) in nuptiis (3, 6-5, 1). In secunda parte vero agitur de amore *coniugum*, tum 1) separatorum (5, 2-7, 10), tum 2) coniunctorum (7, 11-8, 14).

Iuxta alios vero (e. g. Hontheim, Munz, Ruffenach) agitur de mutuo et in dies crescente amore divini Sponsi et castissimae sponsae, usque dum, diversis impedimentis superatis, ad optatam et perfectam unionem perveniat. Canticum ergo sex constaret carminibus. Tria priora carmina describunt: 1) *initium amoris*, cum sponsus et sponsa, prima vice sibi occurrunt (1, 2 - 2, 7); 2) *progressum amoris*, cum sponsus et sponsa sese quaerunt (2, 8 - 3, 5); 3) *terminum primi amoris*, cum sponsus et sponsa foedere nuptiarum sese in hac terra (et ideo imperfecte) iungunt (3, 6 - 5, 1). Alia tria carmina describunt: 1) *probationem amoris*, in nocte separationis et tribulationum (5, 2 - 6, 10); 2) *gaudia amoris* utriusque, in communi vitae consuetudine et operatione (6, 11 - 8, 4); 3) *terminum ultimum* amoris, seu sponsorum unionem plenam et aeternam in caelis (8, 5 - 14).

2. **De interpretatione Cantici.** Interpretationes omnes hucusque propositae ad tres sequentes reduci possunt, videlicet, ad interpretationem *a*) *naturalisticam* seu historicam *b*) *typicam* seu mixtam, et *c*) *allegoricam*.

1) *Interpretatio* **naturalistica** seu historica accipit verba Cantici in sensu *litterali proprio*.

Iuxta hanc interpretaionem, Canticum nihil aliud esset quam poëma omnino profanum, amatorium, sponsale, vel etiam (secundum quosdam) carmen cum fine aliquo morali (e. g., ad sanctitatem et fidem amoris coniugalis vel etiam ad monogamiam inculcandam).

Interpretatio haec, iam tempore Christi inter quosdam Iudaeos orta, postea a Theodoro Mopsuesteno († 428) propugnata, et ab haereticis quibusdam recepta, hodie communiter inter acatholicos praevalet.

At, contra hanc interpretationem militat universa traditio exegetica, sive iudaica, a qua talis interpretatio ignoratur, sive christiana, cui adversatur. Quare, iure meritoque talis interpretatio a Concilio Oecumenico V (Constantinop. II) a. 553 damnata est, utpote libro inspirato iniuriosa et bonis moribus nociva.

Sensus ergo superior seu *spiritualis* in Cantico admitti debet. At, quisnam? ... Sensus pure *figuratus* an *typicus*?... Non conveniunt, prout statim videbimus, interpretes.

2) *Interpretatio* **typica** seu mixta accipit verba Cantici in duplici sensu, videlicet: sensu *litterali proprio* celebratur amor Salomonis erga reginam sibi desponsatam (i. e. filia Pharaonis, vel Abisag Sunamitis); sensu vero *typico* (a Deo intento), amor ille naturalis elevatus fuisset, ordinatione divina, ad significandum (typice) amorem illum sublimiorem qui viget inter Deum et Ecclesiam, sponsam suam.

Interpretatio haec ab Honorio Augustodunensi (saec. XII) primum proposita, a Bossuet et a Calmet, praesertim, approbata ac propagata, proposita est, nostris diebus licet magis caute, a Petit (*La S. Bibl.*, 1894), ab Honheim (*Das Hohelied übersetzt und erklärt*, in *Bibl. Studien*, 13, 1908) a (Zapletal *Das Hohelied Kritisch und metrisch untersucht*, Freib. Hel., 1907), a P. A. Miller (*Das Hohelied*, Bonn, 1927) etc.

Quamvis haec interpretatio ab Ecclesia condemnata non sit, non videtur tamen sustineri posse: *a*) quia traditioni sive Iudaicae sive christianae parum conformis est; *b*) quia gratis omnino asseritur amorem Salomonis erga sponsam fuisse typum amoris Dei vel Christi erga Ecclesiam, cum id neque ex ipsa S. Scriptura, neque ex traditione constet; *c*) quia libri sanctitatem non omnino servare videtur, cum supponatur hagiographum nonnisi in amore profano vivide pingendo directe versasse; *d*) quia plura quae in Cantico inveniuntur, sensu litterali intelligi non possunt, vel quia sunt inter se pugnantia, vel quia cum moribus Orientalium componi nequeunt. Quare ad aliam interpretationem, seu ad *allegoricam* deveniendum est.

3) *Interpretatio* **allegorica** accipit verba Cantici in sensu litterali *improprio* seu figurato. Iuxta hanc interpretationem, Canticum esset *metaphora continuata* in qua, sub figura naturalis amoris inter sponsum et sponsam, amor religiosus adumbratur inter Deum et homines eius cultores, in genere.

Interpretatio haec fundatur: *a*) in *universa traditione exegetica iudaica*, inde ab Auctore Apocalypsis Esdrae (4 Esdr.) ad nostra tempora; *b*) *in doctrina et consuetudine V. T.* in quo persaepe unio Dei cum populo hebraico sub figura vinculi coniugalis repraesentatur (cfr e. g. Os., 2, 16-20; Is., 54, 5 s. etc.); haud raro Deus appellatur

« pastor » (Ier., 31, 10; Ez., 34, 11, 19 etc.); *c*) *in communi interpretatione omnium* catholicorum, ab Hippolyto Romano (cfr *Texte und Unters.*, 23, 2, 1902) et Origene (PG 13, 35-216) usque ad nostra tempora, iuxta quam Christus est sponsus (prout seipsum appellavit in Matth. 9, 15) et Ecclesia est Sponsa (prout talis appellatur in 2 Cor., 11, 2; Ephes., 5, 23-32 et alibi); eo vel magis quod plures interpretes Iudaei in dilecto Messiam agnoverunt. [1]

3. **De interpretatione mariologica Cantici.** In Cantico, igitur, sub figura amoris naturalis, adumbratur, in genere, unio supernaturalis Dei vel Christi cum Ecclesia sive Veteris sive Novi Testamenti. Attamen, prout iure animadvertit P. Vaccari (l. c., p. 39), interpretationi « huic non opposita, sed subordinata est alia interpretatio, quae in Cant. adumbratam cernit unionem animae fidelis cum Christo (vel Deo). Facile enim ab universali (Ecclesia) ad individuum in illo inclusum (animam piam) fit transitus. Haec vero explicatio, quam appellare possumus *mysticam*, simul cum praecedenti iam ab Origene data, in media aetate potissimum viguit, et in practicis scribendi vel dicendi generibus praecipuum locum habet. Concurrit cum istis explicatio *mariana*, qua Sponsa Cantici ponitur B. Virgo, Mater Iesu, tum ob eminentem sanctitatem, qua supra ceteras animas excellit, tum ob principem, locum quem in oeconomia redemptionis et in Ecclesiae societate obtinet ». [2]

Sed inter membra Ecclesiae, inter omnes animas fideles, eminet omnino B. Virgo, sive dignitate (utpote Mater Dei et mediatrix hominum), sive puritate et sanctitate, sive amore erga Deum; quapropter a Deo, magis quam quaelibet alia anima, imo magis quam omnes animae ad Ecclesiam pertinentes, simul sumptae, *dilecta fuit*. B. Virgo enim, super omnia omnino membra Ecclesiae elevatur, ordinem a se constituit, et in omnibus, vi principii singularitatis, omnino *singularis* remanet, cum aliis omnibus minime confundenda.

Eo vel magis quod B. Virgo resumit in seipsa mirabiliter qualitates omnes Sponsae dilectae, i. e. pulchritudo, puritas, amor etc. Insuper, quamplures similitudines inter Ecclesiam et B. Virginem habentur, ita ut B. Virgo sit veluti prototypum Ecclesiae, personificatio Ecclesiae, [3] prout ex dictis SS. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum evidenter apparet. Utraque enim, est Virgo et Mater; utraque sine macula et sine ruga, gratia plena; utraque ex Spiritu Sancto concipit; utraque generat et nutrit Christum: Christum physicum Maria, Christum mysticum Ecclesia; utraque, a Sponso invisibili, seu a Spiritu Sancto foecundata, visibiliter a sponso visibili regitur: S. Ioseph pro Maria, Pontifex pro Ecclesia;

[1] Cfr VACCARI, vol. II, De Libris V. T., III. De libris didacticis, Romae, 1929, p. 38.

[2] Idem asserunt LESÊTRE (in *Dict. Bibl.*, t. 2, col. 197), SCHAEFER (*Das Hohe Lied*, p. 253) et alii plures.

[3] Cfr TROMP S., *Ecclesia sponsa Virgo Mater*, in *Gregorianum*, t. 18, pp. 20-23; COMMER E., *Mater Dei sitne figura Ecclesiae quaeritur*, in *Xenia Thomistica*, vol. II, pp. 493-503.

utraque redemptionis beneficia distribuit; utraque incorruptibilis, utraque haereses omnes vincit et in caelis coronata triumphat.

Quae cum ita sint, patet omnino quomodo B. Virgo a persona designata in Cantico nomine *Sponsae*, excludi non possit.

Ex dictis patet quomodo *quatuor elementa* in interpretatione allegorica inveniantur, videlicet, *Synagoga, Ecclesia, anima fidelis et B. Virgo*. Attamen ista quatuor elementa, quamvis sint *diversa*, minime tamen sunt opposita, quin immo sunt inter se intime et indissolubiliter connexa, ita ut nullum ex ipsis excludi possit ab obiecto *totali* sub Sponsae nomine designato, quod obiectum omnibus quatuor illis elementis integratur. Etenim: *Ecclesia*, nihil aliud est nisi continuatio et impletio Synagogae, cuius unio cum Deo fuit etiam figura unionis (magis perfectae) Christi cum Ecclesia. At, *Ecclesia*, insuper, in concreto, pluribus constat membris, seu *animalibus* fidelibus ita ut quod *totaliter* de omnibus simul, *partialiter* dicatur etiam de singulis. [1]

Hinc, Sponsus Cantici Deus est. Sponsa vero est,

in sensu totali:		*in sensu partiali:*	
Ecclesia		singuli fideles quibus constat Ecclesia	
inchoative:	*perfective:*	*communiter:*	*singulaliter:*
Synagoga	Eccl. Chr.	quaelibet anima fidelis	B. Virgo

Quamvis ergo argumentum Cantici unum sit, quatuor tamen elementis constat. Et ideo, ad hoc ut plena habeatur expositio Cantici, exegeta ad hoc obiectum *adaequatum*, secundum varia elementa quibus constat, attendere debet. Unus ergo idemque textus unicuique ex istis quatuor elementis aliquando applicari potest; aliquando vero uni tantum, aliquando duobus, et aliquando tribus. Non omnes ergo versus Cantici B. Virgini applicandi sunt, ne exegeta in interpretationes arbitrarias incidat. Pariter, interpretatio non debet ad minutissima quaeque descendere; plura enim nonnisi ornatui inserviunt, Sic, e. g., v. 2, cap. 2, « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias », omnibus applicari potest, i. e. sive Synagogae et Ecclesiae (relate ad falsas Ecclesias), sive animae fideli (relate ad animas infideles), sive B. Virgini, quia « quamvis fuerint multae virgines sanctae, tamen, respectu Virginis beatissimae quasi spinae fuisse videntur, in quantum aliquid culpae habebant; et quamvis in se fuerint mundae, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus, fuerunt et aliis spinae, qui ex earum intuitu concupiscentia pungebantur » (DIONYSIUS CARTHUSIANUS).

[1] Iure S. Bernardus scribebat: « Quia tamen de Ecclesia sumus, quae merito hoc nomine (sponsae) et re nominis gloriatur, non immerito gloriae huius participium usurpamus. Quod enim sicut omnes plene integreque possidemus, hoc singuli sine contradictione participamus ». (*In Cantic.* hom. 12, 1, PL 183, 833.

Possunt tamen exegetae in uno vel in alio ex quatuor illis elementis exclusive insistere,[1] quin tamen alia elementa audeant a sensu scripturistico Cantici prorsus excludere.[2]

Exegetae quidam, potius quam sequi *explanationem globalem* omnium istorum quatuor elementorum, praeferunt expositionem uti aiunt, *Israëlitico-typicam*. Conceptio haec « distingue dans le Cantique un double sens également voulu par l'Esprit Saint: *un sens littéral figuré unique* d'après lequel l'écrivain inspiré a voulu chanter l'union de Iahvé avec son peuple; un sens type pouvant s'étendre à plusieurs objects, d'après lequel l'Esprit Saint a voulu signifier l'alliance du Christ avec son Eglise, l'union de Dieu avec toute âme humaine, surtout avec celle de la Sainte Vierge Marie » (Tobac, *Les cinq livres de Salomon* p. 107). « En effet — animadvertit Ruffenach — un juif écrivant pour des juifs, aura voulu donner à son livre un sens que ses premiers lecteurs pouvaient facilement comprendre à la lumière des autres écrits bibliques. Mais Dieu, l'auteur principal a greffé sur ce premier sens littéral figuré le sens typique, et il nous l'a découvert par la tradition chrétienne. Aux termes mêmes de l'Ecriture sainte, l'alliance de Iahvé avec Israel est la figure, le type, au sens strict du mot, de l'union de Jésus-Christ avec son Eglise » (*Dict. de Spirit.*, fasc. 7, col. 92, *Cantique des Cantiques*).

Etiam in hac interpretatione *Israëlitico-typica*, prout patet, quatuor illa elementa includuntur. Et ideo etiam interpretatio Mariologica admittitur. Interpretationem hanc secuti sunt Tiefenthal, Cornely, Hagen, Merk, Hoepfl, Tobac, Ruffenach etc. Est optima, et forsan simplicior et aptior.

4. **Historia interpretationis mariologicae.**

a) *Ante saeculum* XII, nulla expositio mariologica Cantici *completa* seu in systema redacta habetur. Attamen, iam Patres, ut S. Hippolytus, S. Ephraem, S. Gregorius Nyss., S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Petrus Chrysologus, S. Ioannes Dam., S. Germanus, S. Tarasius, S. Sophronius, S. Petrus Damiani etc. plures sententias ex Cantico depromptas (e. g. « hortus conclusus », « fons signatus ») de B. Virgine acceperunt.

[1] Ita interpretati sunt Canticum de unione Jahveh cum Synagoga Lyranus, Joüon, Ricciotti etc. Interpretati sunt Canticum de unione Christi cum Ecclesia S. Thomas, Schegg, Schäfer, Dimmler; de unione simul Dei cum Israele et Christi cum Ecclesia, Gietman, Scholz, Munz etc. Interpretati sunt Canticum de unione Dei cum anima Origenes, S. Basilius, S. Greg. Nyss., S. Bernardus, S. Fr. Salesius, S. Theresia, S. Ioannes a Cruce etc. (Cfr *Dict. de Spirit.*, fasc. 7, pp. 93-109).

[2] Recte Meignan scripsit: « Nous y voyons le Verbe multipliant sous le nom de Jéhovah et de Jésus le témoignage de son amour pour l'humanité. Que cette humanité soit Israel, l'Eglise, la Vierge Marie, l'âme chrétienne, peu importe, c'est au fond la même chose. La Sulamite dans son symbolisme peut être tout cela » (*Salomon*, Paris, 1890, p. 389).

b) *A saeculo* XII *usque ad nostra tempora*, plures Canticum de B. Virgine systematice exposuerunt.[1] Primus fuit, ut videtur, RUPERTUS TUITIENSIS, in op. *In Canticum de Incarnatione Domini libri septem* (PL 168, 839-962), in quo Canticum fere totaliter B. Virgini applicatur. Post Rupertum, digni sunt qui recenseantur: 1) Card. IOANNES ALGRINUS (saec. XII), qui operi *In Cant. eruditissimi Commentarii* (PL 206, 21-859) a Thoma Cister. composito, scholia quaedam inseruit B. Virginem respicientia; 2) PHILIPPUS AB HARVENG (saec. XII) in *Comment.* in *Cant.* (PL 203, 181-490); 3) ALANUS DE INSULIS (saec. XII), *Compendiosa in Cant. ad laudem Deiparae Virg. Mariae elucidatio* (PL 210-51-110); 4) IRIMBERTUS († 1177), *Comm. allegoricus in selecta quaedam loca C. Cantic.*, apud PEZ, *Thesaurus anecdotorum novissimus* (Augustae Vindelicorum, 1721) 2, 1, 368-424, in quo plura mystice applicantur vitae Christi et Mariae; 5) DIONYSIUS CARTHUS. († 1471) *Enarratio in C. Cant. Salomonis* (Op. Omn., t. 7, 293-447); 6) DE NIGRO (saec. XVII), *Ferculum Salomonis in tertium caput Cant.* (Vercellis, 1603), in quo quadruplicem interpretationem proponit, nempe, de Ecclesia, de anima, de Maria et de beatitudine aeterna; 7) DEL RIO († 1608), *In C. Salomonis commentarius litteralis et catena mystica* (Lugduni, 1611), in quo plura B. Virgini applicantur; 8) NIGIDIUS (saec. XVII), *In Cant. Cant. expositio duplex verbalis seu grammaticalis et litteralis de B. Virgine Domina* (Romae, 1616); 9) BESSON (saec. XVII), *Lucubrationes novae et scholia in C. Cant.* (Lugduni, 1646); 10) DE ESCOBAR Y MENDOZA (saec. XVII), *In Cant. commentarius, sive de Mariae Deiparae elogiis* (Lugduni, 1669); 11) CORNELIUS A LAPIDE († 1637); 12) MICHAEL GHISLIERI († 1646), *Commentaria in Cant. Cant.* (Romae, 1609, Anversae, 1619); 12) Card. LÉPICIER O. S. M., *In C. Cant. Comment.* (Romae, 1936).

5. De imagine B. Virginis in C. Cantic. depicta.

In Cantico Cant. continetur, iuxta P. Taoussi (*Le Cantique des Cantiques*, Abbeville, 1923) theologia mariana maxime transcendens. Continentur praesertim:

a) *Singularis amor Dei erga B. Virginem*: Appellatur enim « dilecta » per antonomasiam (8, 4), et ita dilecta ut *unice* veluti dilecta dicatur et prae omnibus aliis eligatur: « Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. *Una* est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitricis suae.[2] Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt: regi-

[1] Iure meritoque scripsit Mâle: « Il y avait déjà plusieurs siècles que les docteurs du Moyen Age avaient reconnu la Vierge dans la Sulamite du Cantique, ce vieux poème d'amour, imprégné de tous les parfums, brûlant et fiévreux comme la Syrie, était devenu, dans les commentaires, aussi virginal que les sommets des Alpes » (*L'art religieuse à la fin du Moyen Age en France*, Paris, 1922, p. 212).

[2] In verbis istis inveniri potest fundamentum scripturisticum pro *principio*, uti aiunt, *singularitatis*.

nae et concubinae, et laudaverunt eam » (6, 7-8). Dilecta prae omnibus a Deo, prae omnibus etiam a Deo donis cumulata fuit, quia amor Dei non supponit sed ponit bonitatem in rebus.

b) *Singularis amor Virginis erga Deum*: Sicut Deus illam appellat « dilectam » per antonomasiam, ita B. Virgo continuo appellat Deum « dilectum » per antonomasiam, et ineffabilem amorem suum erga illum iugiter multisque modis ostendit. « Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia » (2, 16). Dilecto suo semetipsam omniaque sua consecravit: « nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi » (7, 13). Dum dormit, cor eius vigilat: « Ego dormio et cor meum vigilat » (5, 2). Sine Dilecto vita eius impossibilis redditur: « In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea: quaesivi illum et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea: quaesivi illum et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertrassisem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam donec introducam illum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae » (3, 1-4). « Adiuro vos, filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo » (5, 8). « Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis » (1, 1 s.).

c) *Omnimoda pulchritudo, physica et moralis B. Virginis*: ita enim ab ipso Dilecto affirmatur et describitur: « Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum » (1, 14). « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es. Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua: et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae ... *Tota* pulchra es amica mea, et macula non est in te ... Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus ... » (4, 1-13). A filialibus Ierusalem appellatur « pulcherrima mulierum » (5, 17) et ita deprecantur: « Revertere, revertere Sunamitis: revertere ut intueamur te » (6, 12). Ipsemet Dilectus ita illam hortatur: « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare

fecerunt » (6, 4). Haec omnia sunt veluti fulgidissima lineamenta quibus effigies pulcherrima Deiparae componitur.

Nil mirum igitur si Ecclesia, in sua Liturgia, ad B. Virginem celebrandam, continuo ad Canticum Canticorum recurrit. Nil mirum si Patres et Ecclesiae scriptores continuo hoc mirabili Cantico utantur. Iure meritoque scripsit Passaglia: « Nullum est Cantici caput, quod maiorum fides atque religio ad Deiparam non retulerit » (*De Immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu*, t. 1, p. 320).

Plura ergo de B. Virgine in C. Cantic. *amor* illuminatus inveniet. In hoc enim epitalamio, prout admonet S. Bernardus, « amor ubique loquitur: et si quis horum quae leguntur cupit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino capere non potest ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim graece loquentem non intelligit qui graecum non novit, nec latine loquentem non intelligit qui latinus non est, et ita de ceteris; sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, eritque aes sonans et cymbalum tinniens » (*Sermo* 78 *in Cant. Cant.*, PL 183, 1163).

* * *

Ex dictis cum S. Bernardo iure concludere possumus: « Vides quam pulchre et concorditer sanctorum mira facta et mystica dicta sibi invicem concinant. Vides quam stupendum sit hoc unum de Virgine et in Virgine factum miraculum, quod tot miracula praevenerunt, tot oracula promiserunt. *Unus* nimirum *fuit spiritus Prophetarum*: et licet diversis modis, signis, temporibus; eamdem rem diversi, non diverso spiritu, et praeviderunt et praedixerunt » (Super *Missus est*, 2, 11, PL 183, 66).

Cap. III – DE FIGURIS ET SYMBOLIS B. MARIAE V. IN SPECIE[1]

Postquam vidimus Prophetas B. Virginem « a longe aspicientes et salutantes » (Hebr., 11, 13), nunc consideranda veniunt figurae et symbola quibus veluti depicta mundo apparuit.

A) De figuris in specie

B. Virgo a pluribus feminis V. T. praefigurata fuit. Praecipuae sunt:

I. **Eva**, prima mulier, quae figura fuit Mariae, novae Evae, tum ratione similitudinis, tum ratione oppositionis.

1) *Ratione similitudinis*: *a*) Eva *immaculata* et gratia ornata e manibus Conditoris prodiit; Maria ob praevisa merita Filii sui Redemptoris, *immaculata* fuit

[1] Cfr Tommaso Carizzi: *La Madre di Dio nell'Antico Testamento*. Figure, simboli, Cerreto Sannita, 1933; Passaglia, *De Immaculato Deiparae Conceptu*, 1, pp. 225-308.

inde a primo suae conceptionis instanti, et gratia repleta. *b*) Prima mulier vocata est *Eva* quia mater omnium viventium per naturam; B. Virgo est mater omnium viventium veram Christi vitam per gratiam.

2) *Ratione oppositionis*: *a*) Eva, cum Angelo malo sub specie serpentis colloquendo, *praevaricationi consensit* et omnes homines perdidit. Maria cum Angelo bono colloquendo et ancillam Dei se profitendo, *reparationis operi consensit* et homines salvos fecit. *b*) Eva porrexit homini mortis fructum, Maria fructum vitae edidit. *c*) Eva mediatrix mortis, Maria mediatrix vitae.

II. **Sara**, miraculose fecunda, cuius sponsus Abraham pater fuit multarum gentium (Gen., 21); ita Maria et Filius eius. (Cfr S. Ambrosius, *De instit. virg.*, V, 33, PL 16, 313 B).

III. **Rebecca** «puella decora nimis, virgoque pulcherrima et incognita viro» (Gen., 24, 16): *a*) Ipsa praeparata fuerat pro Isaac, filio Abrahae, sicut Maria, tota pulchra, praeparata est pro filio Dei; *b*) ob suam charitatem Rebecca potum praebuit nedum servo petenti sed etiam iumentis eiusdem; ita et Maria nedum iustis petentibus sed et peccatoribus offert aquas «salientes in vitam aeternam»; *c*) Rebecca concepit Iacob qui suasione matris, Esau fratri suo se substituit et benedictionem Patris accepit; Maria concepit Iesum qui, consensu matris suae, semetipsum suis fratribus substituens, peccatorum ipsorum coopertus coram Patre suo apparuit ad hoc ut benedictionem acciperet. (Cfr S. Grignion de Montfort, *Traité de la vraie dévotion*, n. 183-212).

IV. **Rachel**. *a*) Pulchritudo Rachelis cor Iacob rapuit; pulchritudo Mariae cor Dei; *b*) Filius Rachelis, Ioseph, a fratribus venditus, postea ad summum gloriae fastigium pervenit et fratrum nec non populi Israël Salvator efficitur; ita et Filius Mariae; *c*) Rachel, in partu Ioseph primogeniti, magnam laetititiam experta est, dum in partu Beniamini magnos dolores experta est ita ut illum *Benoni* seu *filium doloris* appellaverit; ita et B. Virgo in partu Christi summum gaudium; et in partu fratrum eius summum dolorem experta est.

V. **Maria**, soror Moysis, prophetissa. Sicut enim soror Moysis, post transitum maris Rubri, carmen a Moyse compositum, tympanum manu pulsans cecinit, stipata mulieribus «cum tympanis et choris» (Ex., 15, 20); ita B. Virgo, statim post Verbi Redemptoris Israël Incarnationem, prophetarum regina, carmen a Filio suo, vero Moyse, inspiratum, exultans cecinit: «Magnificat anima mea Dominum». (Cfr S. Aug., *Sermo de S. Maria* PL 184, 1020; S. Ambros. *De instit. Virg.* V, 34, PL 16, 314 A).

VI. **Debbora**, prophetissa, quae finem posuit hostium triumpho cui nihil resistere poterat: «Donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel» (Iud., 5, 7); ita et Maria finem posuit triumpho diaboli qui usque ad ipsam mundo veluti praefuit.

VII. **Iahel**, mulier fortis quae caput Sisarae clavo interficiente confixit (Iudic., 4, 17-22); ita et Maria « virtutem Satanae rigore disciplinae in se destruxit ». (Cfr *Speculum B. M. V.*, lect., 10; Bourassé, 4, 495).

VIII. **Ruth** moabites, quae gratiam invenit coram Booz semetipsam ancillam eiusdem profitendo; ita et B. Virgo cum dixit: « Ecce ancilla Domini ».

IX. **Abigail** quae per suam prudentem humilitatem pacem statuit inter David et Nabal; ita Maria Dei iram contra homines placat.

X. **Bethsabea** quae super pulcherrimum tronum ad dexteram Salomonis filii sui sedit, cum ipso gloriam et potentiam dividens; ita et Maria nunc in coelis...

XI. **Iudith** figura fuit Mariae: *a*) ratione *fortitudinis* eo quia « non pepercit animae suae propter angustias et tribulationes 'generis sui », Holofernem, hostem populi sui trucidando; *b*) ratione *castitatis* et *c*) ratione *pulchritudinis* qua regem hostilem sibi amore devinxit.

XII. **Esther** quae describitur ceu « parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit » (Esther, 10, 6). Iamvero, « quemadmodum *Mardochaeus* praesignavit *Christum*, eiusque typus extitit, ita Esther praesignavit Mariam, ipsamque veluti typum antecessit. « Principio namque selecta ipsa (Esther, 4, 13-14) ac praeparata caelitus fuit, ut a sui populi cervicibus imminentem perniciem repelleret. Deinde vero pro hac maxima singularique destinatione, quemadmodum gratia et venustate eminuit qua sibi regis animum una devinciret; ita a reliquo populo secreta (ib., 10, 6) et ad reginae culmen evecta, numquam regis animum experta est inimicum, et (ib. 4, 13; 15, 11 ss.) ab universali mortis lege immunis, efficere sua mediatione potuit, ut a decreta clade ipse quoque populus eriperetur. Si ergo eiusmodi sunt, quibus Esther Mariam adumbravit, eiusque typus atque imago fuit, plane colligitur: 1) Mariam fuisse divinitus praeelectam, ut nobis in ruinam lapsis opem auxiliumque ferret; 2) ea gratia, eaque venustatis excellentia coram Deo nituisse, ut eius sibi animum una conciliaret; 3) a reliquo hominum genere longissime separatam, et reginae sponsaeque ornamentis insignem, nunquam supremo regi fuisse inimicam, eidemque semper placuisse; quapropter, 4) ab universali condemnatione liberam, iis esse functam partibus, quibus ratio ac mediatricis dignitas absolvitur ». (Passaglia, l. c. p. 632, n. 1070). Cfr etiam *Speculum B. M. V.*, apud Bourassé, 4, 533).

XIII. **Mater Machabaeorum** quae supplicio suorum septem filiorum, septies martyr, fortiter adstitit illos Deo pro salute gentis suae offerens; ita et Maria, Filio suo e cruce pendenti plusquam septies martyr, doloris gladio transfixa, fortiter adstitit, illum pro humani generis salute offerens.

Breviter: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae; si qua virtus, si qua laus disciplinae (Philipp., 4, 8) haec Virginis sunt omnia, haec omnia sunt in Virgine » (Berlen, *Litan. Laut.*, p. 4).

B) De symbolis B. M. V. in specie

Innumerabilia sunt ea in quibus Patres et scriptores Ecclesiae symbolum aliquod B. M. V. viderunt.[1] S. Germanus (*Orat. in Deiparae nativ.*, pp. 1311-1318 apud Combefisium, *Actuar.* t. 1), S. Ioannes Damascenus (Orat. I *In Deip Dormit.* § 8, p. 863 D); Theodorus Studita (Orat. VI *In Deip. dormit.* n. 4, pp. 58-60, apud Mai in *Nova PP. Bibl.*, t. 5, p. 111) quamplurima Deiparae symbola proponunt. (Cfr eorum testimonia apud Passaglia, o. c., 1, pp. 230-304).

Praecipua symbola in *triplicem veluti classem* distribui possunt, videlicet: I. Symbola ex sacris Iudaeorum *rebus* desumpta; II. Symbola ex *historia sacra* et ex actionibus propheticis desumpta; III. Symbola ex illis *rebus* desumpta quae *numquam* fuerunt *maledicto obnoxiae*.

Prima classis symbolorum: ex *rebus sacris* Iudaeorum: « Si qui legerint Pauli Epistolas — scribit Passaglia — hi facile animadvertent sollemne apostolo fuisse ex sacris Iudaeorum rebus imagines typosque mutuari, quibus christianam oeconomiam praesignatam et supremis quibusdam adumbratam lineis ostenderet... Ex hoc autem ipso rerum sacrarum veluti campo insignem quamdam typorum copiam Deiparam praemonstrantium maiores nostri collegerunt, illosque eo studio eaque cura explanarunt, ut suam mentem suamque fidem de singulari Deiparae dignitate eiusque innocentia omnibus expleta numeris evidentissime significaverint » (op. cit., I, p. 235).

Typi seu symbola ista sunt:

I. **Templum** (Ita S. Ioannes Dam.;[2] Hesychius, Ioannes Eubaeus, Pseudo-Epiphanius, Basilius Seleuc., S. Gregorius Nazianz., Georgius Nicomediensis, S. Hildephonsus Tolet., S. Petrus Damiani, Venantius Fortunatus etc. Ita etiam in variis Liturgiis). Ab istis B. Virgo vocatur « Templi exemplar atque antitypus, Templum novum, Templum priore longe nobilius, immaculatum, indissolubile, spiritu fulgens, plenum gloria Domini, a Deo extructum, purissime fabricatum, Templum, sactum Sancti, Seraphim splendidius, novum sub caelo atque vere Deo dignum ».

II. **Tabernaculum** (Ita Georgius Nicom., S. Ephraem, S. Proclus, S. Modestus, Pseudo-Hieronymus, Ioannes Eubaeus, Dionysius Alex., Arnoldus Carnot., S. Ioannes Damasc. et in variis Liturgiis). Auctores isti dicunt

[1] Cfr Card. Vives, *Dictionarium marianum*, Romae, 1901.

[2] Singula testimonia inveniri possunt apud Passaglia, o. c., 1, 236 et ss.

B. Virginem esse « tabernaculum longe mosaico praestantius ac nobilius, sanctum, sanctissimum, divinum, divinissimum, eo usque mundum ut eo dignus non fuerit mundus, Deo dignum, non manufactum atque idcirco praeter et supra naturam evectum aedificatum a spiritali Beseleel, a Deo fixum, quodque cum primum iaceretur, erectum fuit prolapsum Davidis tabernaculum, et universa quae ceciderant hominum natura ad pristinam propriamque ingenuitatem revocata ».

III. **Altare seu Mensa** animata (S. Methodius, S. Andreas Cret., Theophanes); PROPITIATORIUM mundi (S. Ioannes Dam., Modestus, Ioseph Hymn.), VICTIMA IMMACULATA (Georgius Nicom. etc.).

IV. **Arca**, « mosaica nobilior, novae gloriae arca, intrinsecus et extrinsecus deaurata, corpore videlicet et spiritu sancta » (Pseudo Gregorius Neocaes., Pseudo-Athanasius, Methodius, Proclus, Theodorus Studita, Theophanes, Ioannes Eubaeus, Ioannes Dam., Leo Augustus, S. Hildephonsus Tolet., Petrus Cellensis et in Liturgia); CANDELABRUM « collustratum perpetuo lumine, iis semper illucens qui in tenebris sedent » (S. Germanus, Iacobus Mon., Andreas Cret., Modestus Hieros., Georgius Nicom., Leo Augustus, et in Liturgia); TURIBULUM aureum (S. Ephraem, S. Ioannes Dam., in Liturgiis); URNA mannae « ex auro conflata, Deo digna » (S. Germanus, Iacobus Mon., Methodius, S. Andreas Cret., S. Ioannes Dam. etc.).

V. **Velum, Virga Aaronis, Sancta Sanctorum.**

1) VELUM (ita Georgius Nicom., S. Germanus).

2) VIRGA AARONIS quae in solitudine Tabernaculi floruit. (Ita S. Andreas Cret., Georgius Nicom., Modestus Hieros., Leo Augustus, S. Ioannes Dam.).

3) SANCTA SANCTORUM (S. Tarasius, Isidorus Thess.).

Secunda classis symbolorum: ex *historia sacra* et ex *actionibus propheticis*:

I. **Arca Noë**, iam ante diluvium praeparata, ex lignis incorruptibilibus confecta, ob quam genus humanum salvum factum est. « Christus, spiritualis Noë, ex Maria incorrupta corporis sibi arcam composuit » (S. Proclus), « per quam a peccati diluvio salvati sumus » (S. Ephraem). Ita etiam HESYCHIUS HIEROS., CHRYSIPPUS, MODESTUS, EKBERTUS CHONAUGIENSIS et in Liturgiis).

II. **Locum Sanctum** de quo Iacob de somno evigilans dixit: vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Patensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli » (Gen., 28, 16-17). (Ita S. GERMANUS, S. IOANNES DAM.).

III. **Scala Iacob** cuius summitas pertingebat ad caelum. Ita PSEUDO-AUGUSTINUS: « Facta est Maria scala caelestis quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mererentur ad caelos » (De tempore,

Serm. 15, al. 123, *In nat. Dom.*, 7, n. 2, col. 157. E. inter opp. Aug. t. V). Ita etiam S. Ioannes Dam., Anastasius Antioch., Ioannes Geometra, S. Petrus Damiani, S. Anselmus, Theophanes, Petrus Ep. Argorum et in Liturgiis.

Ab istis, B. Virgo perhibetur scalae instar ac pontis caelum inter terramque mediam, et singulari opere a Deo procreata, ut per ipsam hominum spes erigeretur, infirmum Adami genus sustentaretur, Deus ad homines descenderet, atque homines ad Deum vicissim ascenderent, ipsaque foret tum hominum instauratio et cum Deo copulatio, tum omnibus potior ac superior, et in omnibus supra comparationem evecta.

IV. **Terra Sancta** ac desiderabilis, terra e qua veritas, Christus, prodiit, maledicto minime obnoxia, benedictionibus referta, quae nulla peccati spina inhorruit, sed per quam peccatum ipsum fuit radicitus evulsum. Ita S. Germanus, S. Ioannes Dam.

V. **Rubum incombustum**, quia divinitatis ignem incolumi virginitate concepit. Ita S. Ephraem, S. Proclus, Theodotus Ancyranus, Hesychius, Andreas Hieros., Ioannes Eubaeus, Modestus, Gregorius Neocaes., Sophronius Hieros., Photius Byzantinus, Ioannes Geometra, S. Petrus Damiani in variis Liturgiis etc.

VI. **Mons Sina**, imo eo sanctior, vere Deo gratus, insitae puritatis radiis ita coruscans, ut ipse unus de sua puritate et innocentia exultare possit. Ita Severus Antioch., S. Ioannes Dam.

VII. **Vellus Gedeonis**, vellus incontaminatum, in mundi area positum, et a mundo qui purgari per ipsum debebat seiunctissimum. Ita Theophanes, Psellus, Proclus, Ephraem, S. Ioannes Dam., Sophronius Senior, in liturgiis etc.

VIII. **Nubes levis Isaiae** (Is., 19, 1), a sole fulgida, undique rutilans, splendida prae omnibus luminibus, angelos nitore vincens, numquam in tenebris et semper in luce, ... Ita S. Germanus, S. Ioannes Chrys., S. Proclus, Petrus Ep. Argorum, Modestus Hieros., S. Ioannes Dam., S. Ambrosius et in Liturgiis.

IX. **Mons umbrosus** Habacuc, splendidissimus, perfecte sanctus, virtutibus undequaque umbrosus, in quo sibi Deus placuit inhabitare, e quo illuxit Evae redemptio omniumque salus. Ita S. Germanus, Cosmas Hieros., S. Ioannes Dam., S. Andreas Cret., Theophanes, Ioseph Hymnographus, Dionysius Alex., et in Liturgiis.

X. **Sancta civitas Sion**, nova, sacratissima, sanctissima Sion, Sion spiritalis, animata Dei Civitas, Deo gratissima, undique communita, inconcussa immaculatissima et nullius conscia labis, praeparata pro ratione providentiae ante saecula, tota civitas Dei viventis, tota pulchra, fons iustitiae, in qua tota

civitas Dei viventis, tota pulchra, fons iustitiae, in qua tota divinitatis plenitudo corporaliter habitavit, ex qua Verbum prodiens hostiles vires contrivit. Ita S. Germanus, Georgius Nicom., Psellus, Modestus, Gregorius Neocaes., S. Ephraem, S. Ioannes Dam. et in Liturgia.

XI. **Civitas Bethlehem** (= domus panis). Ita Methodius, S. Germanus.

XII. **Vas novum** Elisaei, vas incorruptum, per quod suavis facta est amaritudo, per quod virus serpentis dulce evasit, quodque Deus selegit ut aquas pessimas perditumque hominum genus sanaret. Ita Modestus Hieros., S. Ephraem, S. Epiphanius, S. Cyrillus Alex., Isidorus Thess.

XIII. **Liber obsignatus** (Is., 29, 11). Ita Andreas Hieros., Pseudo.Chrysostomus, S. Ioannes Dam., S. Tarasius Constant., Ioseph Hymnographus.

XIV. **Porta clausa**, decus perennis virginitatis designans, per quam Redemptor in mundum intravit, per quam clausa fuit porta quae ducit ad mortem eaque reserata quae provehit ad vitam. Ita Dionysius Alex., S. Ephraem, S. Hieronymus, Pseudo-Gregorius Caesar., S. Ioannes Dam., et in Liturgiis.

XV. **Tomus novus** (Is. 8, 1), mundissimus, faustissimus, in quo, Patris digito, Verbum Incarnatum inscriptum est. Ita Theodotus Ancyr., S. Proclus, S. Ephraem, Georgius Nicom., S. Ioannes Dam., Leo Augustus, Iacobus Monachus, Iosephus Hymnographus, Cosmas Hieros.

XVI. **Mons** (Dan., 2, 45) nullo modo incisus, praeruptam habens petram Christum, toti supereminens terrae, nonnisi caelestia sapiens, per quem ad Christum lapidem angularem ascendimus et e quo pernicies in Satanae regnum derivavit. Ita Pseudo-Epiphanius, Modestus, S. Tarasius, S. Germanus, Cosmas Hieros.

XVII. **Arvus seu ager inaratus**. Ita S. Germanus, S. Sophronius, Modestus, Proclus, Ioseph Hymn.

XVIII. **Forceps** (ab Isaia, 6, 6, conspectus) carbonis divini. Ita S. Ephraem, S. Andreas Cret., Leo Augustus, Iosephus Hymn.

Tertia classis symbolorum: *ex rebus quae originali puritate nituerunt* et numquam fuerunt maledicto obnoxiae.

I. **Paradisus terrestris**. Ita Theophanes, Iosephus Hymnogr., S. Germanus, Leo Sapiens, S. Ioannes Dam., Modestus Hieros., S. Tarasius, Ioannes Eubaeus, Petrus EP. Argorum. Basilius Seleuc., S. Sophronius, S. Proclus, Theodotus Ancyr., S. Ephraem. Ab istis ergo B. Virgo appellatur « paradisus rationalis, spiritualis, Eden sanctior, beatior, lucidissimus, a Deo consitus, protectus ab omnibus Serpentis insidiis floridus, semper virens, e quo immortalitatis odor in universam Evae posteritatem dimanavit ».

II. **Terra adhuc intacta**, nondum maledicto obnoxia, neque spinis tribulisque inhorrescens. Ita S. Irenaeus, Tertullianus, Hippolytus, Iulius Firmicus Maternus, Pseudo-Ambrosius, Pseudo-Augustinus, S. Bruno Astensis, Theodotus Ancyr., Proclus, Severus Antioch., S. Cyrillus Alex., S. Athanasius, Iacobus Monachus, Photius, S. Ioannes Dam., et in Liturgia.

III. **Caelum**. Ita Gregorius Caes., Leo Augustus, Georgius Nicom., S. Germanus, Ioannes Eubaeus, S. Tarasius, S. Proclus, S. Ioannes Dam., et in Liturgiis. Ab istis B. Virgo vocatur « caelum, caelum enarrans gloriam Dei, caelum alterum atque secundum, caelum novum ex terra obsoleta; terrestre caelum et caelum coeli, hoc nostro visibili celsius atque sublimius, maius atque divinius ». Sine numero sunt Patres praesertim Graeci qui Deiparam *caeli* nomine nuncuparunt.

Vere ergo, B. Virgo « magnifica es in omni sexu, in omni aetate, in omni conditione, in tribubus, populis et linguis. Tu es luna in medio firmamenti: candelabrum in medio mundi: lignum vitae in medio paradisi... » (Ps. Anselmus, Orat. 53 *Ad S. Virginem M.*, p. 283, col. 1, A-B).

Iure ergo concludere possumus cum Garriguet: « Belles sont les figures qui l'ont annoncée et magnifiques les oracles qui l'ont prédite, mais infiniment plus belle et infiniment plus magnifique sera sa réalité. Ces figures et ces oracles ne sont que des ombres, elles ressemblent tout au plus aux indécises lueurs du matin, à ces pâles clartés qui précèdent l'aurore: clartés encore à demi-voilées, qui ont bien leur charme, mais qui sont absolument éclipsées par les splendeurs du plein jour. C'est l'astre dans tout son éclat qu'il faut maintenant étudier » (*La Vierge Marie*, p. 35).

SECTIO TERTIA

DE SINGULARI MISSIONE B. M. VIRGINIS CONSIDERATA IN SUI ADIMPLETIONE

Ratio quaestionis. Singulari missione B. M. Virginis sive in aeterno Dei decreto sive in manifestatione huius decreti per prophetias considerata, in sua reali adimpletione nunc consideranda est.

Divisio quaestionis. Probandum ergo nobis erit quomodo Beatissima Virgo apparuerit in tempore vera *Mater Creatoris* nec non vera *Mater creaturarum*. Hinc agendum erit:

I. *De B. M. Virgine Matre Creatoris.*

II. *De B. M. Virgine Matre creaturarum.*

Cap. I – DE B. M. VIRGINE MATRE CREATORIS

BIBLIOGRAPHIA. Praeter varios Tractatus de B. M. V., sequentia scripta utiliter consuli possunt: Bittremieux, *De notione divinae Maternitatis B. M. V., in Ephem. Theol. Lov.*, 1924, pp. 71-78; Bover I., *Concepto integral de la Maternidad divina según los Padres de Efeso*, in *Analecta sacra Tarraconensia*, 7 (1931), 139-169; Clement, C. SS. R., *Le sens chrétien et la Maternité divine aux IV^e^ et V^e^ siècles de l'Eglise*, Bruges, 1929; D'ales A., art. *Marie*, in *Dict. Apol.*, III, cc. 199-206; Dublanchy E., art. *Marie*, in *Dict. Cath.*, t. 9, cc. 2355-2369; Jugie, *Nestorius et la controverse nestorienne*, Paris, 1912.

Ratio et momentum tractationis. Prima et praecipua pars singularis missionis B. Mariae V. est divina eius Maternitas.

Momentum dogmaticum huius veritatis maximum est, cum sit basis omnium privilegiorum B. M. V. et ipsius Christianae religionis. Divina enim maternitas est veluti primus et fundamentalis cardo circa quem tota Mariologia volvitur, eo quod principium, centrum et clavis dici potest omnium privilegiorum Mariae in ordine naturae, gratiae et gloriae, cum omnia in ipsa saltem virtualiter contineantur.

Quin immo, dogma divinae maternitatis nedum prima basis est et fundamentum privilegiorum B. M. V., sed etiam prima basis et fundamentum *totius Christianae religionis* dici debet. Si Maria non est vera Dei Mater, vana est fides nostra: circa ipsam enim supernaturalis ordo gratiae et gloriae totus volvitur. Sicut enim omnes errores contra praecipua fidei nostrae mysteria i. e. contra *unitatem*

et *Trinitatem* Dei nec non contra *Incarnationem* Verbi sunt (directe vel indirecte) contra divinam Eius Maternitatem (prout infra videbimus), ita divina Eius Maternitas est (directe vel indirecte) contra omnes errores in praecipuas fidei veritates. Iure ergo divina maternitas *Liber fidei* vocatur, et B. Virgo, per suam divinam maternitatem, *cunctas haereses* interemisse dicitur in universo mundo. « Répudier le nom de Mère de Dieu, c'est rejeter logiquement tout le Christianisme, dont il est le symbole abrégé, le palladium » (Terrien, o. c., vol. 1, p. 55, ed. 4).

Divisio quaestionis. Cum vero maternitas divina considerari possit sub quadruplici respectu, videlicet, sub respectu *theologico* (an sit, seu de existentia), *physico* (seu de concursu materno), *metaphysico* (seu de relatione quam secumfert) et *morali* (seu de consequenti dignitate), quaestionem hanc in quatuor capita subdividimus, nempe:

I. *De maternitate divina considerata sub respectu theologico.*

II. *De maternitate divina considerata sub respectu physico.*

III. *De maternitate divina considerata sub respectu metaphysico.*

IV. *De maternitate divina considerata sub respectu morali.*

Hoc quadruplici respectu maternitas divina integratur; et ideo ad conceptum integralem habendum maternitatis divinae haec quatuor ex ordine expendenda sunt. Quatuor isti respectus ita ad invicem sunt ordinati, ut quartus a tertio, tertius a secundo et secundus a primo dependeat.

Dignitas enim (seu respectus moralis) a relatione dependet quae exurgit inter Matrem et Filium; *relatio* vero (i. e. respectus metaphysicus) fundatur in concursu materno; concursus vero maternus (seu respectus physicus) fundatur in facto maternitatis divinae seu in respectu theologico.

Art. 1 – De maternitate divina considerata sub respectu theologico, seu de eius existentia.

I. **Notio maternitatis**. Ita clarissime a S. Thoma exponitur: « Nomina paternitatis, maternitatis et filiationis *generationem* consequuntur; non tamen quamlibet, sed proprie generationem viventium et proprie animalium: non enim dicimus quod ignis generatus sit filius ignis generantis, nisi forte secundum metaphoram; sed hoc solum dicimus in animalibus, quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen, sed solum illud quod generatur in *similitudinem generantis* » (P. III, q. 32, a. 3).

Igitur, ad veram et propriam maternitatem habendam, requiritur ut aliqua mulier; *a*) per viam *generationis*; *b*) proli naturam naturae suae *similem* seu consubstantialem conferat.

II. **Sensus quaestionis**. Hac notione maternitatis posita, facili negotio ab omnibus intelligitur quomodo B. Virgo *Mater Christi* dicatur, eo quod ipsa, sicut aliae matres, *materiam* Christo subministravit ex qua corpus eius efformatum fuit; et hoc solum ad rationem matris requiritur. Difficultas ergo potius ex hoc oritur quod non intelligitur quomodo B. Virgo dici possit *Mater Dei* seu *Deipara*, eo quod non apparet quomodo Deus *generabilis* dici possit.

Attamen, si res bene inspiciatur, formulae *Mater Christi* et *Mater Dei* sunt synonimae, et unum idemque significant. Beata Virgo, enim, non ideo *Mater Dei* dicitur quia generavit Divinitatem seu divinam Verbi naturam (quod haereticum esset), sed quia generavit humanam naturam in unitatem personae a Verbo assumptam, seu quia *genuit secundum humanitatem* PERSONAM *habentem humanitatem et divinitatem.*

Ut hoc rite et plene intelligatur, ad tria attendere debemus, videlicet: 1) quod *subiectum* generationis seu filiationis et nativitatis non est natura sed persona; concipi enim et nasci seu generari proprium est *personae* non vero naturae; est persona (non natura) quae generatur seu concipitur et nascitur. In tantum enim aliquid generatur in quantum *subsistentiam* acquirit independentem a generante; iamvero, id quod subsistit est *persona* non vero natura, quamvis subsistat *in natura.* Generatio ergo nihil aliud est nisi motus, via per quam *persona* acquirit naturam, seu, *persona* est *subiectum* cui convenit et de quo praedicari debet generatio i. e. conceptio, nativitas, filiatio; *natura* vero est *terminus* ad quem haec omnia ducunt personam, videlicet: *persona nascitur acquirendo naturam.* (Legatur *S. Th.*, p. III, q. 35, a. 1). Doctrina haec nullam exceptionem patitur, ita ut semper et ubique dicit debeat quod est *persona*, non vero natura, quae generatur; ita e. g. etiam in SS. Trinitate, Pater generat *personam* non vero naturam Verbi, quae nec generat nec generatur. Nemo ergo est aut dici potest pater aut mater naturae sed personae.

2) Quod divina Verbi persona unita est humanae naturae inde *a primo suae conceptionis instanti* ita ut nunquam humana Christi natura fuit terminata aut completa ab aliqua personalitate humana et creata, sed semper in personalitate divina et increata Verbi subsistit. Et ideo Verbum, in actu Incarnationis, non assumpsit hominem, illum subsistentia propria denudando, sed assumpsit humanam naturam ponendo in ea, loco personalitatis humanae, ab illa naturaliter requisitae, personalitatem divinam. (P. III, q. 33, a. 3).

3) Quod, ratione *communicationis idiomatum*, in Christo id quod pertinet ad *divinitatem* praedicari potest et debet in *concreto* de *homine*, et id quod pertinet ad *humanitatem* praedicari potest et debet, in *concreto*, *de Deo.* Ita, e. g. dici potest et debet quod *Deus* est conceptus, natus, homo, passus, mortuus etc. et quod *homo* est *Deus* (i e. hic, qui homo est, simul est Deus) etc. Et ratio est quia proprietates alicuius naturae tandem aliquando conveniunt *supposito* i. e. personae in qua natura illa invenitur. Iamvero, sive divina sive humana natura, ra-

tione Incarnationis, in eadem persona Verbi increati et aeterni inveniuntur unitae; iure ergo de eadem persona increata et aeterna Verbi praedicantur in concreto proprietates (graece *idiomata*) sive divinitatis sive humanitatis. Et ideo, id omne quod in simplici homine humanae personae tribui potest, in Christo (in quo est tantummodo *persona divina* in duabus naturis subsistens) tribui potest personae divinae, seu *Deo*; hinc iure dicitur: *Deus concipitur*, *nascitur*. Et ita bene intelligitur quomodo B. Virgo, ex eo quod dedit Verbo humanam naturam (in qua Verbum subsistit) vere *Mater Dei* dici possit, eo quia vere ab ipsa conceptus et natus est (sec. humanam naturam) Verbum aeternum. (Legatur *S. Th.*, p. III, q. 35, a. 4).

III. **Errores** multiplices fuerunt. Omnes enim errores circa Incarnationem Verbi seu circa unionem hypostaticam, logica consequentia induxerunt errores circa Maternitatem divinam. Errores itaque omnes ad *triplicem classem* reduci possunt: 1) quidam enim asseruerunt Christum esse Deum sed negarunt esse verum *hominem*; 2) alii admiserunt Christum esse verum hominem sed negaverunt esse verum *Deum*; 3) alii admiserunt quidem Christum esse verum Deum et verum hominem, sed *unionem* inter naturam divinam et humanam adulteraverunt.

A) **Negaverunt veram Christi humanitatem:**

1) Docetae seu Phantasiastae (saec. I) generatim a paganismo conversi, qui docuerunt corpus Christi fuisse non reale sed apparens et phantasticum;

2) Valentiniani qui admiserunt quidem reale corpus in Christo, attamen non terrenum sed de coelo allatum, quod per Virginem Mariam veluti per aquaeductum transivit. Error iste instauratus est saec. XVI a Simeone Mennon, a Schwenkfeld et a Michaële Serveto.

a) *Simeon Mennon*, Anabaptistarum dux, pervicaciter et stultissime affirmavit corpus Christi ex coelestis Patris semine, non vero ex Mariae Virginis substantia fuisse; *b*) *Schwenkfeld* qui carnem et sanguinem Christi non naturalem sed *supernaturalem* i. e. mere spiritualia et plane divina fuisse somniavit; *c*) *M. Servetus* « horrendae impietatis architectus » (S. P. Canisius) [1] qui divinam Christi carnem de substantia Dei genitam esse confinxit. Hisce positis, maternitas divina ad *apparentem* tantummodo maternitatem reduceretur.

B) **Negaverunt veram Christi divinitatem:**

1) Ebionitae, a Iudaismo conversi (saec. I) putantes Christum esse hominem specialiter Deo unitum;

2) Cerinthiani (saec. I et II) qui *gnosim* cum Iudaismo miscentes, dicebant Christum esse unum ex *eonibus*;

[1] Cfr *De B. M. Virgine Incomp.*, l. 3, c. 14.

3) Paulus Samosatenus (saec. III) qui tenebat Christum esse primum inter filios adoptivos;

4) Ariani (saec. IV) qui docebant Christum esse primam inter creaturas.

Errores istos renovarunt Rationalistae, Protestantes Liberales et Modernistae: *a*) Rationalistae contendunt Christum esse merum hominem aut *prophetam ceteris similem*; *b*) Protestantes liberales (antiquiores enim protestantes, ut Lutherus, Calvinus, Bucerus, Bullingerus divinitatem Christi et divinam maternitatem B. M. V. negare ausi non sunt, quamvis Nestorianae faeces in eorum vicinioribus discipulis reperiantur) asserunt Christum esse *prophetam ceteris superiorem*. Ita Harnack, Wendt, Reville, Sabatier etc. Quidam vero eo usque pervenerunt ut ipsam Christi existentiam negarent. *c*) Modernistae contendunt Iesum dixisse se Filium Dei sensu tantum messianico; et Christianos, ellenicis theoriis circa *Logon* imbutos, eum tamquam Verbum divinum adorasse. (Cfr Decr. « Lamentabili » 27, Denz. Bann., 2027, ss.). Dogma ergo divinitatis Christi, iuxta ipsos, non posset probari ex evangeliis, sed « est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit » iudaicos conceptus circa Messiam ope graecarum doctrinarum elaborando.

Hisce positis, B. Virgo non esset mater Dei sed *hominis* tantummodo.

C) **Adulterarunt unionem inter naturam divinam et humanam:**

1) Eutychiani (per excessum) docuerunt unionem factam fuisse *in natura* et ideo non solum unicam personam sed etiam *unicam* naturam in Christo, post unionem, fuisse. Quomodo vero ex duabus naturis ante unionem existentibus, unica tantum in Christo, post unionem, remaneat, Eutyches ipse non explicavit; eius autem discipuli variis modis hoc explicarunt, videlicet: *a*) alii dicebant humanitatem *absorptam* fuisse a divinitate, sicut guttula aquae ab oceano absorbetur; *b*) alii dicebant duas naturas, divinam et humanam, *commixtas* fuisse, et in aliam tertiam naturam transmutatam; *c*) alii tandem hanc unionem unioni corporis et animae assimilabant. Hisce erroribus, maternitas divina, ut patet, omnino perit: Christus enim non habuisset eamdem naturam ac nos, et ideo eiusdem speciei non fuisset; generatio autem ad suppositum *in eadem natura* subsistentem terminatur, eo quia est origo « in similitudinem naturae ». « Non igitur dici poterit quod Christus sit Filius Mariae Virginis, aut quod illa sit Mater eius » (*C. G.*, l. 4, c. 32). Imo, non solum maternitas simpliciter, in quantum talis, sed etiam maternitas in quantum *divina* rueret, eo quod natura aliqua ex natura humana et divina conflata, nec vere humana nec vere divina dici posset.

2) Nestoriani (per defectum) duplicem naturam in Christo salvare cupientes, unionem in persona (non in natura) posuerunt, sed *accidentalem* tantum, t. e. unionem tantummodo *moralem* inter naturam divinam et humanam admittebant, et proinde duplicem in Christo personam ponebant. Christus, ergo,

fuisset verus homo, in quo divinitas fuit sive propter excellentem quamdam divinae gloriae participationem, sive propter inhabitationem Dei in homine Christo sicut in templo, sive propter unionem affectus quatenus voluntas hominis Christi semper erat conformis voluntati Verbi Dei. Persona Verbi et persona Christi constituerent *unam personam moraliter* non vero ontologice. Ita Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus, Theodorus Mopsuestenus et praesertim *Nestorius*. Posita ergo in Christo duplici natura et duplici *persona* B. Virgo dici debet Mater *hominis* non vero *Mater Dei*, *Christipara* non vero *Deipara*, *Christotocon*, non vero *Theotocon*. Si enim alia est hypostasis humana et alia hypostasis divina, « sequitur quod de aliquo alio, quam de Verbo, verificentur ea quae sunt hominis, puta natum esse de Virgine » (P. III, q. 35, a. 4). Concedebant tamen Nestoriani B. Virginem vocari posse *Deiparam* sensu improprio sicut mulier qui puerum genuit qui postea fit Pontifex, *Mater Pontificis* vocari potest: B. Virgo enim, genuit hominem qui postea, ob intimam coniunctionem cum divinitate, honores divinos promeruit. [1]

Error iste tenetur etiam hodie a schismaticis chaldaeis qui Nestoriani appellantur. Quidam hodierni *Protestantes* qui *Orthodoxi* dicuntur, quamvis divinitatem Christi profiteantur, a titulo tamen *Matris Dei*, ex caeca quadam aversione, abhorrent, et B. Virginem *Matrem Domini* tantummodo appellant. Attamen scimus « nostris diebus — prout scripsit Pius XI in Encycl. « Lux Veritatis » 25 dec. 1931 — Novatores etiam nonnullos Deiparae Virginis dignitatem melius agnoscere ad eamque studiose reverendam honoramdamque allici atque moveri ». [2]

Contra omnes recensitos errores propositionem sequentem ponimus:

Prop.: « B. Virgo Maria vere est et dici debet Mater Dei ».

Est *de fide* solemniter definita, contra Nestorium, in *Concilio Ephesino*, can. I.: « Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei verbum), A. S. » (Denz-Bann. 113).

Idem plus minusve habetur *a*) in Conc. Calcedonense a. 451, *b*) in Conc. Constantin. II a. 553, *c*) in Conc. Const. III a. 680-81, *d*) in Conc. Later. sub Martino I can. 3; *e*) In Ep. Ioannis II ad Senatores Constantinopolitanos a. 534; *f*) in Constitutione Pauli IV « Cum quorumdam » adversus Socinianos 7 aug. 1555; *g*) in professione fidei a Benedicto XIV Orientalibus Maronitis praescripta Constitutione « Nuper ad nos » 16 martii 1743; *h*) in Encycl. Pii XI « Lux veritatis » 25 dec. 1931:

[1] Pro pleniori cognitione controversiae Nestorianae, cfr copiosam bibliographiam apud CAMPANA, o. c., ed. 4, p. 25. Frustra DUCHESNE in op. *Storia della Chiesa antica*, v. III, p. 249. Nestorium aliquomodo defendere conatur.

[2] Cfr ea quae scripsimus in vol. IV huius operis, ubi de cultu Deiparae agimus.

« Si una est Iesu Christi persona, eaque divina, procul dubio Maria non Christi hominis Genitrix tantummodo, sed Deipara, seu Theotocos vocari ab omnibus debet » (AAS, XXIII, 14).

Prob. I: Ex S. Scriptura:

In genere: B. Virgo est vere et proprie Mater Iesu. Atqui Iesus est vere et proprie Deus. Ergo B. Virgo est vera Mater Dei.

Ad Mai. Etenim pluribus in locis (Matth., 2, 11; Luc., 2, 37, 48; Ioan., 2, 1; Act., 1, 14) explicite dicitur Maria Mater Christi vel Iesu. Christus enim *verum corpus* sumpsit ex Virgine. Etenim: *a*) eius genealogia traditur (Matth., 1, 1-17; Luc., 3, 2-38); *b*) *concipitur* a Virgine et quidem *in utero*, iuxta verba Angeli (Luc., 1, 31); *c*) nascitur et post eius nativitatem invenitur infans, pannis involutus, positus in praesepio (Luc., 2, 7, 12); *d*) more ceterorum hominum, *adolescit* (Luc., 2, 52), constanter se gerit *ut hominem*, patitur, moritur; et ideo corpore vere humano praeditus fuit.

Ad Min. Quod Christus sit *verus Deus*, probatur:

I. *Ex testimonio* ipsius Christi in Evangeliis synopticis ubi Christus: *a*) omnibus *hominibus et angelis superiorem* se facit (passim); *b*) ut *propriam* sibi vindicat *auctoritatem divinam*, proprio nomine docendo et miracula faciendo (e. g. Marc., 5, 30; Luc., 6, 19); peccata proprio nomine et auctoritate dimittendo (e. g. Marc., 2, 3-13); seipsum ut iudicem supremum exhibendo (Matth., 25, 34-46); *c*) seipsum *vocat et vocari* permittit sensu stricto *Filium Dei* (Matth., 6, 9-32; 10, 33; 11, 25-27; 16, 13-20; 26, 63-66, 11, 27; Luc., 10, 22 etc.).

II. Ex *fide Apostolicae Ecclesiae*: Apostoli enim Christum praedicant Auctorem vitae, mortuorum ac vivorum iudicem, Dominum omnium etc.

III. Ex *testimoniis innumerabilibus S. Pauli* qui Christo talem dignitatem et talia munia tribuit quae creaturae sine blasphemia tribui non possunt. Dicit enim, e. g. de Christo quod « est super omnia *Deus* benedictus in saecula » (Rom., 9, 5).

IV. *Ex testimonio S. Ioannis* qui contra Ebionitas et Cerinthianos explicite divinitatem Christi proclamat, e. g... « Deus erat Verbum ... Et Verbum caro factum est ».

Iure ergo concludit *Tanquerey*: « Qui igitur affirmant divinitatem Christi esse dogma a conscientia christiana elaboratum, graecarum theoriarum ope, non unam et alteram N. Testamenti paginam, sed integram eius substantiam lacerare debent: ubi enim hoc dogma non explicite traditur, saltem implicite supponitur. Hinc, nil mirum si Patres Apostolici, Apologetae, aliique secundi et tertii saeculi auctores, Christi divinitatem unanimiter professi sunt » (*Brev. Syn.*, p. 419).

Et ita refutantur illi qui, ut vidimus, aut veram naturam humanam, aut veram naturam divinam Christi, et consequenter divinam B. Mariae V. maternitatem denegant.

In specie: I. Ex *verbis Angeli* ad B. M. V. (Luc., 1, 31 ss.): « Ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et *Filius Altissimi* vocabitur. Quod nascetur ex te sanctum vocabitur *Filius Dei* ». B.

Virgo ergo concipere et parere debebat Filium Altissimi, Filium Dei, i. e. Deum. Sed illa quae concipit et parit aliquem est Mater eius. Ergo ...

II. Ex *verbis S. Pauli*: « At ubi venit plenitudo temporis, misit *Deus filium suum* factum *ex muliere* » (Gal., 1, 4). Ex his apparet quod unus idemque est qui ab aeterno fuit genitus a Patre et qui in tempore fuit genitus a Matre; sed qui ab aeterno fuit genitus a Patre est Deus, Verbum; ergo et qui in tempore genitus est a Matre est Deus, Verbum.

III. Ex *verbis S. Elisabeth*: « Unde hoc mihi ut veniat *mater Domini mei* ad me? » (Luc., 1, 43): vox *Dominus meus* (Kyrios) hic stat pro *Deus*, eo quod statim postea subiungit Elisabeth: « perficientur in te quae dicta sunt tibi a *Domino* »: ubi evidentissime *Dominus* idem et ac *Deus*. Elisabeth ergo B. Virginem *Matrem Dei*, Spiritu Sancto afflata, explicite proclamavit.[1] Et ita Nestoriani et Eutychiani refutantur.

Prob. II: Ex traditione:[2]

Semper, inde a temporibus apostolicis, veritas haec saltem implicite admissa est.

I. – **Saec. II.** Patres decertant praesertim contra illos qui veram naturam humanam Christo denegabant, et *rem* per titulum *Theotocos* significatam docent.

1) S. Ignatius Antioch. († 107) scribebat: « Deus noster I. C. in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei, ex semine David, Spiritu autem Sancto » (*Ephes.*, 18, 2).

2) Aristides: « Hic (Christus) Dei altissimi Filius esse creditur, qui in Spiritu Sancto de coelo descendit ad salvandos homines, et ex sancta Virgine genitus sine semine et sine corruptione carnem sumpsit » (*Apolog.*, 15, 2).

3) S. Iustinus M.: « Christus prius extitit Filius Conditoris omnium, ac Deus qui genitus est homo per Virginem eidem nobiscum patiendi legi subiectus, et carnem habens » (*Contra Triph.*, PG 6, 709-712).

4) Hippolytus: « Verbum de coelis descendit in Sanctam Virginem Mariam, ut ex ea incarnatum factum omnia quaecumque est homo, excepto peccato, salvaret Adam qui perierat » (*Contra Noetum*);[3]

5) S. Irenaeus: « Recapitulatus in se Adam ipse (Dominus) Verbum existens ex Maria » (*Adv. Haer.*, 3, 21), « Filius Dei natus est ex Virgine » (*Ib.*, 3, 16).

6) Tertullianus in *Apologetico* (a. 197 conscripto) affirmat quod Filius Dei, in uterum Virginis descendens, factus est caro et natus est Deus homo

[1] Cfr Cerfaux, *Adonai et Kyrios*, in *Revue des Sciences Philos. et Théol.*, août 1931.

[2] Cfr *a*) Clement C. SS. R., *Le sens chrétien et la Maternité divine de Marie avant le conflit Nestorien*, in *Ephem. Theol. Lov.*, oct. 1928; *b*) Neubert, *Marie dans l'Eglise anténicéenne*, Paris, 1908, p. 121.

[3] Cfr alia testimonia in T. I.

(c. 21, PL 1, 399); in l. *de patientia* (c. a. 200) scribit: «nasci se Deus in utero patitur matris» (c. 3, col. 1252).

II. – **Saec. III**. Incipit usus termini *Theotocos* i. e. Deipara. Primus videtur fuisse:

1) ORIGENES († 254), circa medium saec. III. Refert enim Socrates (in *Hist. Eccl.*, VII, 32; PG 68, 812), Origenem, caput scholae alexandrinae, in Comm. in Epistolam ad Romanos fuse rationem exposuisse cur B. Virgo *Theotocos* appellatur. Attamen, in versione latina huius Commentarii quae adhuc remanet, nullum vestigium invenitur huius explicationis circa vocem *Theotocos*. Hoc non obtsante, testimonium Socratis suum valorem non amittit; facile enim concedi potest Origenem qui theoriam communicationis idiomatum practice admisit et etiam proposuit, demonstrasse quomodo B. Virgo *Theotocos* dici posset. Forsan testimonium Origenianum de quo agitur amissum est, aut a translatore Commentarii omissum fuit; forsan etiam Socrates circa *titulum* operis erravit. In aliis operibus Origenis B. Virgo appellatur *Mater Domini*, Mater Salvatoris; dicitur in utero gestasse stirpem Dei, Filium Dei, et parturisse Emmanuelem prout virginem puram et sine labe decebat (*In Luc.*, hom. 7 et 8).

2) PIERIUS, discipulus Origenis, sermonem composuit (iuxta Philippum Sidonium) *περὶ τῆς θεοτόκος* (Cfr *Texte und Unters.*, 5, 2, pp. 171 ss.): quod confirmat id quod de Origene diximus.

3) In celeberrima prece « Sub tuum praesidium » (saec. II-III) B. Virgo THEOTOCOS nuncupatur. [1]

4) S. FELIX Papa († 274) in fragmento Epistolae ad Episcopum alexandrinum ubi fidem catholicam circa Incarnationem exponit, affirmat Filium Dei aeternum, Verbum, D. N. I. C. de virgine natum fuisse. Fragmentum hoc conservatum fuit a S. Cyrillo Alex. qui illud in Conc. Ephesino laudavit (*Apologeticus contra Orientales*, PG 71, 244; Epistolae S. Felicis Papae, PL 5, 156).

5) In EPISTOLIS AD VIRGINES (saec. III) S. Clementi Papae falso tributis, auctor affirmat uterum beatissimae Virginis gestasse D. N. I. C., Filium Dei (Epist. 1, 6; apud Funk, *Patres Apostolici*, t. 2, p. 5).

6) In SYMBOLO FIDEI pertinente ad saec. II-III, implicite saltem divina maternitas affirmatur; dicitur enim Christus « natus ex Maria Virgine » vel « natus ex Virgine » vel « natus ex Spiritu Sancto et Maria Virgine ». (Cfr HAHN, *Bibliothek der Symbole*, 3. ed., pp. 22 sq.).

7) ALEXANDRIAE, in Aegypto, exstabat Ecclesia ab Episcopo Théonas extructa (282-300) et *Matri Dei* dicata. Ecclesia ista aegyptiace vocata « Tamaonta » (= Ecclesia Matris Dei), est prima Ecclesia quae cognoscitur *Deiparae* dedicata. Quidam (e. g. Clément, l. c. p. 607) dubitant utrum inde ab initio Ecclesia haec

[1] Cfr *La più antica preghiera alla Madre di Dio*, in *Marianum*, 3 (1941) 97-101.

B. Virgini dedicata fuerit. At immerito dubitatur; etenim *a*) certe saec. v, ut animadvertit Leclercq (*Dict. d'Archéol. chrét.*, 1, col. 1110) Ecclesia haec vocabatur « Tamaonta ». — *b*) Insuper in op. « Acta sincera » S. Petri Alexandrini († 311) auctoris incogniti saec. v, legimus S. Petrum Alexandrinum sepultum fuisse in Ecclesia *Matris Dei* ab ipsomet aedificata. Ex hoc patet quod Alexandriae inde a saec. III exstabat Ecclesia *Deiparae* dicata; et forsan erat eadem Ecclesia a Theonas incepta et a S. Petro completa. Ecclesia illa ab Alexandro (373-380), tertio successore Theonae, postea fuit ampliata. (Cfr Bour, *En Kapitel aus der Geschichte der altchristl. Marienverehrung: Marienheiligtümer in der Griechischen Kirche vor dem Konzil v. Ephesus, Sechster Internationaler Marianischer Kongress in Trier*, 1912, 1, Die deutschen Referate (pp. 94-97). [1]

III. – **Saec. IV.** Inde ab initio, usus appellativi *Theotocos* fit in dies frequentior et communiter adhibetur, et quidem explicatione aut iustificatione adiecta: quod demonstrat etiam saeculo praecedenti adhibitum fuisse.

1) S. Petrus Alexandrinus († 311) in quodam fragmento syriaco a Pitra edito (*Analecta sacra*, t. 4, p. 426, fragm. D) asserit quod ortus Emmanuelis, Virginem reddidit Matrem Dei.

2) Eustathius Antiochenus bis utitur voce *Theotocos* (*Analecta* ... t. 4, p. 210; Cavallera, Paris, 1905, p. 18).

3) S. Alexander Ep. Alexandrinus († 328) in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, scribit: « Post hoc novimus resurrectionem mortuorum, cuius primitiae fuit Dominus noster Iesus Christus qui carnem revera gestavit, neque sola specie sumptam ex Maria *Deipara* (ex Theotocon) (1, 12, PG 18, 568).

4) Eusebius Caesar. († 340) B. Virginem saepe appellat *Theotocos* (*Vita Constantini*, 42, PG 20, 1104).

5) Constantinus Imperator († 337) in Oratione « ad Sanctorum caetum » B. Virginem appellat « *puellam* Deiparam » (PG 20, 1265).

6) Iulianus Apostata († 363), teste Cyrillo, christianis exprobrabat quod numquam ab ipsorum ore recederet nomen Deiparae: « Vos Mariam Deiparam vocare non cessatis » (*Contra Iul.*, l. VIII, PG 76, 924).

7) S. Athanasius († 373) principium theologicum indigitat ad appellationem *Theotocos* iustificandam: quia actiones propriae corporis, Verbo tribui debent, et quia Corpus Verbi ex Virgine *Dei genitrice* (Theotocos) *Maria* factum est (*Contra Arianos*, orat. 3, 29, 33, PG 26, 349, 385, 393).

[1] Epistola S. Dionysii Alexandrini († 265) ad Paulum de Samosata, in qua continetur phrasis « Dei genitrix Maria » non est S. Dionysii (Inter apocrypha S. Athanasii, PG 28, 1564).

8) S. Hilarius († 367) B. Virginem appellat *Matrem Domini secundum carnem* (*In Ps.* 131, 8 PL 9, 733), *Matrem Iesu* (*Comment. in Matth.* 1, 3, col. 922); et naturam maternitatis ita exponit: « Quae officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu et partu hominis executa est » (*De Trin.*, 10, 17, PL 10, 356); et alibi: « ex virginali ventre manens antea Deus nascitur » (*In Ps.* 126, 16, PL 9, 700).

9) S. Ephraem († 373): « Virgo Dei Genitrix Maria, Regina omnium, spes desperantium » (Serm. *De SS. Dei Genitr. V. Mariae laudibus*); « Adesto mihi nunc et semper, o Virgo Dei Genitrix, mater misericordiae benigna et clemens » (Orat. ad SS. Dei Genitr.).[1]

10) S. Basilius (330-379) B. Virginem vocat *Theotocon* (Hom. 25, *De humana et c. gen.*). Et alibi: « Si Paulus *vas electionis* cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit, illudque ubique terrarum evulgaverit, quale vas erit *Dei Mater*? » (Sermo. 39, *In Deip. Annunt.* n. 6, PG 85, 447).

11) S. Cyrillus Hieros. († 386) utitur appellatione *Virgo Dei Genitrix* (Theotocos) in catech., 10, 19, PG 33, 685, et asserit quod ipsemet Filius Dei ex Virgine Maria natus est (Cat. 12, 4, col. 72).

12) S. Gregorius Naz. († 390): « Si quis sanctam Mariam Deiparam (Theotocos) non credit, extra divinitatem est » (Ep. 101 directa a. 382 ad Cledonium Presbyt., contra Apollinarem, PG 37, 177). Asserit anathemate dignum esse illum qui poneret in Christo duos filios, unum Dei Patris et alium Mariae (col. 180).

13) S. Zeno Veronensis († 390) affirmat quod Dei Filius, integram servans naturam suam divinam, recipit ex Maria, operante Spiritu Sancto, corpus humanum, et ideo Mariae nomen Matris et Christo nomen Filii tribuit (Tractatus, l. II, 8, 2, PL 11, 413).

14) Didymus Alex. († 398) utitur appellatione *Theotocos* (*De Trinit.* 1, 31; II, 4; III, 4, PG 39, 422, 481, 484).

15) S. Ambrosius († 397) pluries in l. *De Virginibus* (11, 1, 10, 13, t. 16, col. 209 ss.) utitur appellatione *Mater Dei.*

16) S. Epiphanius (§ 403) in op. *Ancoratus* a. 374 conscripto, utitur appellatione *Theotocos* (c. 75, PG 43, 157).

17) Plura monumenta, durante hoc saeculo, extructa fuerunt et *Dei Matri* dicata. *a*) Stele graeco-aegyptiaca saec. IV, titulum *Theotocos* gerebat (*Corpus Inscript. Graec.*, IV, n. 9129; C. M. Kaufmann, *Handbuch der Altchrist. Epigraphik*, Freiburg i. B., 1917, p. 224). *b*) *Romae*, sub ruinis S. Mariae Liberatricis in foro Romano, adinventa est a. 1900 pervetusta Ecclesia S. Mariae Antiquae cum inscriptione: « Sanctae *Dei Genitrici*, semperque Virgini Mariae », quam

[1] Testimonia haec dubia sunt. Cfr alia testimonia in vol. *Introductio in Mariologiam.*

Grisar putat aedificatam sub initium saec. IV (*Geschichte Roms u. der Päpste im Mittelalter*, Freiburg, 1901, 1, pp. 195, 202). [1]

IV. – **Saec. V.** Usus appellationis *Theotocos*, etiam ante Conc. Ephesinum (431) frequentissimus imo communissimus fit, prout constat ex testimonio scriptorum ecclesiasticorum et ipsorum haereticorum.

1) ANTIOCHUS EPISC. PTOLEM. († 408) utitur voce *Theotocos* (cfr S. Cyrillum Alex. *De recta fide ad reginas*, 10, PG 76, 1213 C.; simul cum Antiocho S. Cyrillus appellat ad THEOPHILUM, ad ATTICUM, ad GREGORIUM CONSTANTINOPOL., ad AMMONEM, Ep. Adrianopol. etc.).

2) S. HIERONYMUS B. Virgini tribuit titulum *Matris Filii Dei* (*De perpetua virg. B. M. V.*, 2; PL 23, 185 A).

3) S. AUGUSTINUS († 430) saepe B. Virginem matrem Creatoris appellat (Serm. 186, 1; 187, 4; col 999, 1003); matrem Filii Altissimi (Serm., 51, 18, col. 343). Exponens vero quomodo Iesus natus est e Spiritu Sancto et ex Maria Virgine, explicite docet naturam humanam Verbo unitam fuisse in sinu Virginis ita ut cum ipso unam tantummodo personam constituat (*De Trinitate*, l. 15, 46, PL 42, 1093 sq.). Dicit insuper quod B. Virgo *genuit Deum et hominem*, dum Elisabeth *hominem* tantummodo (Serm. 289, 2, PL 38, 1308).

4) IOANNES ANTIOCHENUS, amicus Nestorii, ad ipsum scribebat: « Hoc enim (titulus *Theotocos*) nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres; et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt » (Ep. *ad Nestorium*, PG 77, 1455).

5) ALEXANDER HIERAPOLITANUS, *alter Nestorius* appellatus, S. Cyrilli acerrimus hostis, fatetur et ipse nomen *Theotocos* iam diu apud fideles in usu fuisse (D'ALÈS, *Le Symbole d'union de l'année 433 et la première école nestorienne*, in *Recherches de Science religieuse*, juin 1931).

6) THEODORETUS idem testatur: « Antiquissimos catholicae fidei praecones, ex apostolica traditione docuisse matrem Domini memorandam colendamque esse ut Dei genitricem » (*De Haer.*, L. 4, c. 12).

7) S. NILUS AB. († 430) asserit quod B. Virgo ab *omnibus* fidelibus proclamatur ob Matris Dei (Theotocos) dignitatem, quemadmodum ipsamet in Cantico *Magnificat* prophetaverat (Epist. 180, PG 79, 294).

8) S. CYRILLUS ALEX. qui in Concilio Ephesino Maternitatem divinam contra Nestorium strenue defendit, his verbis ad veterem traditionem appellat: « Quod igitur vox *Deipara* etiam familiaris fuerit sanctis Patribus, qui ante nos fuerunt et qui ob rectam fidem admirabiles sunt, etiam in posterum apud om-

[1] Rushforth tamen (cfr *Papers of the British School at Rome*, t. 1, Londres, 1902, 4, 109) cui adhaesit Delehaye (*Anal. Boll.*, 30, 1911, p. 467) tenet Ecclesiam illam non esse anteriorem anno 550.

nem, ut ita dicam, regionem quae sub caelo est, operae pretium esse arbitror ut verum ostendam ...» (*Liber ad Reginas, De recta in D. N. I. C. fide*, PG 76, 1218). Affirmat insuper quod nullus orthodoxus renuit appellare B. Virginem *Deiparam* eo quia Emmanuel est vere Deus (Epist. 14, t. 77, col. 97, Apolog. pro 12 cap., anath. 1, PG 76, 320).

Nil mirum ergo si, cum Anastasius, Nestorii Presbyter, Constantinopoli primum in publica concione titulum Matris Dei impugnavit, ingens populi commotio exorta fuerit.

Iure ergo Concilium Ephesinum (a. 431) contra omnes errantes et praesertim contra Nestorium solemniter definivit B. Virginem esse vere proprieque Dei Genitricem seu Theotocon; et iure Ephesina plebs, « cum latum a conciliaribus Patribus iudicium intellexisset, effusa animorum laetitia eosdem conclamaret, atque ardentibus instructa facibus confertoque agmine domum usque comitaretur » (Encycl. Pii XI, « Lux veritatis »).

III. **Ratio theologica**. Illa est vere proprieque Dei Mater quae concipit et parit, secundum humanam naturam, personam quae est Deus; atqui B. Virgo concepit et peperit, secundum humanam naturam, personam quae est Deus. Ergo ...

Ad Min. Generatio enim terminatur non ad naturam sed ad personam quae in natura genita subsistit; sic e. g. mater Pauli, licet corpus illius tantummodo generet, merito tamen dicitur genuisse Paulum seu personam Pauli, sicut animadvertebat S. Cyrillus Alex. « Licet illae terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram tamen partem, sed totum, quod ex anima et corpore conflatur, parere dicuntur » (Ep. 1, PG 77, 22). Qui igitur confitetur humanam naturam assumptam fuisse a Filio Dei inde a primo conceptionis instanti in unitatem personae, necesse est ut dicat quod B. Virgo concepit Deum (i. e. personam divinam secundum humanam naturam) et ideo sit vere proprieque Mater Dei.

Attamen, B. Virgo dici non potest Mater Deitatis, eo quia maternitas et filiatio respiciunt *suppositum*, et suppositum exprimitur per nomen concretum (Deus) non vero per nomen abstractum (Deitas). Ex dogmate Maternitatis divinae *multiplex convenientia* resultat sive *ex parte Dei*, sive *ex parte nostra*.

I. **Ex parte Dei convenientia** huius dogmatis ex hoc apparet quod in maternitate divina praecipua attributa Dei i. e. Iustitia, Sapientia, Potentia et Bonitas mirabiliter manifestata relucent.

a) Resplendet Iustitia: etenim, generis humani reparatio, opus strictae iustitiae — iuxta aeternum Dei consilium — esse debebat. Ad hoc autem requirebatur satisfactio valoris infiniti, quae a sola persona divina, in aliqua natura creata et ei hypostatice unita, praestari poterat. At, quaenam natura creata assumi debebat a Verbo? ... Non natura angelica, sed *humana*, et quidem, non

quaecumque sed *nostra* i. e. ex *stirpe Adae*, qualis reapse fuit humana natura in sinu Virginis Matris accepta. Quare? « Quia hoc videtur ad iustitiam pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit; et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id per quod satisfactio erat implenda pro tota natura » (S. Th., P. 3, q. 4, a. 6). Vere hoc modo Deus, per Verbum in Virgine carnem factum, « damnavit peccatum in carne » (Rom. 8, 3), seu in *nostra* carne, in omni carne quae peccaverat. (Cfr pulcherrima verba S. Ambrosii, *de Incarn.* n. 54 ss., PL 16, 852).

Si ergo ratio strictae iustitiae servata est per Verbi incarnationem in Virgine, in maternitate divina iustitiae ratio mirabili modo resplendet. — Insuper, iuste omnino, Deus genus humanum in illa erigere coepit in qua nostra miseria originem duxerat seu in muliere.

b) Resplendet SAPIENTIA, quae in electione mediorum ad finem aliquem assequendum maxime splendet. *a*) Iamvero, eodem medio quo usus est diabolus ad hominem superandum (i. e. muliere, Eva), usus est Deus ad diabolum debellandum. *b*) Quemadmodum insuper, uterque sexus nostram ruinam operatus erat, ita etiam uterque — iuxta sapientissimum Dei consilium — ad nostram salutem concurrere debebat. — *c*) Tandem, per divinam maternitatem, — prout animadvertit S. Anselmus in op. *Cur Deus homo*, l. II, c. 8, PL 158, 406 — sapientissime omnis diversitas humanae generationis completur: primus enim homo ex limo terrae productus est absque viro et femina; Eva autem formata fuit de viro sine femina; Adae vero progenies ex viro et femina formatur; ideoque hoc proprium Christo relinquebatur, ut nasceretur de femina sine viro.

Insuper, cum dogma Incarnationis sit totius christianae religionis *fundamentum*, ad Dei sapientiam pertinebat ut mysterium illud tali modo perageretur quo omnes tum haereticorum tum incredulorum perversae huius dogmatis explicationes excluderentur: quod mirabiliter factum est per nativitatem *ex muliere*. Etenim, prout scribit S. Augustinus: « Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur? Et dum omnia mirabiliter faceret, aufert quod misericorditer fecit. Nunc vero ille inter hominem et Deum mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, solita sublimaret insolitis et insolita temperaret solitis » (*Ad Volusian.*, PL 33, 519).

c) Resplendet POTENTIA vel fortitudo quae maxime manifestatur in mirabilibus patrandis. Iamvero, quid divina maternitate mirabilius?... Quod femina conciperet et pareret Deum, est et fuit miraculorum miraculum. Ille enim qui dedit omnibus esse, vitam a creatura accipit; ille a quo omnia pendent, a creatura pendet; ex creatura enim creator natus est, ex vase figulus productus est, ex luna sol ortus est, ex pura filia Adae, Domini Mater effecta est, ex ancilla, angelorum regina constituta est. Vere igitur Deus, per vile instrumentum, mira-

bilia operatus est: « Fecit potentiam in brachio suo! ... ». Iure ergo pius quidam Auctor miraculum hoc omnibus miraculis Veteris Testamenti comparans, inquit: sileant omnia haec signa, quia licet magna, maior tamen absque ulla controversia est quod femina generet Deum.

d) Resplendet BONITAS, eo quod mulierem, quae prima peccaverat, non solum Deus non despexit, prout meruerat, sed illam, per divinam maternitatem cuidam *mulieri*, i. e. Virgini, collatam, ad supremum gloriae fastigium per suam bonitatem, elevavit. Hinc iure S. Augustinus aiebat: « nolite vos ipsas contemnere, feminae: Filius Dei natus ex femina est » (L. *de Agone christiano*, PL 40, 297). Magnitudo Matris Dei in totum femineum sexum redundat.

II. **Convenientia ex parte Christi**: Christus enim in hunc mundum venit 1) ut nos ad ipsum amandum veluti compelleret; 2) ut nobis omnium virtutum, praesertim humilitatis et obedientiae exemplum praeberet, et nos sanaret; iamvero haec duo per incarnationem ex muliere optime consecutus est. Etenim: *a*) Quis ad Deum, sub amabili forma infantis, vere fratrem nostrum factum, accedere renuet? Unde cum S. Bernardo quisque exclamare potest: « Parvus Dominus et *amabilis* nimis ». Sub illa forma vere hominum corda rapit. — *b*) Virgini subiacendo, praeclara nobis praebuit humilitatis et obedientiae exempla; imo exempla dedit virtutum omnibus aetatibus accommodata, pueris, adolescentibus, viris, et ita omnem veluti aetatem et quoad omnia a nobis suscepta divinus medicus, veluti sanavit. (Cfr TERRIEN, o. c., 1, pp. 64-68).

III. **Convenientia ex parte nostra**. Congruum fuit Deum ex femina incarnari, ad hoc ut *persona creata* (i. e. persona B. Virginis) esset coniuncta Deo quantum esse potest *ratione personae*, dum in ipsamet Incarnatione *natura creata* (i. e. natura humana Christi) est coniuncta Deo quantum esse potest *ratione naturae*. « La *personne* humaine — scribit Nicolas[1] — est exalté dans la Sainte Vierge à un degré qui n'est égal à celui auquel la nature humaine est exaltée en Jésus-Christ mais qui, à part cette égalité, en est aussi rapproché que possible, et semble y confiner, comme dit saint Thomas: *Attingit fines Divinitatis* ».[2]

OBICITUR: I. Divinitas non est sumpta ex B. Virgine. Ergo B. Virgo non est dicenda Mater Dei.

RESPONDETUR: Ad hoc ut mulier sit et dicatur mater alicuius, non est necesse ut ei conferat *totum* id quod in ipso invenitur, sed sufficit quod ex ea assumatur *corpus*; et hoc patet omnino in homine, cuius *anima* non est ex matre, et tamen est et dicitur hominis mater; si quis hoc negat, *nimis superflue loquitur* (S. Cyrillus). In Christo autem corpus est assumptum ex Virgine. Ergo ...

[1] O. c., l. 1, c. 7.

[2] Verba ista non sunt S. Thomae, sed Card, *Caietani*, Comm. S. Th., 22, 103, 4 in corp.

II. In S. Scriptura numquam invenitur Christus Mariam vocitasse *Matrem*, sed *mulierem*, et apparet illam *frigide* tractasse; quin immo, hoc potius negare visus est quando dixit: « Quae est mater mea? » (Matth., 12 48), et « Quid mihi et tibi est, mulier? » (Io., 2, 4). Tandem, in Evangeliis B. Virgo *negligi* videtur.

Respondetur: 1) Ex eo quod non *legatur* in S. Scriptura Christus Mariam vocitasse *Matrem*, non sequitur illam numquam tali dulci nomine appellasse: non omnia, enim, quae gesta sunt, in S. Scriptura referuntur. 2) Dato etiam et non concesso quod numquam Christus illam appellaverit Matrem, tamen *ut Matrem* illam semper habuit: fuit enim illi subditus (Luc., 2, 51), et in cruce moriens illam Ioanni commendavit (Io., 19, 27). 3) Ipsamet B. Virgo Christum *filium* suum habuit et appellavit: « Fili, quid fecisti nobis sic? » (Luc., 2, 48). 4) Turbae Mariam ut *Matrem* Christi constanter agnoscebant; e. g. « Dicit ei quidam: Ecce *Mater* tua et fratres tui foris stant quaerentes te » (Matth., 12,47). Et mulier de turba: « Beatus venter qui te portavit! ... » (Luc., 11, 27). Iamvero, si Christus verus Mariae filius non fuisset, utpote veritatis magister, errorem turbae corrigere debuisset; quod nullatenus fecit; sed, dum appellativum tacite agnoscit, materialem Iudaeorum intellectum ad superiora erigit, beatitudinem in interna spiritus sanctitate potius quam in carnali cum Christo cognatione collocando; B. Virginem, insuper, a cultu immaturo et mere humano tueri voluit. 5) Quod Christus *publice* B. Virginem *Matrem* suam non appellavit, *fini suae missionis* apprime congruit, qui in suae divinitatis manifestatione consistebat; cum igitur ab hominibus tamquam Mariae Filius iam ultro agnosceretur, in sua aeternali a Patre origine, potius quam in sua temporali origine a Matre, ipsi insistendum erat. 6) Nomen « mulier » quo illam publice appellavit, non despectum sed singularem respectum significat.

Circa verba: « Quid mihi et tibi, mulier » (Io., 2, 4), plures propositae fuerunt interpretationes.[1] En praecipuae:

a) Verba illa: « τί ἐμοὶ καὶ σοί » significarent: « quid ad nos? » (pertinet). Ita Fouard (*Vie de N. S.*, 1, 169); Lagrange (*Ev. selon St. Jean*, h. l.), Brinkmann qui scribit: « Supponamus loco « τί ἐμοὶ καὶ σοί » scriptum esse « τί ἡμῖν ». Nonne verteremus ex analogia cum formula « τί πρὸς ἡμᾶς » et similibus: quid ad nos? », i. e. « Quid hoc pertinet ad nos, quod illi sponsi vinum non habent? Non nostrum est curare vinum, sed eorum ». Ita verba Christi optime corresponderent verbis B. Virginis » (l. c., p. 137).

[1] De significatione horum verborum scripserunt: Fonk L., *I miracoli del Signore nel Vangelo*, Roma, 1914, p. 171 sq.; Gachter, in *Zeitschr. f. Kath. Theol.*, 55 (1931) 351-402; Rösch O. Cap., in *Past. bon.* 42 (1931) 388-390; Theod. Briemle, O. F. M., ibid., pp. 455-57; Licht, ibid., pp. 457 sq; Brinkmann B., S. I., *in Verbum Domini*, 14 (1934) 135-141; Power E., S. I., ibid., 2 (1922) 129-135; Anzalone V., O. M. I., ibid., 9 (1929), 364-368; Iacono V., ibid. 18 (1938) 202-207.

b) Alii verba illa ita interpretantur: « Sine modo me facere », « nulla dissentio est inter nos ». Ita Seisenberger (in *Zeitschr. f. Kath. Theol.*, 5, 1881, 339) et E. Zolli (in *Marianum* 3 [1946] 3-15).

c) Alii tandem verba illa sic simpliciter vertunt: « quid habeo ego, quid tu? *Vel* quid habemus? ». Ita Iacono (l. c., p. 203). « Iesus non omnem facultatem providendi sibi abiudicat, sed tantum illam quae eo instanti ipsi deerat, quia « *nondum venerat hora eius* ».

Quidquid sit de variis istis interpretationibus, haec nobis tenenda videntur: verbis illis « *quid mihi et tibi mulier* », prout ex variis locis parallelis apparet, [1] semper *repugnantia* aliqua subesse videtur. Haec autem repugnantia, in casu nostro, non iam ex *persona* sed *ex difficultate rei concedendae* oritur, eo quod nondum venerat hora, arbitrio Patris praefinita, in qua initium signorum fieri debebat. Et sane, tempus praedicationis expectaretur, potius quam tempus convivii pro initio signorum. Attamen, quia postulatio matris interposita erat, tale tempus signorum acceleratum fuit. Quapropter verba illa: « quid mihi et tibi ... » potius significare videntur: « Quid vis a me, o mulier? ». Et ideo nullam irreverentiam erga matrem evidenter continent, sed potius maximam reverentiam ostendunt. Etiam verbum mulier « γύναι » (italice, plus minusve, *signora*) est modus valde honorificus alloquendi mulierem, etiam matrem.

7) Relate, tandem, ad silentium Evangelistarum qui B. Virginem negligere videntur, conferantur ea quae de hoc argumento conscripsimus in vol. I, appendice I.

Art. 2 – De maternitate divina considerata sub respectu physico

Praenotanda:

I. **Physicus respectus** maternitatis divinae nihil aliud est nisi concursus maternus ipsius Virginis, quatenus per virtutem Spiritus Sancti ad Personam Verbi, in natura humana subsistentem, terminatur.

II. **De triplici concursu materno physico.** Triplex distingui potest maternus concursus, videlicet:

a) Concursus *antecedens* qui duobus perficitur: 1) maturatione ovuli fecundationi apti, ope activitatis vitalis feminae; 2) excitatione uteri ad hoc ut ovulum in locum fecundationi aptum descendat.

b) Concursus *concomitans* qui habetur cum, ovulo per virile semen iam fecundato, a matre, tempore gestationis, proprio sanguine nutritur.

[1] Iud., 11, 12; 2 Sam., 16, 10; 2 Sam., 19, 23; 1 Reg., 17, 18; 2 Reg., 3, 13; 2 Paral., 35, 21; Mt., 8, 29; Mc., 1, 14; Lc., 4, 34.

c) Concursus *consequens* generationem et evolutionem foeti, qui comprehendit partum, lactationem etc. [1]

Triplex iste concursus, procul dubio, etiam a Virgine benedicta, sicut a qualibet vera matre, praestitus fuit. At, hic agimus praesertim de concursu materno *antecedente*, seu de subministratione materiae generationi aptae.

III. **De supernaturali elevatione concursus materni B. M. Virginis.** Ad hoc autem ut B. Virgo dici possit mater Dei *ab intrinseco*, non sufficit quod B. Virgo materiam ministraret Incarnationi (i. e. ovulum fecundationi aptum), sed necessaria omnino fuit supernaturalis elevatio concursus materni eiusdem, seu virtutis eius generativae. Naturalis enim virtus generativa Virginis, — sicut et cuiuslibet feminae — nonnisi ad humanum suppositum producendum ex se ordinari potuisset, non vero ad suppositum divinum. [2]

Generare Deum omnem vim cuiuscumque creaturae evidenter excedit. Necessaria igitur fuit in B. Virgine supernaturalis elevatio concursus eius materni ad hoc ut terminaretur ad suppositum divinum, subsistentem in natura humana, a quo supposito concursus eius specificaretur. [3] Haec autem elevatio fuit remota et proxima: *a*) *remota*, vi indefectibilis praedestinationis Virginis benedictae ad maternitatem divinam, a quo munere ipsa Virginis existentia dependet. Poten-

[1] A concursu physico seiungi nequit concursus *psycologicus* seu moralis, de quo fuse agit P. M. I. Nicolas in art. *Le concept intégral de la Maternité divine*, in *Rev. Thom.*, 42 (1937), 71-83.

B. Virgo enim *modo humano* facta est Mater Dei, id est, *sciens* et *volens*, prout ex narratione Annuntiationis evidenter apparet: proponitur enim ei maternitas divina et eius consensus ab Angelo exquiritur. Ceterum, in qualibet generatione humana, non solum corpus sed etiam anima, per intellectum et voluntatem agit. Hoc autem perfectissime in B. Virgine contingere debuit. Ipsa enim, iuxta illud Augustini, « concepit prius mente quam ventre » (Sermo 215, « in redditione symboli », PL 38, 1074). « B. Maria concepit, non concupiscentia carnis urente, sed fidei caritate fervente » (Ibid.).

[2] Si praescindatur ab hac *elevatione* et dicatur quod virtus generativa Virginis nonnisi ad personam humanam producendam ordinata fuit, sed antequam persona humana haberetur, subintravit, loco eius, persona divina, tunc B. Virgo nonnisi *ab extrinseco*, non vero *ab intrinseco* et per se mater Dei fuisset; maternitas enim divina in aliquo accidentali reponi deberet: quod non sufficienter maternitatem divinam explicare videtur. Ceterum omnes matres tales denominari debent per tendentiam *teleologicam* seu intrinsecam essentialem propriae virtutis generativae in suppositum generandum.

[3] Supernaturalis ista elevatio omnino distincta esse debuit ab illa supernaturali elevatione quae per *gratiam habitualem* habetur, duplici de causa: *a*) quia elevatio per gratiam est elevatio *ad operandum* circa divinitatem (per visionem intuitivam), dum elevatio ad maternitatem divinam est elevatio *ad essendum* circa divinitatem; *b*) elevatio per gratiam habitualem est potissimum elevatio *partis* seu potentiae *intellectivae*, dum elevatio per maternitatem divinam est elevatio potissimum partis seu potentiae generativae; *c*) absolutae loquendo, dari posset maternitas divina absque elevatione per gratiam habitualem; dum e contra dari nequit maternitas divina absque elevatione virtutis generativae femineae.

tia igitur eius generativa, vi praedestinationis, ab aeterno fuit supernaturaliter *elevata*, seu indefectibiliter a Deo ordinata ad suppositum divinum in humana natura subsistentem; *b*) *proxima* vero, per actuationem eiusdem potentiae generativae ex Spiritus Sancti virtute procedentem, quae quidem, *in casu Incarnationis*, nonnisi ad Deum generandum ordinari poterat. [1] Quod sat clare apparet ex verbis Angeli: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, *ideoque* quod nascetur ex te sanctum *vocabitur Filius Dei* » (Luc., 1, 35).

Universus igitur concursus B. Virginis in conceptione Verbi, et vi praedestinationis eius in Matrem Dei, et vi actuationis a Spiritu Sancto receptae, ad suppositum divinum intrinsece tendit et ab ipso specificatur, ita ut mater Dei per se et ab intrinseco dici possit.

Dum igitur in aliis matribus *a*) virtus naturalis generativa intrinsece tendit ad suppositum humanum, et *b*) excitatur a principio activo naturali ad hoc ut evolvatur et ad finem proprium pertingat; in B. Virgine, e contra, *a*) virtus eius generativa ex se tendebat, vi indefectibilis praedestinationis, ad suppositum divinum, et *b*) ideo a principio activo supernaturali seu a Spiritu Sancto fuit in actum reducta. Duplici ergo de causa concursus maternus Virginis tendere ex se non poterat ad suppositum humanum sed ad suppositum divinum tendere debebat, nimirum, vi aeternae praedestinationis et vi actuationis virtutis eius generativae a Spiritu Sancto. [2]

Hisce breviter praemissis, quaeritur hic quomodo conceptio Christi peracta sit: 1) quantum ad eius principium sive activum sive passivum; 2) quantum ad modum et ordinem.

1. De conceptione Christi quantum ad principium sive activum sive passivum. [3]

Praenotanda: I. **De duplicis conceptionis principio.**

Si B. Virgo vere fuit mater Christi, ut iam probavimus, id omne in Christi conceptione praestare debuit quod ceterae matres, salva eius integerrima virginitate, in conceptione propriorum filiorum praestant; « nec plus habent alii

[1] Dico: *in casu Incarnationis*, quia absolute loquendo, in conceptione aliqua miraculosa puri hominis, potuisset Spiritus S. supplere vices principii activi.

[2] Cfr Saavedra, *De Sacra Deipara Vestigatio*, 1, disp. 4, sect. 1 (Lugduni, 1655), pp. 33-40. Notatu digna sunt verba cl. Bittremieux: « Est itaque specialissimum quid in maternitate divina, quo toto caelo a maternitate humana distat, quod dum haec ad naturam humanam cum esse humano tendat, illa terminatur ad naturam humanam cum esse divino. Terminatur ergo maternitas divina aliquo sensu ad esse divinum, non tamen ut esse (suppositi aeterni) simpliciter per eam incipiat, sed ad esse divinum, prout incipiens subsistere in tempore in natura humana » (*De notione div. matern.*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 1924, p. 77).

[3] Cfr Breitung A., S. I., *De conceptione Christi Domini inquisitio physiol.-theol.*, in *Gregorianum*, 5 (1924) 391-531.

filii a matribus, quam Christus a Virgine » (SUAREZ, *De Incarn.*, t. 3, disp. 12, sect. 2, n. 15).

In conceptione autem humana communi, praeter efficientiam divinam, quae animam rationalem creat, duo principia distinguenda sunt, *passivum* scilicet et *activum*: *a*) *passivum* est illud quod subministrat materiam, et se tenet ex parte matris et consistit in ovulo, cuius pars essentialis est vesicula germinativa, seu in sanguine per virtutem generativam matris ad ovariam formationem perducto; *b*) *activum* est semen virile quod, ope spermatozoon, transmutat, fecundat et determinat materiam quam praebet mater, et se tenet ex parte patris.

II. **Errores**: 1) Erraverunt circa *principium activum* conceptionis Christi Cerinthus, Carpocrates, Ebionitae, quos saecuti sunt Anabaptistae, Sociniani et Rationalistae, qui perfidissime dixerunt Mariam, ceterarum feminarum more, ex Ioseph Christum concepisse. 2) Erraverunt circa *principium passivum*: *a*) GALATINUS (*De arcanis catholicae veritatis*, l. VII) aliique veteres qui posuerunt corpus Christi factum fuisse ex quadam particula corporis Adae determinate signata, quam ponebant a concupiscentia immunem et de una in aliam generationem usque ad Virginem transmissam; *b*) quidam veteres qui — ut refert Caietanus — dixerunt ad divinam Maternitatem sufficere quod B. Virgo aut mente aut corde aut pectore Christum conciperet; *c*) Veteres Theologi, iuxta placita physiologiae veteris, putabant matrem tantummodo in conceptione praebere materiam et quidem sanguinem scilicet in utero collectum, non vero ovulum.

Prop.: *In conceptione Christi* 1) *Spiritus S. se habuit ut principium activum, supernaturaliter supplens vim activam seu virtutem seminis virilis*; 2) *B. Virgo vero se habuit ut principium passivum, materiam tantummodo ministrando*, i. e. *sanguinem suum purissimum ad ovariam formationem perductum.*

Prob. I. Pars: *A*) **Auctoritate**. I. S. SCRIPTURAE: *a*) Virgini quaerenti: « Quomodo fiet istud (i. e. conceptio et partus Messiae) quoniam *virum* non cognosco », Angelus respondit: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi » (Luc., 1, 35); *b*) et S. Ioseph angelus dixit: « Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est »; *c*) « Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto » (Matt., 1, 23).

II. PATRUM: *a*) S. IGNATIUS M.: « Dominus noster Iesus Christus in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei, ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto » (Ep. *ad Ephes.*, n. 18); *b*) Ps. HIERONYMUS: « Non sicut quidam sceleratissime opinatur, Spiritum Sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia ac *virtute* Creatoris dicimus esse operatum, id est, formatum Corpus Christi » (Auctor *Symb. explan. ad Damasum*, inter op. supp. S. Hier.); *c*) IOANNES DAMASCENUS: « In eam (Virginem) obumbravit ... Dei sapientia et virtus ... divini seminis instar » (*De fide orth.*, l. III, c. 2, PG 94, 1028).

III. Ecclesiae quae in symbolo Apostolico profitetur: « Credo ... et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum qui *conceptus est de Spiritu Sancto*, natus ex Maria Virgine » (Denz.-B., 6); et in symb. Nic-Const.: « Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et humanatus est » (Denz.-B., 86). Paulus IV, in Constitutione *Cum quorumdam* a. 1555, contra Socinianos, confirmata a Clemente VIII per Breve *Dominici gregis* a. 1603, errorem oppositum condemnavit.

B) **Ratione**: Duo enim in virili semine spectari possunt, videlicet: *vis activa*, quam in conceptione naturali exerit, et *corpulenta substantia*, quae in conceptione transmutatur. Prima, i. e. vis activa, supernaturali modo suppleta est superiori causalitate Spiritus Sancti; secunda vero, i. e. corpulenta substantia, in conceptione Christi defuit omnino, eo quia corpus Christi de sola Virgine Matre, quoad corpulentam substantiam, formatum est. Et sub hac ratione B. Virgo, respectu Iesu, magis mater dici debet quam ceterae omnes matres respectu filiorum, eo quia Christus, sub tali respectu, *totus* Matris erat.

« Manifestum est enim — scribit S. Thomas — cum virtus divina infinita sit, et per eam omnes causae virtutem producendi effectum sortiantur, quod quicumque effectus per quamcumque causam producitur, potest per Deum absque illius causae adminiculo produci eiusdem speciei et naturae. Sicut igitur virtus naturalis quae est in humano semine producit hominem verum, speciem et humanam naturam habentem, ita virtus divina, quae talem virtutem semini dedit, absque huiusmodi virtute potest effectus illius virtutis producere, constituendo verum hominem, speciem et naturam humanam habentem » (*C. G.*, IV, 45).

At hic quaeri potest: Cur conceptio corporis Christi, quantum ad principium activum, specialiter tribuitur Spiritui Sancto, cum sit opus ad extra et ideo totius Trinitatis?...

Respondetur: Utique, tota Trinitas conceptionem Christi operata est, eo quia sicut indivisa est Trinitatis essentia et virtus, ita indivisa sunt opera Trinitatis ad extra; imvero, Christi conceptio est opus ad extra, et ideo toti Trinitati commune. Hinc Concilium Toletanum XI docuit: « Incarnationem quoque huius Filii Dei *tota Trinitas operasse* credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati ». — Attamen, quamvis formatio corporis Christi sit opus commune toti Trinitati, merito Appropriatur Spiritui Sancto, et quidem ob triplicem rationem a S. Thoma propositam: 1) *ex parte causae ipsius Incarnationis*, quae fuit maximus Dei amor erga homines, iuxta illud: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret » (Io., 3, 16); et ideo congrue attribuitur Spiritui S. qui est amor Patris et Filii; 2) *ex parte naturae assumptae* i. e. humanae, eo quia hoc modo clare datur intelligi quod humana natura assumpta est a Filio Dei in unitatem personae, non ex aliquibus meritis, sed ex sola *gratia*, quae Spiritui Sancto attribuitur, iuxta illud: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus distribuens... » (1 Cor., 12, 4); 3) *ex parte termini*

Incarnationis: « ad hoc enim terminata est Incarnatio, ut homo ille qui concipiebatur, esset *Sanctus* et *Filius Dei*. Utrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filii Dei, iuxta illud Gal., 4, 6: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem*; *Abba, Pater*. Ipse est etiam spiritus sanctificationis, ut dicitur Rom. 1. Sicut ergo alii per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter ut sint filii Dei adoptivi, ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis. Unde Rom. 1, secundum unam Glossam, quod praemittitur, scilicet: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*, manifestatur per id quod immediate sequitur: *secundum spiritum sanctificationis*, id est, per hoc quod est conceptus de Spiritu Sancto: et Angelus annuncians ex hoc quod praemiserat: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, concludit: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* » (In 3, q. 32, a. 1).

Ulterius animadvertendum est quod, quamvis Christus conceptus dicatur de Spiritu Sancto, non propterea tamen est aut dici potest *Filius Spiritus Sancti* vel etiam *Trinitatis*. Etenim: id quod praedicatur de aliquo secundum perfectam rationem, nequit de illo dici secundum imperfectam rationem (sicut e. g. Socrates qui est homo sec. propriam rationem, non debet dici homo sec. illam significationem qua hominis pictura dicitur homo). Atqui Christus est Filius Dei naturalis secundum perfectam filiationis rationem (propter generationem aeternam et quidem in similitudinem speciei). Ergo nequit dici filius Spiritus S. aut totius Trinitatis, quia haec filiatio attenditur aut secundum creationem (in quantum homo creatus est ad imaginem Dei), aut sanctificationem (i. e. sec. similitudinem gratiae) quae aliud non est, nisi filiatio *adoptiva*, et ideo imperfecta, quae Christo nullo modo competere potest. Unde in Conc. Toletano XI sancitum est: « Nec Spiritus Sanctus pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit » (Mansi, *Sacr. Conc. Coll.*, t. 11, col. 135, Florent. 1765).

Prob. II. pars. *A*) **Auctoritate**: I. S. Scripturae: « Misit Deus filium suum factum ex muliere » (Gal., 4, 4): Christus ergo carnem de Maria, et quidem de Maria ut *matre* accepit, et ideo ex Maria id subministrante quod aliae matres propriis filiis subministrant.

II. Patrum, qui plus minusve id explicite asserunt: e. g. S. Cyrillus Alexandrinus (Ep. 17 *Ad Nestorium*); S. Leo M. (sermo 10 *De Nativ.*, 3); S. Fulgentius (*De Incarn.*, n. 4, 5); Ferrandus Diaconus (Ep. *Ad Anatol.*), S. Beda Ven. (*Ad Galat.*, 4, 4 et *In Lucam*, 4, c. 11); S. Bernardus (sermo 3 in *Missus est*, n. 4). Cfr haec testimonia apud Breitung, l. c., p. 558).

Cum Patres dicunt corpus Christi ex *purissimis sanguinibus* Virginis formatum fuisse, id intelligi potest *remote*, proxime vero ex carne seu ex sanguine ad ovariam formationem perducto.

III. Ecclesiae: *a*) Innocentius III, in professione fidei Waldensibus praescripta: « Homo verus ex Matre veram *carnem* habens ex *visceribus Matris* et animam rationabilem »; *b*) In Conc. VI (Constantinopoli a. 680 celebrato) in

Epistola S. Sophronii a Concilio approbata, explicite dicitur Verbum ex impollutis virginalibus sanguinibus incarnatum esse; et, postea, in « edicto Constantini », quo tunc doctrina Concilii promulgata est, inter alia haec habentur: « Confitemur deinde ... Unigenitum Filium Dei ... descendisse de caelis ... Et ex sancta et *immaculata carne eius* in propria existentia *carnem sumpsisse nobis consubstantialem et hanc sibi*, mediante anima rationali et intellectuali, *compaginasse* atque formasse, natum quoque ex eadem Virgine matre etc. ».

Ex verbis istis Concilii evidenter apparent haec duo: « ex impollutis et virginalibus *sanguinibus* » et « ex sancta et immaculata *carne* eius », significare unum idemque, i. e. materiam a B. Virgine subministratam; et ideo cum Patres de purissimis *sanguinibus* loquuntur, ovulum seu carnem a Virgine subministratam intelligere videntur.

B) **Ratione**: Posito enim quod B. Virgo sit vera mater, id praestare debuit quod aliae matres in conceptione filiorum praestant. Atqui, id quod aliae matres in conceptione filiorum praestant, iuxta accurate observatas naturae leges, est sanguis ad ovariam formationem perductus seu ovulum quod, post fecundationem, in utero fovetur et evolvitur. Ergo ...

Hinc: I. reicienda est sententia Galatini secundum quam corpus Christi efformatum esset ex quadam particula corporis Adae. Etenim: *a*) sententia ista est omnino gratuita et nullimode in fontibus revelationis fundata; *b*) solus Adam, in casu, non vero Abraham, David, etc. fuisset verus Christi progenitor; *c*) imo nec B. Virgo vera Christi Mater fuisset, eo quia corpus Christi ex eius substantia efformatum non fuisset.

II. Reicienda pariter est peregrina sententia cuiusdam Petri Lucensis, Canonici Regularis, qui, ut refert Serry (*Exercitationes*, Ex. 27, p. 182) falsa mulierculae cuiuspiam testificatione delusus, Christum finxit in corde Virginis, aut certe in parte cordi proxima conceptum; ratus hoc modo melius honori ac dignitati Christi consultum iri. Sententia haec sustineri non potest: *a*) quia est contraria verbis Scripturae dicentis: « inventa est in *utero* habens de Spiritu Sancto » (Matth., 1, 23); et ideo Ecclesia canit: « non horruisti Virginis uterum »; *b*) quia locus proprius conceptui aptus non est cor sed uterus; nec univoce B. Virgo dici posset Mater Dei si aliis organis Christum concepisset, sicut Adam, e. g., pater Evae dici nequit.

III. Reicienda tandem est sententia veterum Theologorum circa materiam conceptus a matre praestitam. Sententia haec, praeter oppositionem sententiae scientificae recentiorum physiologorum, tollit vinculum quoddam tenerrimi amoris inter matrem et Filium, in hoc positum quod omnis mater non materiam inorganizatam (i. e. sanguinem in utero collectum), sed *particulam vivam sui corporis* filio tribuit; ita ut filius sit propago vel continuatio quaedam corporea matris. Et ita Christus fuit vere « surculus » e *radice* Iesse, imo « flos matris virginis ».

B. Virgo, igitur, *active* operata est in praeparanda materia apta conceptui, i. e. ovulum; active pariter operata est in nutritione ovuli a Spiritu Sancto iam fecundati. Utrum vero B. Virgo, sicut et quaelibet alia mater, in ipso conceptionis seu fecundationis instanti aliquid active operata sit, vel potius mere passive se habuerit, dispu-

tatur: negant B. Virginem aliquid active tunc operatam fuisse S. Albertus M., S. Thomas, Aegidius Rom., Aristotelis vestigiis insistentes; affirmant vero Alexander Halensis, S. Bonaventura, Scotus etc. Galeni vestigiis inhaerentes. Hisce ultimis moderna physiologia suffragatur.

II. De conceptione Christi quantum ad modum seu instantaneitatem.

Praenotanda: In quo Theologi veteres et recentiores conveniunt et in quo differunt.

Omnes Theologi, sive veteres sive recentiores, in hoc conveniunt quod conceptio Christi fuerit instantanea, seu in istanti perfecta, ita ut corpus Christi, in primo conceptionis instanti fuerit formatum, anima rationali animatum et a Verbo assumptum.

Attamen vox ista « conceptio instantanea », diversam significationem apud veteres et apud plerosque recentiores habet.

A) **Iuxta veteres**, substantialis conceptio duas veluti actiones generativas complectitur, videlicet: una, quae est *corpusculi fetalis conformatio*, et alia, quae est corpusculi iam formati (cum corde, cerebro etc.), post aliquot hebdomadas, *animatio* seu infusio animae rationalis; prior ab ipsis vocatur *conceptio carnis*, secunda vero *propria et substantialis conceptio hominis*. Hisce positis, conceptio Christi maxime diversa fuit a conceptione aliorum hominum. « In conceptione enim aliorum hominum corpus tamquam imperfecte dispositum, primo recipit animam imperfectam, scilicet vegetativam, et postea, quando est perfecte dispositum, hac abiecta, animam perfectiorem, nempe sensitivam, eductam videlicet de potentia materiae sicut prior; demum, quando est perfecte dispositum animam recipit, similiter perfectam, videlicet animam rationalem a Deo creatam et corpori infusam: corpus Christi vero, propter infinitam virtutem Spiritus Sancti formantis illud, *statim in primo instanti* recepit animam perfectam, id est, rationalem » (Card. Lépicier, o. c., pp. 72-73). Si quis vero quaerat quaenam fuerit *quantitas* corporis Christi in illo primo instanti conceptionis, respondet Card. Lépicier quantitatem illam esse debuisse sufficientem ad salvandam rationem corporis animati (anima rationali). « Quantitas autem ista *proportionatur quantitati perfectae* ad quam homo per debitum augmentum perventurus est, ita ut maiorum hominum corpora maiorem habeant quantitatem. Porro Christus ordinabatur ad habendam, in perfecta aetate, decentem et mediocrem quantitatem; ergo in illa prima animatione, corpus cui infusa est anima rationalis, fuit quantitatis proportionatae mediocris ».

« *Obicienti* contra hanc doctrinam, Christum nonnisi *post* novem menses a sua conceptione natum esse, unde videtur concludendum illum non alio modo ab aliis hominibus conceptum fuisse, — facile *respondetur* aut tempus sui partus Christum retardasse, ut modus suae conceptionis diabolo celaretur; aut melius nullam adesse

necessitatem ut credamus mysterium conceptionis et nativitatis Domini nostri illis praecise diebus advenisse, qui in calendario ponuntur, cum Ecclesia tali dierum festorum designatione non aliud intendat, nisi quod determinatum mysterium honoretur, quocumque tandem die perfectum evaserit. Ceterum littera sacri textus aliud non suggerit, nisi ut intervallum tribus mensibus paulo maius praeteriisse agnoscatur inter annuntiationem et Christi nativitatem ».

Haec omnia iuxta veteres et etiam iuxta quosdam recentiores, ut Lépicier, Terrien etc...

B) **Iuxta plures hodiernos**, e contra, statim ab initio conceptionis seu fecundationis ovuli, fit verum *compositum humanum*, et ideo eodem tempore quo, viribus vegetativis corpusculum fetale conformari incipit, etiam anima rationalis eidem a Deo creante infunditur; et ita *nulla distinctio* haberetur inter *conceptionem proprie* (hominis) *et improprie* (carnis) *dictam*. Omnis ergo hominis conceptio, iuxta istos, et non sola conceptio Christi, esset conceptio naturaliter (non miraculose) instantanea. Attamen, argumenta quae afferuntur (cfr Breitung, l. c., pp. 550-552) rem evincere non videntur. Iure enim meritoque animadvertit Card. Lépicier quod moderni plures « ut plurimum confundunt animam in genere, quae scilicet est principium vitae utcumque, cum anima *rationali* ut sic » (o. c., p. 73, in nota).

In propositione ergo stabilienda, ab hac Theologorum controversia praescindimus, et solummodo communem doctrinam defendimus. Quidquid enim sit de quaestione physiologica, utrum in generatione aliorum hominum momentum *conceptionis* (i. e. fecundationis ovuli materni ope spermatozoi paterni) et *animationis* in idem incidant, *fide certum* est in generatione Christi momentum *conceptionis* et *animationis* et unionis hypostaticae in idem incidisse.

Prop.: *Corpus Christi, in primo conceptionis instanti, fuit formatum, anima rationali animatum et a Verbo assumptum.*

Prob.: **I. Auctoritate**: I. S. Scripturae: « De filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem » (Rom., 1, 3); « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege » (Gal., 4, 4). Atqui haec omnia vera non essent si humanitas Christi (corpus et anima), vel ad momentum, unionem hypostaticam praecessisset et ideo persona humana extitisset; in tali casu, enim, non Filius Dei i. e. non persona *divina*, sed *persona humana* ex *semine David*, *ex muliere* facta esset.

II. Patrum: *a*) S. Augustinus: « Ex quo homo esse coepit, ex illo est et Deus, unde dictum est: *Verbum* caro factum est » (*De Trin.*, l. xiii, c. 17); *b*) S. Ioannes Dam.: « Simul atque caro exsistit, simul caro animata rationis particeps et

intelligentiae » (*De Fide Orth.*, l. 3, c. 2); *c*) S. FULGENTIUS: « Firmissime tene et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate in utero Virginis conceptam, priusquam susciperetur a Verbo; sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum; ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam » (*De fide ad Petr.*, c. 18); *d*) S. GREGORIUS NAZ.: « Si quis hominem formatum esse, deinde Deum subiisse dicat, damnatus esto. Hoc enim generatio Dei neutiquam fuerit » (Ep. I *Ad Cled.*).

III. ECCLESIAE: *a*) in Conc. Oec. VI (actione 11, epistola Sophronii): « Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, quia in Ipso et non per semetipsam habuit existentiam unam ».

b) Ex anathematismis contra Origenem editis a. 543, et a Vigilio Papa, ut videtur, confirmatis, can. 3: « Si quis dicit aut sentit primum formatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in utero beatae Virginis, ac postea unitum ei esse Deum Verbum et animam, utpote quae antea fuisset, A. S. » (Denz.-B., 205).

c) Item ex Ep. Gregorii I. M. *Quia charitatis* (*Ad Episcopos Hiberniae*, iun. 601): « Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem; sed mox ut Verbum venit in uterum, mos Verbum, servata propriae virtute naturae factum est caro ... Nec ante conceptus et postmodum unctus est; sed hoc ipsum de Spiritu Sancto ex carne Virginis concipi et a Spiritu Sancto ungi fuit » (Denz.-B., 250).

II. Ratione: « Deus assumpsit sibi id quod est hominis: non autem praeexistit, id quod est hominis, quasi per se subsistens, antequam susciperetur a Verbo. Si autem caro Christi fuisset concepta antequam susciperetur a Verbo, habuisset aliquando aliam hypostasim praeter hypostasim Verbi Dei; quod est contra rationem Incarnationis, secundum quam ponimus, Verbum Dei esse unitum humanae naturae et omnibus partibus eius in unitate hypostasis. Nec fuit conveniens quod hypostasim praeexistentem humanae naturae vel alicuius partis eius Verbum Dei sua assumptione destrueret. Et ideo contra fidem est dicere quod caro Christi prius fuerit concepta et postmodum assumpta ex Verbo Dei » (III, q. 33, a. 3). Aliis verbis: si B. Virgo fructum mere humanum genuisset, postea Verbo uniendum, Mater *hominis*, non vero Mater Dei existeret, nisi per accidens et mere materialiter, sicut S. Monica per accidens et materialiter mater *Episcopi* (i. e. S. Augustini) fuit. Imo B. Virgo minus esset Mater Verbi incarnati quam S. Monica Mater Episcopi: S. Augustinus, enim, absque ulla suae subsistentiae mutatione Episcopus factus est; fructus autem mere humanus (qualis esset in casu) absque suae subsistentiae mutatione Filius Dei naturalis fieri non potuisset. Ob hanc rationem melius et proprius B. Virgo *Dei Genitrix*, *Dei Mater* (Theotocos) quam *Deipara* appellatur: *generatio* enim tum conceptionem, tum editionem prolis significat; *parere* autem *editionem* in lucem (i. e. quid secundarium) significat: quod in sensu Nestoriano intelligi posset. Quia tamen

Tò *concipere*, et Tò *parere* promiscue adhibentur, hinc promiscue *Dei genitrix* et *Deipara* dicitur.

Obicitur: Actio B. Virginis ad naturam humanam terminata est priusquam assumeretur a Verbo (prius est enim *esse* quam uniri). Ergo corpus Christi non fuit in eodem instanti formatum et assumptum a Verbo.

Respondetur: distinguo antecedens: Actio B. Virginis terminata est ad naturam humanam priusquam assumeretur a Verbo, prioritate *naturae*, concedo, prioritate *temporis*, nego.

Art. 3 – **De Maternitate divina considerata sub respectu metaphysico.**

Ratio quaestionis. Quaelibet vera maternitas essentialiter consistit non iam in operationibus maternis (conceptio, gestatio, editio), quia secus operationibus istis iam praeteritis non amplius consisteret, sed in *relatione* reali matris ad filium quae iugiter permanet.

Originaria enim identitas substantiae inter matrem et filium, etiam post filii nativitatem iugiter remanet.

Cum igitur divina maternitas sit formaliter relatio (quia ex se dicit esse *ad* aliud) in concursu materno Virginis fundata, inquirendum est de natura huius relationis, 1) utrum nempe sit transcendentalis vel praedicamentalis, 2) et utrum sit realis sive ex parte B. Virginis sive ex parte Christi.

Quaedam igitur praemittenda sunt circa relationem in genere.

I. Relatio eiusque divisiones. Relatio nihil aliud est nisi *respectus unius ad aliud*.

Relatio dividitur in transcendentalem et praedicamentalem: *a*) Relatio *transcendentalis* est illa quae vigere intelligitur inter ea quorum essentiae quamvis sint quid absolutum, nihilominus sunt ad invicem immediate et essentialiter ordinatae, ut e. g., potentia et actus, materia et forma, corpus et anima etc.

b) Relatio vero *praedicamentalis* illa dicitur quae, cum sit accidens, et totum suum esse sit ad aliud, speciale praedicamentum constituit. Ad relationem ergo praedicamentalem habendam, non sufficit quod aliquid ad aliud quomodocumque ordinetur, (e. g. manus ad corpus) sed requiritur ut ipsum esse, seu ratio formalis eius in hoc consistat, quod ad aliud ordinetur (e. g. esse patrem, matrem...).

In qualibet relatione praedicamentali tria distinguntur: *a*) *subiectum*, seu illud quod ad aliud refertur (e. g. mater); *b*) *terminus*, seu illud ad quod subiectum refertur (e. g. filius), *c*) *fundamentum*, seu ratio ob quam subiectum ad terminum refertur (e. g. generatio).

Relatio praedicamentalis subdividitur in relationem realem et in relationem rationis: *a*) relatio *realis* est illa quae invenitur in rebus ipsis independenter ab intellectu (e. g., relatio patris ad filium); *b*) relatio *rationis* est illa quae resultat ex mera consideratione intellectus nostri (e. g. cum aliquid ad seipsum referimus). Ad relationem rea-

lem requiruntur: *a*) *duo termini reales* realiter ad invicem *distincti*, et *b*) *fundamentum proximum relationis*, id est, aliquid reale existens vel ex utraque parte, si relatio sit *mutua* (e. g. *paternitas* in generatione activa et filiatio in generatione passiva), vel saltem ex una parte, si relatio sit *mixta*.

Haec autem relatio mixta intercedit inter ea quae sunt *diversi ordinis*, quorum unum perficitur, non vero aliud: talis est relatio inter creaturam et creatorem, inter sensum et sensibile, inter Christum et B. Virginem matrem suam, prout infra videbimus.

II. Theologorum sententiae. Quod in B. Virgine admittenda sit relatio quaedam aliquo sensu *transcendentalis* ad Verbum divinum, non videtur negari posse. Maternitas enim divina, vera quadam ratione quasi constitutivum essentiae ipsius Virginis dici potest, cum sit tota ratio existentiae ipsius, ita ut B. Virgo nec extitisset si Mater Dei praedestinata non fuisset, prout in primo articulo libri primi probavimus.

At, praeter hanc relationem *quasi transcendentalem* ad Verbum divinum, datur in B. Virgine, iuxta omnes Theologos, relatio praedicamentalis in generatione fundata, et ex libero eius consensu orta. Iamvero, omnes concedunt huiusmodi relationem esse realem ex parte B. Virginis.

Nulla est igitur discrepantia Theologorum circa realem relationem Matris ad Filium. At, circa relationem Filii ad Matrem non una est Theologorum sententia. *a*) Alexander Halensis, quem secutus est Henricus Gandavensis (*Quodl.* IV, q. 3), docuit Christum referri ad Matrem suam *relatione reali increata*. *b*) Scotus (*In III Sent.*, dist. 8, q. unica, Scholion), Biel (*In III Sent.*, dist. 8, q. unica), Suarez (*De Myst. vitae Chr.*, disp. 12, sect. 2), etc., tenuerunt Christum referri ad Matrem suam *relatione reali creata*, ratione filiationis temporalis, ita ut in Christo duplex sit relatio realis. *c*) S. Thomas, S. Bonaventura et alii plures (Lépicier, Merkelbach etc.) tenent Christum referri ad Matrem *relatione rationis* tantummodo. Huic sententiae adhaerendum esse putamus.

Nuper P. Van Biesen C. SS. R., in opusculo *Is het Bovennatuurlijke de actuatie van het geschapene door het Ongeschapene?* (Estne supernaturale actuatio creati mediante Increato? St. Niklaas-W., M. Van Haver, 1943, in-8, 115 p.), docuit B. Virginem, ratione maternitatis divinae, participasse Paternitati divinae, et assumpsisse relationem Dei Patris erga Deum Filium; ipsam esse, ratione maternitatis divinae, comprincipium Filii et acquisivisse veluti compaternitatem quamdam relate ad Filium.

Hoc posito, B. Virgo non solum habet *relationem realem* erga Filium, red etiam Deus Filius habet *relationem realem* relate ad B. Virginem. Haec autem relatio realis, iuxta auctorem, annumeranda est inter relationes intra-divinas, trinitarias. Etenim, cum Paternitas sit realis relatio Patris erga Filium, et Filiatio sit realis relatio Filii erga Patrem, Maria, ad Paternitatis participationem elevata, relationem realem habet cum Filio, dum Filius, ob suam realem relationem erga Patrem, realem relationem pariter erga Matrem habet.

Prob.: *Relatio Matris ad Filium est relatio realis; Relatio vero Filii ad Matrem probabilius non est realis, sive increata sive creata, sed est rationis tantum.*

Prob. I. pars: Relatio Matris seu B. Virginis ad Filium est realis.

In relatione enim Virginis benedictae ad Christum Filium suum, quemadmodum et in omni vera maternitate, ea omnia inveniuntur quae ad relationem realem constituendam requiruntur, videlicet: 1) duo termini reales ab invicem distincti, nempe: *a*) subiectum (B. Virgo), *b*) terminus realis (Christus), et 2) fundamentum reale (generatio activa ex parte B. Virginis). Veritas haec, iuxta Suarez, « non potest sine temeritate negari. Non affirmo esse de fide, quia licet fides doceat Beatam Virginem vere ac realiter genuisse et hoc sensu, de fide sit, vere ac realiter esse Matrem, si quis tamen negaret inde esse consecutam relationem, nihil diceret contra fidem » (*De Myst. vitae Chr.*, d. 12, sect. 1, 3, q. 35, a. 5).

Prob. II. pars: Relatio Filii seu Christi ad Matrem:

a) *non est relatio realis increata*: Relatio enim *realis increata* est quid per se subsistens, et Christo non qua homo sed *qua Deus* convenit, a Patre in aeternitate genitus;

b) *non est relatio realis creata*: haec enim cum sit accidens immediate afficiens suppositum (eo quod exurgit ex actione et passione quae sunt suppositorum) induceret in Christo duplex suppositum: quod haeresis esset. Subiectum enim filiationis non est natura vel pars naturae, sed suppositum, et in Christo non est hypostasis vel persona nisi aeterna, quae est omnino intrinsece immutabilis;

c) *Relatio Christi ad Matrem est relatio rationis tantum*: consequitur ex dictis. Subiectum enim filiationis est tantummodo suppositum; sed in Christo est unum tantum suppositum, id est, aeternum; et ideo nequit esse in Christo alia realis relatio filiationis praeter filiationem *aeternam*. At, quamvis nulla realis relatio poni possit ex parte *personae* divinae, quae est intrinsece immutabilis, relationes reales tamen poni possunt temporales ex parte *naturae humanae* Christi; sic e. g., corpus Christi relationem realem originis dicit ad Virginem benedictam a qua est vere conceptum et natum. At huiusmodi realis relatio non est iam relatio filiationis sed est potius relatio effectus erga causam, vel etiam causae erga causam. Insuper huiusmodi relatio non subiectatur in persona Christi, sed unice in sua humana natura.

Relate ad sententiam P. Van Biesen, animadvertere liceat cum cl. Bittremieux (in *Ons Geloof*, t. 27, 1945, pp. 182-185) quod B. Virgo, utpote creatura, finita, nullimode participare potest relationi reali quam habet Pater erga Filium. Relatio enim paternitatis in prima persona SS. Trinitatis (cui respondet relatio filiationis in secunda persona) ex hoc oritur quod Pater, ope verae generationis,

originem dat Filio, et hoc fit (et non potest aliter fieri) ope infiniti intellectus divini: quod accidere nequit in ente quodam creato, finito, prout est B. Virgo. Huiusmodi ergo realis relatio propria est Patris et incommunicabilis remanet. Hoc tantum admitti potest, videlicet, quod relatio quam habet B. Virgo erga Filium, *similis* est relationi quam erga eundem Filium habet Pater. At ex hoc minime sequitur B. Virginem *participem* esse illius realis relationis quam habet Pater erga Filium. Ceterum, non videtur quomodo relatio *paternitatis* relationem *maternitatis* explicare valeat, cum notio paternitatis et maternitatis diversam omnino significationem habeant.

Art. 4 – **De divina Maternitate considerata sub respectu morali**

Ratio quaestionis. Ex maternitate divina sub respectu sive theologico, sive physico, sive metaphysico considerata, singularissima et ratione quadam infinita excellentia seu moralis dignitas necessario consequitur.

De hac igitur est nunc particulariter agendum.

Divisio quaestionis. *Dignitas maternitatis* divinae considerari potest



Hic agendum est:

1) *De dignitate maternitatis divinae considerata in seipsa.*

2) *De dignitate maternitatis divinae considerata in relatione ad personas SS. Trinitatis.*

3) *De dignitate maternitatis divinae considerata relate ad alias dignitates in genere.*

4) *De dignitate maternitatis divinae considerata relate ad dignitatem Sacerdotalem.*

5) *De fundamento supremo dignitatis maternitatis divinae.*

1) De dignitate Maternitatis divinae in seipsa considerata.

Prop.: *Dignitas maternitatis divinae in seipsa considerata, est omnino singularis et ratione quadam infinita.*

Praenotanda: *Infinitum*, in genere, est id quod limitibus caret. Dividitur in *potentiale* seu materiale et *actuale* seu formale: *a*) infinitum *potentiale* seu materiale est illud quod non habet limites, quos tamen natum est habere, puta materia prima prout absque forma consideratur; *b*) infinitum *actuale* seu formale est illud quod non habet limites, et quod nullo modo limitibus circumscribitur secundum quod est actu.

Infinitum *actuale* seu formale, subdividitur in *absolutum* seu simpliciter, et *relativum* seu sec. quid: *a*) infinitum actuale *absolutum* est illud quod limites cuiuscumque generis excludit, et ideo est omnibus modis infinitum; *b*) infinitum *relativum* est illud quod in aliquo tantum genere vel sub aliquo tantum respectu limites excludit.

Infinita dignitas quae vindicatur hic maternitati divinae, non est nisi infinitas relativa et sec. quid, respectu scilicet ad infinitatem Filii sui.

Prob. I. Auctoritate Patrum et Scriptorum Ecclesiae:[1]

1) *Explicite*: *a*) S. Ioannes Damascenus: « Ave, Maria, quasi μυρία infinita, ob infinitam laudationum copiam. Quamvis innumera de te dixerit, numquam tamen argumenti dignitatem assecutus erit » (Homil. 4 *In Nativ. B. M. V.*, n. 7, PG 96, 690).

b) S. Germanus Constantinop.: « Hodie ad promendas laudes Maria nos provocat, cuius praeconia utut in immensum quisquam congerat, nedum metam queat attingere, ne a longe quidem ad verum accessurus est; quippe cuius pulchritudo et sermonem omnem et omnem cogitationem infinito intervallo praetergreditur. Nam gutta illa caelestis, quae ab ea manavit, ad instar immensi pelagi magnalia ipsius esse palam fecit. Quocirca, huius quidem gratia et incomprehensibiles propter ipsarum infinitatem factae sunt eius divitiae, nec deliciae, quae ab ea profluunt, exhauriri ullo modo possunt » (*Homil. 1 in Praesent. SS. Deip.*, PG 98, 294).

c) S. Albertus M.: « Filius infinitat Matris bonitatem: omnis enim arbor ex fructu suo cognoscitur; unde si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu infinitam quandam adhuc in arbore ostendit bonitatem » (*Mariale*, q. 197).

d) S. Thomas: « Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei,

[1] Cfr Alameda S., O. S. B., *La excelencia de la divina Maternidad en los Padres*, in *Revista española de Teología*, 3 (1943) 493-558.

habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest fieri aliquid melius esse Deo » (*S. Th.*, 1, a. 25, a. 6, ad 4).

e) Conradus a Saxonia: « Esse mater Dei est gratia maxima purae creaturae conferibilis. Maiorem mundum posset facere Deus, maius caelum; maiorem matrem quam Matrem Dei non posset facere » (*Speculum B. M. V.*, l. 10).

f) S. Bernardinus Senensis: « Si quis autem considerat virginei consensus ad tantum mysterium finalem terminum, clare intelliget, quod omnis dignitas et perfectio inclusa in hoc, quod est esse Matrem Dei tam mente quam carne, comprehendatur in eo, quod quidem transcendit in merito in infinitum, quidquid aliud sub Deo-homine cogitari vel dici potest » (*Sermo* 51, ed. venet. 1591, vol. III, p. 103 B).

g) Dionysius Carthusianus: « Quam inestimabilis est dignitas eius, quae eam infinitae dignitatis peperit prolem? Certe non irrationabiliter asserunt quidam magni theologi, quod ratione huiusmodi maternae fecunditatis maternitatisve Dei, Beatissima Virgo sit dignitatis quodammodo infinitae » (Serm. 1 *De Concept. B. M. V.*, Op. t. 31, p. 45).

2) *Implicite* infinita fere dignitas maternitatis divinae asseritur a Patribus et Scriptoribus sive Orientis sive Occidentis in illis omnibus dicendi modis quibus unanimiter fatentur talem dignitatem intellectum creatum facultatemque nostram loquendi superare.

Prob. II. Ratione:

« Quo altior est Filius, eo dignior mater censenda est » (S. Petrus Canisius, *De Maria Virgine* ..., l. 3, c. 13). Atqui dignitas Filii est infinita. Ergo et dignitas matris vera quadam ratione i. e. relative infinita dicenda est.

Ad maiorem. Etenim, propter intimam et indissolubilem connexionem inter matrem et filium, dignitas Filii necessario redundat in Matrem, ita ut dignitas matris ex dignitate filii commensuretur; sic. e. g. manifeste maior est dignitas quae provenit mulieri ex hoc quod est mater Regis quam ex hoc quod est mater ministri Regis.

Pulchre aiebat S. Bruno Astensis: « Quaeris fortasse, qualis mater? Quaere prius qualis Filius! Non habet Filius in hominibus parem, non habet mater in hominibus similem. Speciosus ille prae filiis hominum; speciosa illa quasi aurora consurgens » (*In Matth.*, p. 1, c. 1, PL 165, 74).

II. De dignitate Maternitatis divinae considerata in relatione ad personas SS. Trinitatis.

Ratione divinae Maternitatis B. Virgo relationes specialissimas et intimas contraxit cum tribus personis SS. Trinitatis, quibus relationibus maxime exaltata est. Insuper, gloriam auxit trium personarum SS. Trinitatis.

Prop. I: I) *Relate ad* PATREM *B. Virgo fuit* a) *generationi Verbi associata et* b) *Filia primogenita immo unigenita.* II) *Relate ad* FILIUM *B. Virgo fuit* a) *Mater*, b) *Domina, et* c) *Sponsa.* III) *Relate ad* SPIRITUM S. *B. Virgo fuit* a) *eius Sacrarium et* b) *eius Sponsa.*

Declaratur propositio.

I. **Cum prima Persona** arctissimam relationem habet B. Virgo.

Duo autem *tituli* huic dignitati respondent, seu hanc excellentiam illustrant; nam B. Virgo est A) *generationi Verbi consociata*; B) *Dei Filia primogenita*, imo *unigenita.*

A) Nam: utraque Verbi generatio, aeterna, scilicet, et temporalis, *ad eumdem Filium terminatur*; et secundum utramque generationem, genitus i. e. Christus, generatur ex *substantia* generantis; et sicut est unicus Patris, ita est etiam *unicus* Matris. Tam Pater aeternus, quam Mater temporalis relate ad eumdem, vere dicere possunt: « Filius meus es tu! ».

B) Insuper, B. Virgo a Patribus, maxime Graecis, *Filia Dei* per excellentiam vocatur, *Filia primogenita, unigenita.* Et recte: cum enim B. Virgo destinabatur ad hoc ut cum Patre *eumdem Filium* haberet, debebat modo *specialissimo*, ut ita dicam, deificari, hinc *filia Dei* fieri. Et sane, si iam inter homines nemo connubio principum dignus censetur, nisi qui sanguine, uti dicunt, nobilitetur, — licet omnes homines eiusdem sint, in primo parente, sanguinis eiusdemque antiquissimae nobilitatis — quanto magis Deus debet ad suam *naturam*, per gratiam, evehere creaturam quam ad divinam maternitatem praedestinat? Est proinde, B. Virgo, *primogenita*, quia prima venit ordine in hac generatione gratiae. Est *unigenita*, quia hanc gratiae generationem possidet titulo omnino singulari, et gratiam habuit inde a primo instanti suae existentiae.

II. **Cum secunda Persona**. Relationes inter *Mariam* et *Verbum* ad tres titulos potiores reduci possunt: est enim B. Virgo Verbi: a) *Mater*, b) *Domina*, c) *Sponsa.*

a) *Mater* est, non solum uti sunt reliquae matres, sed plus quam reliquae matres. Inde, tum maior *unio* B. Virginis cum Filio suo divino, tum maius *amoris vinculum* inter Filium et Matrem.

Et sane: dum reliquae matres prius concipiunt corpore quam mente, B. Virgo prius concepit *mente* quam corpore, quia bene cognoverat ab angelo illum quem concipere debebat: hinc maior unio inter B. Virginem et Filium. — Insuper *ipsa sola* praestitit *totam* materiam sanctissimi corporis Christi, et per virtutem superne adauctam acceleravit conformationem eiusdem. Quare nulla unquam tantopere mater extitit quam Maria. — Iamvero, si in naturae ordine proles est veluti *continuatio Matris*, quid dicendum erit de unione inter Mariam et Filium?...

b) *Domina* insuper est B. Virgo relate ad Verbum. Est enim habitudo Matris ad prolem huiusmodi ut superioritas quaedam a materna dignitate separari nequeat.

Relate ad *ius naturale* quod divina Maternitas B. Virgini in ipsummet Christum conferebat, haec animadvertenda sunt:

1) Tale ius naturale, in generatione fundatum, non fuit in Christum spectatum *sec. naturam divinam*, sed tantummodo *sec. naturam humanam*. Absolute enim repugnat Christum, ut subsistentem in natura divina, utpote supremum omnium rerum Dominum, dominio aut potestati alicuius creaturae subiectum fuisse: sub tali respectu, enim, neque aeterno Patri (qui est Ipsi coaequalis) subiectus dici potest. Ius ergo naturale B. Virginis respiciebat Christum sec. *humanam naturam* consideratum. Etenim, ut animadvertit Angelicus (3, q. 20, a. 1, ad 2^{um}), « quamvis non proprie dicatur, quod natura sit domina vel serva, potest tamen proprie dici quod quaelibet hypostasis vel *persona sit serva vel domina secundum hanc vel illam naturam* »: quo modo Christus etiam Patri subiectus fuit.

2) Ius naturale B. Virginis erga Christum (sec. humanam naturam consideratum), potest concipi relate ad duo: *a*) ad amorem et reverentiam et *b*) ad obedientiam seu subiectionem voluntatis.

a) Relate ad *primum*, seu ad amorem et reverentiam, B. Virgo habuit *ius strictum*: Christus enim naturalibus praeceptis obstrictus tenebatur, quae cum unione hypostatica non repugnant; atqui ad naturale praeceptum pertinent amor et reverentia filiorum erga parentes, neque ista cum unione hypostatica repugnant. Ergo.

b) Relate ad *secundum* i. e. ad obedientiam seu *subiectionem voluntatis*, B.Virgo ius strictum habuit relate ad *res domesticas* et corporalem vitam spectantes, saltem quousque Christus fuit in minori aetate constitutus, eo quia voluit per omnia *fratribus assimilari*; non vero ius strictum habuit relate ad omnia alia et praesertim ad ea quae *Patris erant*, i. e. quae ad divinam Christi missionem pertinebant. Et ratio est quia non potest esse subiectus parenti quoad *voluntatem* ex iure naturali, qui ex ratione intrinseca, i. e. ex natura sua, rex universalis cuiuslibet creaturae, et verus superior suae matris (aliter enim esset superior et inferior sub eodem respectu et erga eamdem personam, quod est contradictorium); atqui Christus, etiam quatenus homo, ratione unionis hypostaticae, est rex universalis cuiuslibet creaturae; ergo... Cornelius a Lapide rem illustrat hoc exemplo: « sicut religiosus vel monachus, si creetur Pontifex, eximitur ab obedientia sui Ordinis, imo totius Ordinis fit superior » (In vers. 51,cap. II Luc.).

Attamen, *de facto* et libere, ut praeclarissimum virtutis humilitatis et obedientiae exemplum nobis praeberet, Christus voluit subici voluntati matris suae etiam quoad *voluntatem* seu obedientiam, iuxta illud: « et erat subditus illis » (Luc., 2, 51). Et hoc non solum non derogat dignitati Christi, sed potius eius filiali pietati consonat omnino.

Ex hac Christi erga matrem subiectione (*de iure* stricto quoad amorem et reverentiam nec non relate ad illius circa se ordinationes, et *de facto* quoad voluntatis subiectionem), magna matris Dei dignitas commendatur. Hinc iure Gerson scribebat: « Melius eam appellare non possumus quam Matrem Dei, quia per hoc habet veluti auctoritatem et naturale dominium ad totius mundi Dominum et a fortiori ad omne id quod

huic subiectum est Domino » (Serm. de Annunt.). Et S. Bernardinus Senensis: « Haec erat vera propositio. Imperio Virginis, omnia famulantur, etiam Deus » (Serm. 3, *De nom. Mariae*, ed. venet., vol III, p. 87 E-F).

c) Sed et *Sponsa Verbi* est Maria: et *prima ratio* petitur ex intensissimo illo sanctissimoque *amore* quem Mater erga Filium et Filius erga Matrem habuit. Nam: — ut ait S. Bernardus — « Sponsae nomine, censetur anima quae *amat* ». Si virgines Deo sacrae Sponsae Christi nomine donantur, quanto magis Virginum Regina?...

Secunda ratio: opus Incarnationis erat quoddam *sponsale connubium* inter Verbum et *humanitatem*. *Sponsa*, ergo, per excellentiam, imo *unica Verbi*, — quemadmodum est *unigenita Patris* — debet esse illa ipsa creatura in qua hoc connubium celebratum est. Inde Patres Incarnationem Verbi sub figura nuptiarum exhibent et Mariam sponsae nomine decorant.

Tertia ratio est quia B. Virgo Christo, tamquam adiutorium simile sibi, cooperata est regenerationi hominis tamquam Corredemptrix.

Quarta ratio, quia B. Virgo est *typus Ecclesiae* quae est Sponsa Christi.

III. **Cum Spiritu Sancto**. Vocatur B. Virgo *a*) *Sacrarium* seu *templum* Spiritus S. et *b*) *Sponsa Spiritus Sancti*.

a) Fideles qui charitatem habent, templum sunt Spiritus Sancti, dicente S. Paulo: « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus S. habitat in vobis? » (1 Cor., 3, 16). Atqui Spiritus S. habitavit modo singularissimo in B. Virgine, i. e. non solum propter *gratiam* singularem, sed etiam formando ex ea corpus Christi: « Spiritus S. superveniet... ».

Accedit quod cum divinae personae sint una in alia, B. Virgo non potuisset Filium Dei ventris hospitio recipere, nisi etiam Spiritum S. reciperet ...

b) *Sponsa Spiritus Sancti*. Titulus iste apud modernos frequens, apud antiquos Scriptores raro occurrit. At Virgini bene tribuitur: nam, operante Spiritu Sancto, Virgo concepit. — Insuper, inter B. Virginem et Spiritum S. tria fuerunt quae inter sponsum et sponsam habentur, videlicet:

1) *Mutua de se invicem traditio*, eo quia B. Virgo corpus suum purissimum Ipsi tradidit ad hoc ut, illo afflante, corpus Verbi divini procrearetur; et vicissim Spiritus S. in Virginem supervenit ad mirabilem illam et singularem conceptionem perficiendam. — 2) *Individua vitae consuetudo* eo quia Spiritus S. semper vixit in ipsa et ipsa, nulla umquam labe infecta, semper in Spiritu Sancto vixit. — 3) *Bonorum communicatio*, eo quia Spiritus S. ipsam omnibus donis suis ditavit, et ipsa, vicissim, omnia sua, nihil sibi reservando, iugiter ei consecravit. Haec tamen *Sponsae* denominatio magis B. Virgini competit per respectum ad Filium quam per respectum ad Spiritum S.

Ex hucusque traditis apparet, quantum divina maternitas B. Virginem exaltaverit super *ordinariam* hominum conditionem, ita ut recte dici possit quod per

hoc privilegium in deitatis ordinem quodammodo adscita fuerit, et iuridice in Dei familiam inserta.

Iure ergo scribebat P. Monsabré: « L'Eglise catholique, avec tous ses hommages, avec tous ses temples, avec tous ses autels, avec toutes ses statues, avec tous ses encens, avec tous ses panégyriques, avec tous ses cantiques, avec toutes ses fleurs, avec toutes ses fêtes, avec tout son respect, avec toute sa confiance, sa vénération et son amour n'a pas placé si haut la sainte Vierge que ne l'a fait l'Evangile par ce seul mot si simple et si court, mais si plein et si éloquent: *Maria de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* » (30 Confér. de Notre-Dame).

Prop. II: *B. Virgo* I) *auxit* GLORIAM PATRIS *quatenus illi auctoritatem contulit in Filium, aliunde sibi aequalem*; II) *auxit* GLORIAM FILII *quatenus illi contulit* GENERATIONEM TEMPORALEM; III) AUXIT GLORIAM SPIRITUS S., *quatenus illi contulit* FECUNDITATEM AD EXTRA *et auctoritatem erga Filium.*

Prob. I. Pars: Etenim, Pater in se perfectissimus est. Ab aeterno generat Filium, i. e. Verbum, in omnibus et per omnia sibi aequalem. Et Filius iste, cum nullam *inferioritatem* habeat, nulla obligatione tenetur erga Patrem sibimetipsi, in omnibus, aequalem.

Attamen, esset profecto Deo Patri magnae dignitatis argumentum si Filius eius, remanens semper perfectissime Deus, fieret sibi in tempore *subiectus*.

Et ita reapse factum est; Filius factus est, in tempore, Patri subiectus, per humanitatem a B. Virgine habitam. Hinc in Virginis utero recepit Pater auctoritatem et auctoritatis exercitium in Filium et ob hoc *maxima gloria* persona Patris circumdatur: imperat enim subdito, qui et ipse Deus est.

Ergo B. Virgo mirifice auxit gloriam Patris.

Prob. II. Pars: Etiam Filius, sicut Pater, est infinite perfectus. Attamen et ipse glorificatus est a B. Virgine. Filius enim est *Verbum* Patris, simile verbo mentis nostrae. At sicut verbum mentis nostrae extrinsece completur ac veluti incarnatur in sono vocis, ita *Verbum mentis* divinae, i. e. Filius, ob incarnationem in Virgine peractam, extrinsecum veluti *complementum* accepit, cum invisibilis in suis, factus est *visibilis* in nostris... At hoc extrinsecum complementum a B. Virgine accepit... Ipsa enim fuit veluti *os* per quem Pater aeternus Verbum mentis suae, insensibile, sensibiliter pronuntiavit.

Insuper, in sinu Virginis, Verbum novam vitam, seu humanam naturam accepit in qua, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, et ob hoc etiam in *humana natura* illam eamdem gloriam consecutus est quam, ante Incarnationem, tantummodo quatenus erat Deus Ei tribuebatur ...

Tandem: Omnes creaturae, pro modulo suo, Creatoris *perfectiones* manifestant. At, Christus ex Virgine procreatus quantum ad humanitatem, divinas perfectiones excellentius manifestat quam *quaelibet alia creatura*: et etiam hoc ex B. Virgine habet.

Prob. III. Pars: Intrinsece, etiam Spiritus S., totam perfectionem habet ac Pater et Filius, quia eamdem naturam divinam possidet. At, Spiritui S. deest — ut ita dicam — *nota quaedam personalis* (character notionalis), qua aliae duae personae donantur: *fecunditas*. Ipse enim, *terminus* est fecunditatis Patris et Filii, a quibus procedit; at, nulla persona ab ipso procedit.

Nunc vero, consensum praebendo ad hoc ut Spiritus superveniret in seipsam, B. Virgo Spiritui S. fecunditatem tribuit ad extra, quam fecunditatem habere non potuit *ad intra*.

Ad *extra*, ergo, et praecise in sinu B. Virginis ipse fit *principium*, et quidem fecundum, non utique divinae personae, sed naturae Deo hypostatice unitae.

Insuper: praeter fecunditatem ad *extra*, Spiritus S., sicut et Pater, veluti acquisivit per Mariam auctoritatem in Filium, secundum humanam naturam, quam auctoritatem aliter habere non poterat.

En ergo maximam gloriam quam B. Virgo ratione suae divinae maternitatis, dedit *toti Trinitati*; seu melius, gloriam quam tota Trinitas sibimetipsi dedit *per Mariam*. Hinc rite B. Virgo vocatur « *Complementum totius Trinitatis* » non utique essentiale et intrinsecum, sed accidentale et extrinsecum. [1]

III. De dignitate Maternitatis divinae relate ad alias dignitates in genere.

Prop.: *Dignitas Matris Dei, etiam nude et solitarie inspecta, incomparabiliter superat universum creatum ordinem naturae, gratiae et gloriae.*

Praenotanda: I. **Determinatio quaestionis**. Fundamentum huius propositionis invenitur in hoc quod, maternitas divina *ad ordinem hypostaticum*, ut videbimus, pertinet, qui ordo incomparabiliter excedit ordinem naturae, gratiae et gloriae. Frustra igitur Theologi quidam, propositionem hanc probare nituntur ex eo quod maternitas divina est ratione quadam *infinita*. Etenim, etiam beatitudo creata, seu fruitio Dei, prout demonstrat S. Thomas, est ratione quadam infinita, ex bono infinito quod est Deus.

Iamvero, quod dignitas divinae maternitatis excedat universum creatum *ordinem naturae*, nemo est qui negat. Divina enim maternitas est quid entitative *supernaturale*: fundatur enim in actione seu in conceptione supernaturali et ad terminum supernaturalem refertur. Insuper, divina maternitas, in sua intrinseca ratione et in sua formali relatione ad Deum, exigentiam cuiuscumque naturae sive creatae sive creabilis superat.

Quaestio igitur fieri potest non iam relate ad universum ordinem naturae, sed relate ad universum creatum ordinem *gratiae et gloriae*.

[1] Solutio obiectionum, praesertim recentiorum contra appellationem « Complementum SS. Trinitatis » inveniri potet apud BITTREMIEUX, *Relationes Beatissimae Virginis ad Personas SS. Trinitatis*, Placentiae, 1935, Extractum ex *Divus Thomas*.

In linea perfectionis et dignitatis entium, TRIPLEX ORDO distingui potest: 1) *naturae*, 2) *gratiae et gloriae et* 3) *hypostaticus*.

1) **Ordo naturae** complectitur *a*) *mineralia*, *vegetalia* et *animalia*, in quibus *vestigium* Dei invenitur, et in quibus habetur praesentia Dei *communis*, per potentiam (dans et conservans esse) et per essentiam; in illis ergo Deus praesens est *subiective* tantum; *b*) *homines et angelos* seu creaturas rationales, in quibus est imago Dei et in quibus non solum est praesentia Dei communis (i. e. subiective) sed etiam praesentia Dei *specialis* i. e. *obiective* seu ut obiectum cognitionis et amoris *naturalis*. At, supra hunc ordinem *naturae*, habetur *ordo gratiae*.

2) **Ordo gratiae** complectitur homines et angelos ad finem supernaturalem per gratiam sanctificantem, quae est participatio divinae naturae, elevatos i. e. ad videndum Deum (et eo fruendum) prouti *est in se* (non prout viribus naturae cognoscitur); et in istis habetur Dei praesentia nedum *communis*, nedum *specialis*, sed habetur Dei praesentia *specialissima*, eo quia in illis est *obiective* praesens ut obiectum cognitionis et amoris *supernaturalis* (non vero naturalis); et ideo iusti Deum attingunt *uti est in se*, imperfecte quidem in hac vita per gratiam (per speculum in aenigmate seu per fidem), perfecte vero in alia vita (per *gloriam*, cuius gratia est semen seu per *visionem*). Ordo gratiae ita ordinem naturae excedit, ut S. Thomas scribere potuerit: « Bonum gratiae *unius* (hominis) maius est quam bonum naturae totius universi » (I., II, q. 113, a. 9, ad 2). Attamen, etiam supra hunc ordinem supernaturalem gratiae et gloriae, adest tertius ordo, i. e. ordo hypostaticus.

3) **Ordo hypostaticus**: etenim, in ordine gratiae et gloriae praesentia et unio Dei cum creatura rationali est *accidentalis* tantummodo (eo quia iustus suam personalitatem retinet); in ordine vero hypostatico, habetur substantialis, personalis unio, eo quia natura humana Christi in *persona* seu hypostasi Verbi Dei subsistit. Nihil enim concipitur substantialius (et ideo nulla maior unio cum Deo) quam habere cum Deo *unum existere* et subsistere. Dum ergo in ordine gratiae et gloriae habetur unio creaturae rationalis cum Deo secundum *operationem* (i. e. visio Dei intuitiva), in ordine hypostatico habetur unio cum Deo secundum *esse* i. e. secundum subsistentiam, qua unione Christus est Filius Dei *naturalis*. Ad hunc ordinem hypostaticum infinite excedentem ordinem sive naturae sive gratiae et gloriae, pertinet, ut videbimus, B. Virgo.

II. **Duplex Divinae Maternitatis consideratio**: nude et solitarie, et in concreto seu adaequate: *a*) *nude* et *solitarie*, i. e. formaliter et simpliciter quatenus formaliter maternitas est;[1] *b*) *adaequate* seu *in concreto*, si su-

[1] Bene notetur quod si maternitas divina consideretur in suo *concursu mere physico*, prout faciunt P. PESCH (*Tract. Dogm.*, 4, n. 578), VAN NOORT (*De Deo Red.*, n. 198) etc., haec certe inferior dici debet gratia sanctificante, seu filiatione adoptiva, At, maternitas divina, *nude et*

matur prout includit illum gratiarum cumulum, quem Matris Dei dignitas de lege Dei ordinaria secumfert.

III. **Opiniones.** Posita superiori distinctione, omnes concedunt maternitatem divinam *adaequate*, seu in concreto sumptam, supergredi omnem ordinem creatum nedum naturae sed etiam gratiae et gloriae; eo vel magis quod gratia B. Virgini intuitu divinae maternitatis collata, gratiam et gloriam cuiuscumque purae creaturae quam maxime excedit. Attamen, si maternitas divina *nude et solitarie* spectetur, non desunt qui, cum Vasquez et cum Salmanticentibus (*De Incarn.*, t. 16, disp. 36, dub. 3, par. 2, num. 30) tenent unionem creaturae cum Deo per *gratiam et gloriam*, superare unionem cum Deo per *maternitatem* divinam. Gratia enim est *donum omnis doni* (S. Leo M.). Communius autem Theologi, tum veteres tum recentiores (e. g. S. Alphonsus, Lépicier, Campana, Alastruey etc.), eo quia divina maternitas est ordinis diversi et superioris, et omnia gratiae privilegia in se virtualiter continet et exigit, tenent maternitatem divinam superare gratiam et gloriam.

¡Probatr: I. **Auctoritate**: I. S. Scripturae quae pluries, paucis verbis, velut quibusdam radiis, incomparabilem Matris Dei dignitatem illustrat; sic e. g.: « Magnificat anima mea Dominum ... beatam me dicent omnes generationes ... quia fecit mihi *magna* qui *potens est* ... » (Luc., 1, 46-49): mensura *magnitudinis* B. M. V. — prout animadvertit Suarez — est *omnipotentia* Dei: « Qui potens est ». Fecit ergo Deus magna nedum in seipsis, sed etiam relate ad eius potentiam infinitam.

Insuper iure animadvertit Angelicus: « Virgo ante nativitatem (Christi) denominatur *coniux* (Matth., 1, 5), sed post nativitatem non, et hoc propter duo: primo ad commendationem Virginis: sicut enim virgo concepit, ita virgo peperit; secundo propter *dignitatem* eius: erat enim Mater Dei, qua dignitate nulla maior, et denominatio fit a digniori » (*In c. 2 S. Matth.*).

II. SS. Patrum et Scriptorum: « Patres orientales et occidentales, pastores vigilantissimi et magistri sollertissimi Ecclesiae, nitentes Scriptura et apostolica Traditione, nec non theologi praestantissimi *thesaurum linguae humanae penitus exhauriunt*, ut pro debito dignitatem Matris Dei praedicent. Dicunt Dei genitricem omnibus creaturis antecellere, esse reginam et dominam angelorum, et hominum et totius universi, eius dignitatem intellectum creatum superare et condigne celebrari non posse, eam esse infinitam ». (Encomia SS. Patrum multa collegerunt Müller, th. 2, n. 2, ss.; Livius, 2, 1 ss.).

solitarie inspecta, praeter concursum physicum, *realem relationem* B. Virginis ad ipsum Verbum includit, quae proinde ipsum Esse divinum, prout in natura assumpta subsistit, immediate attingit. Non bene igitur, auctores isti quaestionem ponunt, cum duos comparationis terminos non bene distinguunt.

In particulari audiantur: S. Ambrosius: « Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? ». (*De Virg.* 1, 11, PL 16, 220).

S. Proclus: « Nihil eiusmodi est ut cum Dei Genitrice comparari possit ... Nihil itaque in mundo eiusmodi est qualis Dei Genitrix Maria » (Or. 5, *Laud. S. Virg. Deip.*, PG 65, 718).

S. Ioannes Damascenus: « Matris Dei et servorum Dei infinitum est discrimen ». (Hom. 1 *In Dormit. Virg.*, n. 10, PG 96, 715);

S. Germanus: « Ipsam ... universa visibili et invisibili creatura superiorem arbitramur » (In *Ep. a Conc. oec. VII approbata*, PG 98, 159).

Theodorus Hieros.: « Omni creatura facta est gloria tua splendore praestantior » (PG 98, 159).

Ps. — Gregorius M.: « Mons quippe fuit (B. V.), quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit ... Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit ». (*Expos. I Libri Regum*, PL 76, 25).

S. Petrus Damiani: « Cum Beatae Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia nova et inaudita sunt, quae tractanda suscipimus, nulla invenimus verba, quibus ad haec exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis » (Serm. 45 *In Nativ. V.*, PL 144, 740).

« Quid grandius Virgine Maria, quae magnitudinem summae Divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende, Seraphim, et videbis quidquid maius esse minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi » (*Serm.* 44 *In Nativ. V. Deip.*, PL 144, 738).

Eadmerus: « Hoc solum de Virgine praedicari quod Mater Dei est, excedit omnem altitudinem quae post Deum dici et excogitari potest » (*De excell. Virg.*, l. 2, PL 159, 559).

Auctor Speculi B. M. V. c. 8: « Maiorem mundum potest facere Deus, maiorem matrem quam Matrem Dei facere non potest ».

S. Albertus M.: « Inter matrem et Filium est coniunctio substantialis; inter patrem et filium adoptivum est participatio accidentalis: ergo maius est esse matrem Dei per naturam, quam esse filium Dei per adoptionem ». « Item, inter esse Filium Dei per naturam et esse Deum, et esse filium Dei per adoptionem et non esse Deum, medium est esse Dei matrem per naturam, et non esse Deum: ergo immediate post esse Deum, est esse Matrem Dei » (*Mariale*, q. 141). Et alibi: « Filius infinitat Matris bonitatem, omnis enim arbor ex fructu cognoscitur ». (*Mar.*, q. 230).

S. Bonaventura: « Quia fuit Mater Dei quo nihil nobilius cogitari potest et Mater nobilissimi Filii sic tantam habuit bonitatis dignitatem quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis essent praesentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei ». (*In I Sent.*, d. 44, dub. 3).

S. Petrus Canisius: « Spectet ac miretur qui velit pulcherrimi huius mundi fabricam atque gubernationem; quiquid autem vel in coelo vel in terra creatum est, quantumvis amplum, excellens, illustre videatur, ab hoc opere uno divino quod in Maria tam electo vase peractum est, multis sane modis superatur et obfuscatur » (*De excellentia B. V.*, l. 3, c. 13).

III. Ecclesiae: 1) Pius IX in Bulla *Ineffabilis*: « Illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos, caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta, munifice cumulavit » 2) Leo XIII de excellentia divinae maternitatis in suis Encyclicis quaedam praeclarissima tradit. Per illam enim in excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocavit (*Augustissimae V. M.*, t. 5, p. 166); est haec maternitas praestantissima dignitas, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit (*Quamquam pluries*, t. 1, p. 254); imo emphatice asserit: « Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat » (Ib., p. 252).

IV. Ipsorum haereticorum: ita, e. g. Lutherus: « Qua re (titulo Matris Dei) tam praeclara et ingentia bona ei data sunt, ut superent captum cuiuscumque; hinc enim omnis honor ac beatitudo pervenit, ut in universo genere humano unica sit persona superior cunctis, cui nemo sit par, quod cum caelesti Patre Filium habeat communem ... Ergo propterea unico verbo eius honor concluditur, si *Parentis Dei* insigniatur nomenclatura, quondoquidem nemo maiora vel de illa praedicare vel illi nunciare possit, etiamsi tot linguas habeat quot flores terra herbulasque, caelum stellas, ac mare sustinet arenas ». (*Comment. ad B. M. V. Cant.*, Op. 9, 85, ed. 1544). Cfr etiam verba Doctoris Pusey (in *Eirenikon*, p. II, p. 24) relata a Neubert in op. *Marie dans le dogme*, p. 28.

II. **Ratione**: 1) *Ex pertinentia divinae maternitatis ad ordinem hypostaticum.* Illa totum ordinem creatum gratiae et gloriae dignitate superat quae pertinet ad ordinem hypostaticum, a quo procedit ordo gratiae sicut effectus a causa. Atqui B. Virgo pertinet ad ordinem hypostaticum. Ergo ...

Maior illo generali principio nititur: « dignitas seu excellentia alicuius rei desumitur ex eius unione cum Deo ac propinquitate ad Deum, qui est cuiuslibet dignitatis et excellentiae fons et origo ». Iamvero, unio cum Deo et propinquitas ad Deum maxime invenitur — ut iam praenotavimus — in ordine hypostatico. Ergo ...

Ad minorem. B. Virgo, enim, *realem* et *indissolubilem* relationem maternitatis habet ad Christum; sed Christus ad ordinem hypostaticum pertinet; ergo et B. Virgo ad ordinem hypostaticum pertinet: *relativa* enim sunt simul natura et cognitione. Humana Christi natura, quae est vinculum quo B. Virgo Verbo unitur, ex una parte est cum Verbo hypostatice unita, et ex alia parte est ex ipsa matris substantia desumpta. Ex hac intima *unione physica* (ob quam B. Virgo sua operatione generativa attingit ipsam personam divinam), derivatur maxima *unio mo-*

ralis seu amoris, eo quia Christus B. Virginem amavit amore *filiali* et B. Virgo Christum dilexit amore *materno* et ideo amore qui quemlibet alium amorem superabat.

Divina ergo maternitas et gratia inter se neque comparari possunt, eo quia ad *diversos ordines* pertinent.

Hoc idem primum argumentum etiam sub alia forma proponi potest, videlicet: Maior est unio cum Deo in eo qui *per se* et immediate refertur ad Deum, quam in eo qui refertur ad Deum tantummodo *per aliud* et *per participationem*. Atqui in maternitate divina B. Virgo per se et immediate refertur ad Deum, dum in filiatione adoptiva homo per aliud refertur ad Deum. Ergo maior est unio cum Deo in divina maternitate quam in filiatione adoptiva, et ideo divina maternitas excedit gratiam per quam filiatio adoptiva habetur.

Ad Min. Etenim, « relatio hominis ad Deum secundum adoptivam filiationem, exurgit quidem ex *operatione* cognoscendi et amandi Deum in se; sed ista operatio supponit *habitum gratiae*, quo potentia informatur, et proinde filius adoptivus *non immediate* refertur ad Deum, sed mediante habitu gratiae. Pariter, relatio Matris Dei ad Deum ipsum exurgit ex operatione generandi Deum; at ad huiusmodi operationem non requiritur habitus medius, ideoque Beata Virgo ut Dei Mater immediate refertur ad Deum, et sic proprissime divinitatis fines attingit.

Accedit quod, licet operatio intellectus, utpote altissimae potentiae, altior sit operatione generativae virtutis, quae est inferior potentia, tamen, quia generans generat sibi simile secundum formam naturalem et substantialem, intellectus autem sibi simile producit tantummodo secundum formam intentionalem et accidentalem, ideo unio quam facit divina maternitas tanto altior est unione beatae mentis ad Deum, quanto res aliqua specie illius rei altior est.

Praeterea, unio per gratiam, salvo subiecto, cessare potest, et etiam, absolute loquendo, unio per gloriam; at fieri nequit, etiam de potentia Dei, ut Maria cesset esse mater Dei: Deus enim facere nequit ut quod fuit non sit factum ». (Lépicier, o. c., pp. 92-93).

2) *Ex ratione mensurae et mensurati.* Mensura est potior mensurato (propter quod unumquodque tale et illud magis). Atqui divina maternitas est mensura omnium donorum naturae, gratiae et gloriae B. Virgini collatorum. Ergo divina maternitas est potior donis naturae, gratiae et gloriae.

Ad Min. Etenim, divina maternitas ad reliquas B. Virginis praerogativas et munera proportionali modo se habet ac unio hypostatica in Christo relate ad gratias et dona quibus humanitas eius fuit cumulata. Iamvero, unio hypostatica in Christo fuit principium, radix et mensura omnium gratiarum et donorum; ita et maternitas divina fuit in B. Virgine principium, radix et mensura omnium gratiarum et donorum. Hinc iure S. Ambrosius scripsit: « Inde novimus tantam gratiam illi (Mariae) esse collatam, quia Deum concipere meruit

ac parere » (*L. de natura et gratia*, c. 36, t. 10, col. 145). Et PIUS XI: « Quo ex divino maternitatis dogmate, veluti ex arcanae scaturiginis fonte, singularis profluit Mariae gratia eiusque summa post Deum dignitas » (Encycl. *Lux veritatis*).

Nec valet OBICERE *dispositiones* ad gratiam esse etiam *mensuram* gratiae, et tamen non esse potiores ipsa gratia. RESPONDERI enim potest dispositiones huiusmodi esse mensuram gratiae *secundum ordinem causae materialis*, quae infima est inter causas; divinam vero maternitatem esse mensuram gratiae in B. Virgine *secundum ordinem causae finalis*, quae est prima inter causas: ei enim tanta gratia collata est, *ut congrua* fieret Mater Dei: finis autem potior est mediis seu iis quae sunt ad finem.

III. *Ex cultu hyperduliae propter divinam maternitatem debito.* Ratione divinae maternitatis, debetur B. Virgini cultus specialis *hyperduliae*; dum ratione gratiae debetur ei cultus communis *duliae* tantum. Atqui cultus hyperduliae altior est cultu duliae (eo quia B. Virgini tribuitur ratione excellentiae quascumque alias excellentias supergredientis). Ergo et divina maternitas altior est gratia.

OBIECTIONES: I. Deus semper aliquid magis perfectum iis quae fecit facere potest (eo quia potentia eius exhauriri non potest). Ergo divina maternitas non est maxima dignitas ad quam pura creatura elevari potest.

RESPONDETUR: Quamvis Deus possit facere semper aliquid *entitative* magis perfectum iis quae fecit, tamen non potest facere aliquid *moraliter* maius divina maternitate: divina enim maternitas *terminatur* ad Deum, quo maius et melius dari non potest. Hinc, dum gratia sanctificans remanet semper *finita*, quia maior semper concipi potest, maternitas divina est aliquo modo *infinita* et nihi ea melius (ex parte *termini*) concipi potest...

II. Christus mulieri dicenti: « Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti », respondit: « Quinimo Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud » (Luc., 11, 28). Hac responsione Christus sat aperte significavit unionem mentis cum Deo *per gratiam*, potiorem esse unione creaturae ad Deum per maternitatem.

RESPONDETUR: *a*) Mulier illa *divinitatem* Christi et consequenter *divinam* Mariae maternitatem ignorabat; et ideo Christus, in sua responsione, non intendit comparationem instituere inter *divinam* maternitatem (quae ignorabatur a muliere) et gratiam, sed maternitatem pure *carnalem*, ordinariam (prout agnoscebatur a muliere illa) et fidem bonaque opera quae maternitate pure carnali, ut patet, praestant. Insuper, Christus, in sua responsione: « quinimo, beati ... » non negat Matrem suam esse beatam, et non excludit sed includit etiam matrem suam inter beatiores, eo quia, si beata est propter carnalem maternitatem, multo magis beata praedicatur a Christo (simul cum aliis qui audiebant verbum Dei et custodiebant) eo quia plus quam reliqui Verbum Dei audivit et custodivit.

b) Etiam dato et non concesso quod Christus comparationem inter gratiam et divinam maternitatem instituerit, nihil contra maternitatis divinae dignitatem ex verbis illius sequeretur: verba enim Christi nihil aliud evincerent nisi hoc: unionem cum Deo per gratiam, *beatiorem* hominem facere quam unionem per divinam maternitatem: quod ultro concedimus. Licet enim divina maternitas subiectum illius *in ordine quodam supremo* collocet et ita illum incomparabiliter nobilitet, non tamen propterea illum *beatum* simpliciter facit, cum beatitudo consistat *in actu fruitionis* Essentiae divinae, cuius gratia est veluti *semen*.

3) CONTENSON (l. c., diss. 6, c. 2) contendit « maternitatem Dei considerari posse et in esse formae et in esse dignitatis. In *esse formae* gratia sanctificans est perfectior, quia est ipsa formalis sanctitas creata intrinsece afficiens animam, quod non convenit maternitati. At vero in *ratione dignitatis*, maternitas Dei est potior, quia Virginem in gradu eminentiori collocat. Idque potest amplissimo exemplo explicari ex Prospero Fagnano deprompto. Cardinalatus, inquit, si conferatur cum Episcopatu in *ratione entis*, profecto inferior est; cardinalatus enim praecise sumptus, nullum intrinsecum imprimit characterem, sicut imprimit sacer episcopatus ordo, subindeque in esse entis et spiritualis potestatis inferior est: si tamen Cardinalatus consideretur in *ratione dignitatis*, quatenus nimirum Patrem purpuratum, Ecclesiae Principem, Vicarii Christi consiliarium, supremi iudicii senatorem, et veluti membrum ipsius Pontificis constituit, sub hac ratione Cardinales supremum sacerdotii gradum occupant, ipsos episcopos iudicant, quia episcoporum episcopi, romani antistitis, corpus moraliter ingrediuntur ».

Attamen distinctio haec Contensonii relate ad divinam maternitatem admitti non potest. Divina enim maternitas, non solum *ratione dignitatis* sed etiam *ratione formae* vel entitatis superior est gratia sanctificante; et hoc ob plures rationes, nempe: *a*) quia magis quam gratia seu filiatio adoptiva coniungit Deo, qui est fons sanctitatis; *b*) quia maternitas divina secumfert supernaturalem coniunctionem cum Deo *secundum esse*, dum gratia secumfert supernaturalem cum Deo coniunctionem *secundum operationem*: *c*) quia B. Virgini specialis cultus hyperduliae — ut diximus — ratione divinae maternitatis, non vero ratione gratiae debetur.

III. Visio beatifica mentem *immediate* unit Deo, dum divina maternitas non immediate unit B. Virginem Deo sed *mediate* i. e. mediante *humanitate* quam Christo praebet. Ergo...

RESPONDETUR: Verum est unionem cum Deo per visionem beatificam esse *immediatam* et unionem per maternitatem esse *mediatam*; attamen, dum visio beatifica est unio immediata cum Deo in *ordine logico* (eo quia divina Essentia fit veluti species mentem beatam immediate informans), divina maternitas, e contra, est unio mediata (mediante Christi humanitate) cum Deo *in ordine reali* et physico: coniunctio autem (quamvis mediata), in esse reali et physico est certe superior quam coniunctio quaecumque in ordine logico. « Ex hoc tamen — animadvertit Card. Lépicier, o. c., p. 95 — perperam deduceretur, sanctos Ioachim

et Annam coniunctionem cum Deo maiorem habere ex eo quod extiterint parentes Matris Dei, quam ex eo quod gratiam et gloriam sortiti sunt. Nam, imprimis, si ita esset, haec ratio valere deberet etiam pro omnibus Christi progenitoribus, quos inter plures extiterunt peccatores. Deinde, licet isti Sancti rectissime honorentur, propterea quod ex ipsis nata est Dei Mater, bonitas enim filiorum redundat in parentes, secundum illud (Prov., 10, 1): *Filius sapiens laetificat patrem*, — tamen accidit beatis Ioachim et Annae quod eorum filia Deum conceperit, sicut accidit patri quod filius eius vicissim pater existat, ideoque divinae maternitatis excellentia usque ad eos formaliter nobilitandos non pertingit ».

IV. – De dignitate Matris Dei considerata relate ad dignitatem Sacerdotalem.

Opinio reprobanda. P. Monsabré, post S. Bernardinum Senensem, [1] asseruit dignitatem maternitatis divinae esse dignitate Sacerdotali inferiorem, eo quia dum B. Virgo *semel* Christo esse humanum largita est, sacerdotes eidem *pluries*, i. e. quoties sacrum litant, esse sacramentale conferunt. En eius verba: « Vo' più innanzi, o Signori, ed oso dire con uno dei più pii e più ardenti e più gloriosi cantori delle grandezze di Maria, S. Bernardino da Siena, " che il Sacerdote per potenza si avvantaggia sulla più perfetta e più santa delle creature " *Excedit sacerdotalis potestas Virginis potestatem* (Sermo 20). Maria una sola volta ci diede il suo divin Figlio: il Sacerdote ce lo dà tutti i giorni; Maria ci ha dato un Cristo passibile e mortale: il sacerdote ci dà un Cristo glorioso ed immortale; Maria ci dà un Cristo che possiamo vedere, udire, toccare: il sacerdote ci dà un Cristo, che possiamo mangiare ed incorporarci; Maria intercede e domanda per noi la grazia: il sacerdote la spande nelle anime nostre; Maria grida: pietà per il povero peccatore! Il sacerdote gli dice: io ti assolvo. Maria è una onnipotenza supplichevole: il sacerdote è una onnipotenza operatrice » (*Esposizione del Dogma Cattolico*, conf. 80). Haud raro ab oratoribus haec eadem verba repetuntur.

Prop.: *Maternitas divina longe transcendit sive sacerdotium Novae Legis, sive Apostolatum.*

Prob.: 1) Qui praebet esse humanum Christo est supra illum qui praebet Ei statum *sacramentalem* tantum. Atqui B. Virgo praebuit Christo esse humanum, dum sacerdos praebet illi statum sacramentalem tantum. Ergo ...

Ad Min. Etenim B. Virgo Christum revera genuit secundum humanam naturam, ideoque praebuit Christo naturam humanam; dum e contra status sacramentalis nihil intrinseci addit supra humanum esse Christi, nullam mutatio-

[1] Op., ed. Venet., 1591, 1, 134, G-H; 135 A-G; 265 B-C.

nem inducit in corpore Christi: conversio enim panis et vini in corpus et sanguinem Christi « ita fit ut tota panis substantia divina virtute in totam Christi substantiam ... sine ulla Domini nostri mutatione convertatur. Neque enim Christus generatur, aut mutatur, aut augescit » (*Catech. Conc. Trid.*, n. 39).

2) Eucharistia est quodammodo prolongatio Incarnationis. Atqui Incarnatio non est peracta absque libero B. Virginis consensu. Ergo B. Virgo, consensum angelo praebendo, fuit causa veluti *radicalis* Eucharistiae. Insuper si Sacerdos verbum evangelicum praedicat, B. Virgo Verbum ipsum, lumen in sinu Patris absconditum, lux vera quae illuminat omnes, mundo visibile reddit.

3) Sacerdotium nostrum non est nisi participatio sacerdotii Christi. Atqui sacerdotium Christi redundat aliquo modo in Mariam. Ergo et sacerdotium nostrum redundat aliquo modo, veluti in fontem quemdam suum, in Mariam.

Ad Min. Etenim sacerdotalis ordinatio Christi in Incarnatione peracta est quatenus humanitas Christi uncta est divinitate Verbi. Atqui Incarnatio, et consequens Christi ordinatio sacerdotalis non est peracta absque consensu Mariae, quae unctionis sacerdotalis subiectum ministrare debebat, et quae templum veluti fuit in quo consecratio fieri debebat. (Cfr De la Taille, *Myst. fidei*, eluc. 50, epil., not. 3, p. 649, ed. 2, Parisis, 1924).

Absque Incarnatione ergo, nec Eucharistia nec sacerdotium locum habuissent; sed Incarnatio adimpleta est per Mariam. Ergo ...

4) Privilegia gratiae (proportionata semper officio) quae a maternitate divina exiguntur, incomparabiliter excedunt privilegia gratiae quae a Sacerdotio exiguntur. Ergo ...

5) Causa universalis superat particulares. Atqui divina maternitas est in opere salutis causa quaedam universalis (eo quia respicit omnes homines et omnia genera gratiae, etiam sacerdotium et apostolatum) dum sacerdotium et apostolatus sunt causae particulares. Ergo ...

Iure ergo Bonomelli, interpres Italicus Collationum P. Monsabré, haec animadvertit: « È un esercizio di rettorica di poco buon gusto quello di certi predicatori, i quali per mostrare la grandezza del sacerdote, non sono paghi di paragonarla a quella di Maria santissima, ma la fanno ad essa superiore esclamando con enfasi: "Maria dà la vita a Gesù Cristo una sola volta e il sacerdote lo fa nascere tante volte quante sono le Messe che celebra!". E credono di aver detto una cosa meravigliosa... Queste esagerazioni oratorie suonano male e disgustano » (l. c., p. 59, nota). Et p. 93 in nota: « Sono luoghi comuni, esercizi di rettorica, antitesi oratorie e nient'altro: sarebbe come dire che la forza di un fiume che precipita dalla cascata del Niagara, vince quella dell'attrazione della terra, mentre non è che una minima partecipazione. Dove sarebbe il potere di causare nel sacerdote, se Maria non ci avesse dato il Figliuol suo? ».

Cum ergo dignitas sacerdotalis omnes alias dignitates huius mundi superet, dignitas Matris Dei omnes omnino dignitates transcendit.

V. – De fundamento supremo dignitatis B. M. Virginis.

I. **Ratio quaestionis.** Ratio suprema et ideo fundamentum supremum ob quod Deipara dignitate, ratione quadam infinita, insignitur et universum creatum ordinem naturae, gratiae et gloriae transcendit, non alia est nisi mysteriosa eius pertinentia ad ordinem hypostaticum, vi cuius inseritur familiae divinae. Praestat ergo fundamentum hoc in pleniori luce, quantum fas erit, reponere.

II. **De triplici perfectionis et dignitatis ordine.** Ordo, prout docet Angelicus, « includit in se aliquem modum prioris et posterioris, unde oportet quod ubicumque est aliquod principium sit etiam aliquis ordo » (II-II, q. 26, a. 1). Ordo igitur nihil aliud est quam dispositio plurium secundum prius et posterius, relate ad aliquem finem a quo plura illa ad unitatem rediguntur.

In ordine igitur hypostatico habetur maxima communicatio divinitatis. Definiri potest: Dispositio plurium secundum prius et posterius in ordine ad unionem hypostaticam seu ad Incarnationem Verbi. Incarnatio igitur est causa, principium ordinis hypostatici. Quicumque vero ad unionem hypostaticam seu ad Incarnationem concurrit, pro modo quo concurrit, ad ordinem hypostaticum pertinet. [1]

Dupliciter vero B. Virgo intelligi potest ordinata ad ordinem hypostaticum, *intrinsece* et *extrinsece*: *a*) *intrinsece* quis pertinere potest ad ordinem hypostaticum si ad illum tendit intrinseca sua inclinatione sive naturali sive supernaturali, ita ut virtute propriae operationis attingat finem, seu unionem ipsam hypostaticam; *b*) *extrinsece* vero quis pertinere potest ad ordinem hypostaticum, si unionem hypostaticam non attingit immediate seu virtute propriae operationis, utpote non habens ex sese inclinationem intrinsecam seu tendentiam teleologicam ad talem unionem seu finem. [2]

III. **Theologorum sententiae.** Quod B. Virgo ad ordinem hypostaticum, ratione divinae maternitatis, pertineat, omnes Theologi concedunt. At, quidam, verbis saltem, tenent B. Virginem pertinere *extrinsece* et reductive ad ordinem

[1] Aliquando B. Virgo dicitur pertinere *ad unionem hypostaticam*. Iste modus dicendi rite intelligendus est. Etenim, unio dupliciter considerari potest: *a*) in *fieri* et inchoative, et *b*) *in facto esse* et formaliter. Ad unionem *in facto esse* (prout significat nempe unionem ipsam duarum naturarum in unica persona Verbi) *solummodo* natura humana et divina, quae ad talem unionem concurrunt, *intrinsece* pertinere possunt. Hoc sensu igitur B. Virgo nullimode ad unionem hypostaticam intrinsece pertinet, sed extrinseca remanet. Si vero consideratur unio *in fieri* seu inchoative, B. Virgo ad unionem hypostaticam aliquo modo pertinet, utpote concausa talis unionis. Attamen, quia per *unionem hypostaticam* intelligitur simpliciter unio *in facto esse*, simpliciter dici nequit B. Virginem pertinere ad *unionem hypostaticum*. Bene vero dici potest, prout videbimus, pertinere ad *ordinem hypostaticum*, et quidem *intrinsece*.

[2] Animadvertendum est quod pertinere *extrinsece* ad ordinem hypostaticum, nihil aliud est, de facto, nisi esse *extra ordinem* hypostaticum, et ideo ad ipsum nullimode pertinere.

hypostaticum; ita *Nazarius* (in III, q. a. 5, 3 a. Controversia), *Salmanticenses* (*De Incarnat.*, t. 1, disp. 4, dub. 3, n. 76), *Ioannes a S. Thoma* (*De Incarnat.*, disp. 2, a. 1, n. 24; disp. 10, n. 20) etc. — Alii, e contra, tenent B. Virginem *intrinsece* et per se ad ordinem hypostaticum pertinere.

Prop.: *Maternitas divina ad ordinem hypostaticum intrinsece pertinet.*

Probatur: Fundamentalis ratio huius rei ex hoc desumitur quod maternitas divina est una ex realitatibus ad unionem hypostaticam seu ad communicationem personalem intrinsece ordinatam. Terminatur enim ad humanitatem a Verbo in unitatem personae assumptam et quidem ut assumptam, ita ut per suam Incarnationem persona divina facta sit terminus et finis intrinsecus maternitatis B. Virginis. Sive ergo *humanitas* Christi, sive *maternitas* Virginis (ratione *tendentiae teleologicae* supernaturalis ad personam divinam generandam secundum naturam humanam), *relationem directam* dicunt, quamvis diversimode, ad eundem *terminum* seu ad divinam Verbi personam a qua specificantur, videlicet: *humanitas* Christi dicit relationem *unionis*, dum *maternitas* Virginis dicit relationem *originis* ob intimum nexum cum humanitate a Verbo ex Virgine assumpta et quidem ut assumpta. Iure Suarez: « Dignitas Matris Dei pertinet quodammodo ad ordinem unionis hypostaticae; illam enim *intrinsece* respicit et cum illa *necessariam* connexionem habet » (*De Myst. vitae chr.*, disp. 20, sect. 3, n. 7).

Unio igitur hypostatica et maternitas divina, in praesenti ordine Providentiae, ita sunt correlativa, ut una sine altera nec esse nec cogitari potest: nec unio hypostatica absque maternitate divina, nec maternitas divina absque unione hypostatica.

APPENDIX I

UTRUM MATERNITAS DIVINA, NUDE SUMPTA, FORMALITER SANCTIFICET B. VIRGINEM

I – Obiectum inquisitionis

Quaeritur hic utrum maternitas divina, nude sumpta, seu antecedenter ad gratiam habitualem creatam (i. e. ad gratiam sanctificantem), dici possit aliquo modo *formaliter sanctificare* per seipsam (actualiter-immediate) B. Virginem.

II – Theologorum sententiae[1]

Circa hanc quaestionem distingui potest *triplex Theologorum sententia*, videlicet, *A*) sententia P. Ripalda; *B*) sententia Doctoris Scheeben, et *C*) sententia Salmanticensium etc.

A) **Sententia P. Ripalda**. P. Ioannes Martinez de Ripalda, S. I., primus fuit qui quaestionem hanc excitavit, illamque affirmative resolvit in amplissima dissertatione cui titulus: «*An dignitas Deiparae ex se sola, seorsim a gratia habituali, possit sanctificare personam et dignificare opera supernaturalia ad meritum vitae aeternae*» (in op. *De ente supernaturali* disp. 79). Iuxta P. Ripalda, maternitas divina, ex se sola, producere potuisset in B. Virgine omnes effectus qui gratia sanctificante producuntur, constituere nempe Dei Genitricem amicam Dei, filiam eius adoptivam, capacem merendi vitam aeternam. Attamen, P. Ripalda tenet B. Virginem, de *facto*, tales effectus gratiae habitualis ex sola gratia sanctificante (iuxta legem Dei ordinariam) habuisse, non vero ex ipsa maternitate divina. Admittit igitur relate ad maternitatem divinam nude sumptam solam *possibilitatem* producendi, *in alio ordine providentiae* (non vero in praesenti ordine), omnes effectus gratiae sanctificantis proprios.

Postquam enim asseruit «iuxta legem ordinariam Dei nulla fuisse Deiparae merita quae non dignificarentur a gratia habituali» (o. c., II, Disp. 79, p. 48), quaerit «an *in alio genere providentiae* posset sanctificari B. Virgo eiusque opera possent dignificari in ordine ad praemium vitae aeternae» (o. c., disp. 79, p. 47).

[1] « Haec quaestio, antiquioribus ignota Theologis, moveri coepit iam pridem a quibusdam amatoribus Virginis, quorum magis laudabilis pietas quam vera sententia » (De Rhodes, *Disp. de B. M. V.*, q. 4, p. 233).

Sententiae P. Ripalda adhaeserunt VEGA (*Theol. Mariana*, Palaestra 36), SEDLMAYER (*Scholastica mariana*, in *Summa Aurea*, BOURASSÉ, vol. 7, n. 1495) etc.

B) **Sententia Doctoris Scheeben.** Celeberrimus Scheeben negavit divinam maternitatem, nude sumptam, producere posse, ex se sola, omnes effectus formales gratiae sanctificantis proprios. Recessit itaque simpliciter a sententia P. Ripalda.[1] Admittit tamen maternitatem divinam, per se solam, sanctificare, et quidem formaliter, ipsam Dei Genitricem, modo analogo ac unio hypostatica sanctificavit Christum.

Maternitas sponsalis Deiparae, seu Maternitas ratione cuius B. Virgo est Mater et Sponsa Verbi, *characterem personalem* eiusdem constituit. Hic autem character personalis, cum sit realitas quaedam Virgini intrinseca et supernaturalis, est veluti gratia quaedam ontologica ipsius, gratia nempe « quasi substantialis », consecratio quaedam divina, quae est titulus exigitivus plenitudinis gratiarum et privilegiorum Deiparae.

Insuper, personalis character Deiparae, iuxta Scheeben, resolvi debet, tandem aliquando, ad quandam *unionem* Virginis benedictae cum Spiritu Sancto qui est principium sanctitatis Mariae (sicut et Ecclesiae) ex quo praeparata fuit ad maternitatem sive *remote* (per indefectibilem praedestinationem ad supernaturalem generationem Verbi) sive *proxime* (in momento conceptionis Verbi). Quapropter, sicut Christus homo fuit unctus et Deo consecratus, et quidem substantialiter, per propriam Deitatem, ita Deipara fuit veluti uncta et Deo consecrata per divinam maternitatem, non quidem substantialiter, sicut Christus (cum Deipara sit pura creatura), sed per inhabitationem physicam Verbi cui tamquam sponsa coniuncta fuit. Et hanc suam sententiam Scheeben veluti graphice expressam videre voluit in verbis illis S. Bernardi: « Quam familiaris facta es, Domina, quam proxima, imo quam intima (Deo) fieri voluisti; quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet et tu in eo, et vestis eum et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestis solem nube, sole ipsa vestiris... Iure Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimum sapientiae ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili, videatur immersa » (*Serm. Dom. infra Octavam Assumpt.*, PL 183, 1007).[2]

Sententiam Scheebenianam plus minusve secuti sunt P. MÜLLER S. I. (*Mariologia*, th. 4, p. 172), P. LERCHER S. I. (*Instit. Theol. Dogm.*, 3, n. 353, p. 335) qui, praemissa distinctione inter sanctitatem *moralem* (seu in operando) et sanctitatem *ontologicam* (seu in essendo),[3] asserunt maternitatem divinam

[1] Cfr GREGORIO R. DE YURRE, *La teoria de la maternidad divina, formalmente santificante en Ripalda y Scheeben*, in *Estudios Marianos*, a. 3, vol. 3, Madrid, 1944, pp. 255-266.

[2] Cfr *Handbuch der Kat. Dogm.*, vol. III, l. 5, c. 5, parr. 275-278.

[3] Sanctitas *ontologica*, iuxta P. Müller, « nihil aliud est, nisi supernaturalis et physica cum Deo subsistente bonitate unio; qua unione, tamquam principio formali subiectum unitum Deo gratum et amabile redditur, naturae divinae particeps atque filius et haeres Dei con-

sanctificare formaliter B. Virginem ontologice, et esse simul *radicem* sanctitatis *moralis*. Dignitate igitur maternitatis divinae, citra actualem praesentiam gratiae habitualis, B. Virgo sanctificata fuisset eodem modo ac Humanitas Christi, citra gratiae habitualis infusionem, sanctificata fuit; cum hoc tamen discrimine quod Christus per unionem hypostaticam *substantialiter*, B. Virgo vero per divinam maternitatem *accidentaliter* tantummodo (utpote pura creatura) sanctificata fuisset.

Idem plus minusve sentiunt P. Marie-Joseph Nicolas O. P. (*Le concept intégral de Maternité Divine*, in *Rev. Thom.*, 1937, pp. 231 sq.), [1] P. Rogatien Bernard, O. P. (*Le Mystère de Marie*, ch. 3, p. 42), P. Keuppens (*De dignitate Matris Dei in ordine ad meritum*, in *Div. Th. Plac.*, 1933, pp. 552, 553; et in *Mariologiae compendium*, c. 2, p. 37) etc. Al. Ianssens tenet B. Virginem per dignam suam divinam maternitatem in suo intimo esse sanctificari, habitualiter conversam esse ad Dei Filium, gratam Deo ac remotam a peccato (*De Heerlijkheden van het Goddelijk Moederschap*, pp. 266-276, Antwerpen, 1939). Sententiam hanc fusiori calanno nuper exposuit ac vindicavit P. G. Rozo, C. M. F., in opere *Sancta Dei Genitrix*, Mediolani, Àncora, 1943. [2]

C) **Sententia Salmanticensium.** Salmanticenses (L. 10, diss. 6, c. 2, spec. 2); Contenson (*Theol. mentis et cordis*, t. 3, l. 10, diss. 6, c. 2, specul. 2); De Rhodes (*In III P. S. Th., Disp. de B. M. V.*, q. 4, s. 1); Theophylus Raynaud (*Dyptica Mariana*, op., t. 7, pp. 202 sq.); Morgott (*La Mariologie de S. Thomas d'Aquin*, c. 4, par. 16 in nota); P. Pesch (*Praelectiones*, vol. 4, a. 1, prop. 47, coroll.); Van Noort (*De Deo Redemptore*, n. 198); Muncunill (*De Verbi Div. Incarn.*, q. 1, a. 4, n. 1137, p. 573), Hugon (*De B. V. Deip.* a. 1, a. 4) etc. negant maternitatem divinam, praecisive sumptam formaliter sanctificare B. Virginem, citra gratiam habitualem. Nemo tamen negat B. Virginem *radicaliter et remote* aut *exigitive* sanctificatam fuisse per maternitatem divinam, quatenus postulabat et connaturaliter exigebat *effectus* gratiae, imo illam gratiarum singularissimam plenitudinem quam Dei Genitricem decebat.

stituitur, ab eodem subiecto peccatum excluditur nec non operibus eiusdem maior aestimabilitas atque valor confertur » (l. c., p. 174). Prout ex hac definitione et ex universa argumentatione apparet, sententia P. Müller a sententia Scheeben valde recedit et ad sententiam P. Ripalda valde accedit.

[1] Notatu digna sunt verba P. Nicolas qui, post quosdam textus citatos, scribit: « Tous ces textes nous disent assez clairement que la maternité virginale est un don surnaturel, et qu'elle réalise une certaine possession de Dieu entre la grâce sanctifiante et la grâce d'union. On la présente comme l'effet d'une surabondante présence de l'Esprit Saint qui se met à produire en elle, non seulement plus de grâce, mais plus que la grâce » (l. c., p. 235).

[2] Cfr animadversiones contra hoc opus a nobis propositas in *Marianum*, 8 (1946) 172-74.

III. – Quid de tribus istis sententiis dicendum

A) **Sententia P. Ripalda** omnino reicienda videtur. Unica enim forma formaliter sanctificans, seu producens ex se omnes formales gratiae habitualis effectus, est gratia sanctificans, prout ex Concilio Tridentino apparet (Denz., 822). Hinc, etiam in alio ordine providentiae (mere possibili) aegre omnino concipi potest maternitas divina tamquam una ex possibilibus gratiis habitualibus seu iustificantibus.

B) **Sententia Doctoris Scheeben**. Vera nobis videtur secundum quid. Certe, negari non potest B. Virginem, per divinam maternitatem nude sumptam, dignificari modo fere infinito, quia fit revera mater Divina, Deo amicissime coniuncta (tamquam Mater filio et Filius matri) et in ordine hypostatico excedente ordinem ipsum gratiae et gloriae collocata. Attamen, haec omnia, *sanctificatio formalis* improprie omnino dicuntur. Alia enim est sanctitas materialis, ontologica rei vel personae; et alia est sanctitas formalis inhaerens animae vel personae ut tali. Prima enim (sanctitas, uti aiunt, *ontologica*) est *impropria*, et dicitur de rebus aut personis quae, ab usu profano separatae, offeruntur, dedicantur et aliquo modo uniuntur Deo, fiunt sacrae et ei destinantur. Secunda sanctitas (*formalis*) e contra, est sanctitas *proprie* dicta, non denominative sed intrinsece et realiter, in gratia habituali consistens, seu in dono supernaturali entitativo, in forma essentiae animae inhaerente, in interiore iustitia quae nos reddit Dei filios, capaces merendi vitam aeternam: quae omnia sanctitati, uti aiunt, ontologicae minime competunt. Non sufficit enim forma quaecumque intrinsece inhaerens et supernaturalis, qualis est maternitas divina, ad sanctitatem *formalem* (proprie dictam) constituendam, sed requiritur omnino quod talis forma sit gratia sanctificans, prout ex verbis Tridentini erui posse videtur.

Analogia vero inter Incarnationem et divinam Maternitatem, insufficiens nobis videtur ad probandum maternitatem divinam formaliter sanctificare B. Virginem, cum Theologi haud pauci teneant gratiam unionis, in Christo, non sanctificasse formaliter eius SS. Humanitatem, quae proinde gratia sanctificante et quidem summe repleta fuit.[1]

[1] Varia argumenta quae afferuntur a P. Müller, valde debilia nobis videntur. Argumenta haec desumuntur: 1) *ex S. Scriptura* (ex salutatione: Ave, gratia plena ...), *et SS. Patribus*, 2) *ex summa dignitate Maternitatis divinae*, 3) *ex unione cum Deo quam maternitas divina infert*, 4) *ex quibusdam divinae maternitatis habitudinibus* (i. e. ex habitudine *a*) principii sanctificationis relate ad alios homines, *b*) dominii et auctoritatis in omnes creaturas, *c*) auctoritatis maternae in Deum — hominem puerum Iesum); 5) *ex cultu hyperduliae B. Virgini debito*, 6) *ex effectibus formalibus gratiae sanctificantis* (quatenus nempe maternitas divina B. Virginem: *a*) aequivalenter saltem participem reddit naturae divinae; *b*) eminenti ratione filiam Dei constituit atque heredem bonorum divinorum et vitae aeternae; *c*) arctissimo amoris et amicitiae

C) **Sententia Salmanticensium etc.** Vera est cum reicit sententiam P. Ripalda et cum asserit maternitatem divinam *exigitive* sanctificare B. Virginem. Attamen, nimium negligere videtur quidquid boni in sententia Doctoris Scheeben invenitur.

IV. – Nostra sententia

Ex dictis iam patet quomodo etiam nos reicimus omnino sententiam P. Ripalda etc. Relate tamen ad sententiam Doctoris Scheeben, non rem sed potius modum loquendi reicimus. Etenim, quae scripta sunt a Scheeben et ab illis qui illum secuti sunt, vera nobis videntur. Nemo enim negare potest maternitatem divinam, seu relationem realem B. Virginis ad Verbum, esse realitatem quamdam intrinsecam et entitative supernaturalem, B. Virgini dignitatem fere infinitam conferentem, et illam Deo prae omnibus dilectissimam reddentem. At haec omnia, potius quam *formalis sanctificatio*, appellanda sunt *formalis consecratio* ad hoc ut terminorum confusio rite vitetur. Ontologica enim sanctificatio nonnisi *improprie* sanctificatio nuncupatur: proprie enim nihil aliud est nisi formalis consecratio vel dedicatio, qua B. Virgo ab aeterno destinatur et in tempore fit Deo *coniuncta* secundum esse, ob intrinsecam eius pertinentiam ad ordinem hypostaticum.

Omnibus, igitur, perpensis, putamus divinam Maternitatem: 1) non sanctificasse *formaliter*, citra gratiam habitualem. B. Virginem, sed 2) *radicaliter remote* aut *exigitive*, quatenus postulabat et connaturaliter exigebat *effectus* gratiae, imo illam gratiarum copiam quam Dei Matrem decebat.

Ratio 1^1 est: *a*) sanctitas *formalis* est forma supernaturalis animae physice inhaerens; dum divina maternitas non est forma quaedam sup. intrinsece animae B. M. V. inhaerens; *b*) magna adest differentia inter unionem hypostaticam et maternitatem divinam: humanitas enim Christi, Verbo divino secundum subsistentiam unita, a Verbi *sanctitate* aliena esse non potest; dum divina B. Virginis maternitas, B. Virginem in sua propria personalitate relinquit, a personalitate Filii Dei bene distinctam; et ideo, quamvis eius maternitas *relationem* dicat ad Dei Filium (in vera Eiusdem generatione fundatam), a termino suae relationis i. e. a Filio Dei, formaliter sanctificari non potest.

Ratio 2^1 est quia divina maternitas effectus gratiae sanctificantis expostulat. Quadruplex enim est effectus gratiae sanctificantis, videlicet: 1) *participatio physica naturae divinae* ex qua sequitur supernaturalis filiatio. Iamvero iste primus et essentialis effectus a maternitate divina postulatur: ratione enim maternitatis

vinculo cum Deo nectit atque gratissimam reddit; *d*) non solum quodvis peccatum, sed etiam peccati fomitem expellit; *e*) operationes Virginis, per divinam maternitatem, insigni modo dignificantur et excellentem valorem meritorium habent (l. c., pp. 175-192). Haec omnia argumenta nonnisi *exigentiam* gratiae sanctificantis de facto evincunt.

divinae, B. Virgo — ut videbimus — fit *consanguinea* Christi et *affinis* Deo, ita ut iuridice in Dei familiam inseratur, et ideo etiam quamdam naturae communitatem cum Deo suscipere debet i. e. participationem divinae naturae seu gratiam sanctificantem. 2) Ex primo et essentiali effectu oritur secundus, seu *amicitia* cum Deo, eo quia per gratiam homo fit Deo gratus et acceptus. Iamvero, dicta maternitas ob naturale praeceptum dilectionis inter matrem et filium, veram cum Deo *amicitiam* importat et quidem *supernaturalem* (cum sit maternitas supernaturalis), quae sanctificationem praestat: Deus enim, aliquem in ordine supernaturali diligendo, reddit illum sibi gratum et sanctum per collationem gratiae. 3) Terminus gratiae est *habitatio* totius Trinitatis in anima iusti. Iamvero maternitas divina, cum specialissimas relationes importet — ut vidimus — cum tribus personis SS. Trinitatis, istae tres Personae in illa inhabitare debent. 4) Gratia sanctificans peccatum excludit *actu*. Iamvero, maternitas divina peccatum excludit non solum *actu* sed etiam *potentia*, ita ut impeccabilitatem secumferat: est enim *inamissibile* privilegium quod inamissibilem ergo amorem inter Matrem et Filium (et ideo perpetuam exclusionem peccati) requirit.

APPENDIX II

UTRUM B. VIRGO DICI POSSIT CAUSA EFFICIENS INSTRUMENTALIS IN INCARNATIONE VERBI

Praenotanda: I. **De natura causae instrumentalis**. Causa dividitur in principalem et instrumentalem: *a*) Causa *principalis* illa dicitur quae ad effectum producendum agit *virtute sibi propria*, i. e. habente esse completum in ipsa, et effectui proportionata; e. g. pictor est causa principalis tabulae quam depinxit. *b*) Causa *instrumentalis* est illa quae ad effectum producendum operatur *virtute sibi derivata* a principali agente a quo elevatur, movetur et regitur; e. g. penicillus quo utitur pictor est causa instrumentalis tabulae depictae.

Instrumento igitur competit *duplex actio*: *a*) una *propria* seu connaturalis (secundum virtutem propriam, habentem esse *permanens* in ipso) quae actio perficitur ab instrumento ad simplicem motum localem: e g. extendere colores est actio propria penicilli; *b*) alia proprie *instrumentalis* (secundum virtutem *fluentem*, transeuntem) quae actio perficitur ab instrumento in *virtute motionis* a superiore agente; e. g. extendendo colores (actio propria), penicillus producit tabulam depictam (actio instrumentalis). Causa principalis, ergo, *elevat*, modificat actionem propriam instrumenti. Hinc actio instrumenti, in *quantum est instrumentum* (non vero in quantum est *res quaedam*), non est alia ab actione principalis agentis; sic, e. g. facere picturam (actio instrumenti ut instrumenti) non est alia ab operatione pictoris, sed est operatio penicilli participantis instrumentaliter operationem artificis. Iamvero, instrumentum formaliter tale constituitur non iam secundum actionem et virtutem *propriam* seu connaturalem, sed secundum actionem et virtutem *instrumentalem*; et propter hoc effectus (e. g. pictura) proportionatur et assimilatur non iam instrumento (e. g. penicillo) sed causae principali (i. e. arti quae est in mente pictoris).

II. **Sententia Suarezii**. Suarez docuit tamquam probabile, Spiritum Sanctum, causam efficientem principalem, B. Virginem assumpsisse tamquam instrumentum Incarnationis Verbi seu unionis hypostaticae. « Videtur — scribit Suarez —... potuisse Deum sumere creaturam ut causam instrumentalem sicut ad alios effectus supernaturales v. g. ad transubstantiationem. An autem B. Virgo sic attigerit effective, ut causa instrumentalis, unionem hypostaticam, potest quidem videri probabile quia ad maiorem illius dignitatem pertinet ... Est quidem hoc pium et probabile, attamen *non necessarium*, quia creatio animae Christi adeoque eius unio cum Verbo, natura prius fuisse videtur quam informatio circa quam versatur concursus maternus; si per hunc B. Virgo effective ad illam non

concurrit, ideoque verisimilius est, loquendo de prima huius mysterii effectione, eam a solo Deo fuisse peractam » (*De Myst. vitae Chr.*, disp. 10, sect. 1, n. 9).

III. **Sententia Card. Lépicier**. Dum Suarez tamquam *probabilem* proposuit sententiam de instrumentalitate Virginis in mysterio Incarnationis, Card. Lépicier illam tamquam *certam* proponit (o. c., p. 98). Huic sententiae adhaeret etiam cl. I. Bittremieux. [1]

IV. **Sententia P. Nicolas** est omnino contraria. Scribit enim: « Nous rejetons entièrement cette instrumentalité que Suarez a cru pouvoir admettre et dont Vasquez a même imprudemment fait une condition de la maternité Divine » (*Le concept intégral de maternité divine*, in *Rev. Thom.*, t. 42, [1937] p. 4).

V. **Sententia nostra**. Rebus omnibus rite perpensis, putamus assentiendum esse sententiae Card. Lépicier, tamquam sententiae saltem probabili, nedum quia magis honorifica pro B. Virgine apparet, sed etiam quia sive notioni philosophicae causae instrumentalis sive notioni maternitatis divinae, ut divinae, melius respondet. In qualibet enim causa instrumentali duplex actio et consequenter duplex virtus — prout in initio exposuimus — distingui debet: *propria* nempe et *instrumentalis*; actio vero *propria* elevatur a causa principali ad effectum producendum, quem sola sua actione propria producere non potuisset. Iamvero hoc in mysterio Incarnationis factum esse conspicimus. Actio enim *propria* B. Virginis (i. e. praebere materiam conceptioni aptam), elevata fuit a causa principali seu a Spiritu Sancto ad effectum ad quem pervenire non potuisset, ad generandum nempe corpus non iam puri hominis sed Dei. Operatio igitur instrumenti (i. e. B. Virginis) ut instrumenti, alia non fuit ab operatione principalis agentis (i. e. Spiritus S.). Fuit igitur B. Virgo causa instrumentalis unionis hypostaticae, non iam *perfectiva* (seu attingens in se suum effectum) sed *dispositiva*, hoc sensu quod, actio eius materna erat dispositio quaedam unionem hypostaticam postulans, a Deo, causa principali, postea in actum deducta.

Nec valere videtur obiectio: Mater non est causa instrumentalis sed causa principalis, simul cum patre, in generatione filiorum. Hoc enim concedi potest relate ad generationes naturales, non vero relate ad generationem illam *supernaturalem* in qua concursus maternus B. Virginis elevari debuit, et de facto elevatus fuit, ad hoc ut ad *personam divinam* terminaretur.

Hoc modo melius intelligitur quomodo B. Virgo *pertineat* ad ordinem hypostaticum, vel — iuxta alios — *tangat* ordinem hypostaticum. Basis enim seu radix huius pertinentiae invenitur praecise in *instrumentalitate* Deiparae relate ad unionem hypostaticam.

[1] Cfr *Utrum B. Virgo dici possit causa efficiens instrumentalis unionis hypostaticae?*, in *Ephem. Theol. Lovan.*, t. 21, ian. 1944-dec. 1945, pp. 167-180.

Cap. II – DE B. M. VIRGINE MATRE CREATURARUM

Ratio quaestionis. Secunda veluti basis super qua magnitudo Virginis surgit, in spirituali seu supernaturali maternitate relate ad omnes creaturas invenitur. Hinc momentum et ratio huius quaestionis.

Divisio quaestionis. Cum vero creaturae filiationis capaces sint Angeli et homines, hinc, quaestionem hanc in duos articulos subdividimus, videlicet:

I. *De B. M. Virgine Matre Angelorum.*

II. *De B. M. Virgine Matre hominum.*

Art. 1 – De B. M. Virgine Matre Angelorum

Theologorum sententiae. Quod B. Virgo, aliqua saltem ratione, Angelorum Mater dici valeat, theologi omnes concedunt. Non omnes tamen concedunt angelos eodem iure eademque ratione ac homines, Mariae filios appellari posse. Ratio est quia Angeli, secus ac homines, minime receperunt a Deipara — iuxta quosdam — primam gratiam neque substantiam gloriae, sed accessoria vitae tantummodo. Sententia haec communiter a theologis illis tenetur qui putant Incarnationem a peccato *dependere* tamquam a *conditione sine qua non.* [1]

Alii theologi, e contra, tenent B. Virginem Matrem esse Angelorum eodem gradu eademque ratione ac Matrem hominum. Ita Virgilius Sedlmayr, qui scripsit: « Christus et B. Virgo meruerunt Angelis gratiam habitualem et gloriam essentialem merito dignitatis spectante ad causam finalem, quatenus Angeli sunt creati, gratia et gloria donati propter Christum et Mariam ». Et adiungit: « Haec assertio est res *communis* Theologorum ». [2] Huic secundae sententiae adhaerendum putamus.

Prop.: *B. V. Maria, pleno iure dici posse videtur Angelorum Mater.*

Propositio haec nobis videtur saltem *solide probabilis.*

Animadvertendum tamen est B. Virginem meruisse Angelis gratiam habitualem et beatitudinem essentialem, non iam merito spectante ad genus causae meritoriae *efficientis*, sed merito spectante ad genus causae *finalis*, seu quatenus Angeli sunt creati, gratia et gloria donati propter Christum et Mariam, id est, in gloriam Regis et Reginae universorum. Ratio prioris assertionis ex hoc patet quod Christus et B. Virgo non potuerunt existere *physice* prius quam praemium

[1] Cfr Terrien J. B., *La Mère des hommes*,, t. 2, pp. 137-148. Theologus iste tenet insuper B. Virginem *Matrem totius mundi* appellari posse, eo quod ratione mediationis eiusdem omnia sunt *recreata*, nobilitata et ad perfectionem perducta.

[2] *Theologia Mariana*, ap. Bourassé, *Summa aurea*, t. 8, coll. 110 ss.

seu gloria Angelorum, cum isti, statim post pugnam cum Lucifero et Angelis eius apostaticis, gloriam aeternam consecuti sint.

Prob.: I. **Auctoritate S. Scripturae**: 1) In Ev. S. Ioannis (1, 16) dicitur de Christo: « de plenitudine eius omnes accepimus ». Circa quae verba S. Thomas (in *Comm. in Ioan.*, lect. 10) haec habet: « Omnes Apostoli, patriarchae, et prophetae, et iusti, qui fuerunt, et sunt et erunt, et etiam omnes angeli, etc. Quia plenitudo gratiae, quae est in Christo, est causa omnium gratiarum quae sunt in intellectualibus creaturis ». Iamvero, quae Christus meruit de condigno, B. Virgo promeruit de congruo.

2) In Ep. ad Ephesios (1, 10): legimus: « (Proposuit Deus) instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt ». Per verba: « quae in caelis », intelliguntur ab interpretibus angeli, quatenus propter Christum iustificati et salvati sunt, idest *praeservati* sunt a lapsu et ab aeterna damnatione. Confirmatur iis quae leguntur in Ep. ad Colossenses, ubi dicitur: « Complacuit per eum (id est per Christum) reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, *sive quae in caelis*, sive quae in terris sunt ». Agitur hic, iuxta sensum obvium, de Christi passione vi cuius etiam angeli, per praeservationem a lapsu, salvi facti sunt.

Prob.: II. **Traditione**. Multa enim testimonia in favorem propositionis nostrae adduci possunt. Ita, e. g., HERMAS, in suo « Pastore », asserit quod solummodo per Christum angeli et homines ingressi sunt regnum Dei (Lib. 3, simil. 9, cap. 12, PG 2, 991). Ita etiam asserunt S. Hippolytus Martyr (*Contra Beron. et Helic.*, serm., PG 6, 834); ORIGENES (*In Ev. Ioann.*, t. 1, n. 40, PG 14, 134; *Anal. sac. Spicil. Solesm.* t. 3, p. 159, Paris, 1883, Schol. in Luc., cap. IV, PG 17, 331); S. HILARIUS PICTAVIENSIS (*De Trinit.*, lib. VIII, 50, PL 9, 642, 302); S. ATHANASIUS (*In Ps. 38*, v. 3, PG 27, 383); BASILIUS SELEUCENSIS (*Homil. in Ps. 45*, n. 5, v. 6, PG 29, 423); S. GREGORIUS NAZIANZENUS (Or. 45, *in Pascha*, PG 36, 625); DIDYMUS ALEXANDRINUS (*In Ps. 35*, 10, PG 39, 1445; *In Ep. I Petr.*, cap. 3, 22, PG 39, 1970); S. CYRILLUS ALEXANDRINUS (lib. IX *De Ador.*, PG 68, 626); S. PHILASTRIUS Ep. Brixiensis (*Anal. sac. Spicil. Solesm.*, t. IV, p. 433); S. ZENO VERONENSIS (*De somnio Iacob*, PL 11, 432); S. AMBROSIUS (Ep. 20 *Ad Sor. Marcellinam*, n. 17, PL 16, 999; In Ps. 118, v. 117, PL 15, 1421); ESYCHIUS (*In Levit.*, lib. 2, v. 10, 11, PG 49, 433); S. PROCLUS (Or. 8 *In S. Theophaniam*, PG 65, 762); PROCOPIUS GAZAEUS (*Comm. in Exod.*, 28, PG 87, 642); S FULGENTIUS (*Ad Trasim.*, cap. 3, lib. 2, PL 65, 240); S. ANDREAS CRETENSIS (*In Dormit. S. Mariae*, III, PG 97, 1094); S. MAXIMUS THEOLOGUS (*Ad Thal.*, quaest. 63, scol. 36, PG 90, 691; 623); S. HILDEPHONSUS, Ep. Tolet. (*Praef. in libr. de Cognit. Baptismi*, PL 96, 111); S. BERNARDUS (Serm. 22 *In Cantic.*, PL 183, 880); ERNALDUS Ab. Bonaevallensis (*Comm. in Ps. 133*, PL 189, 573); ADAM SCOTUS (Serm. 22, PL 198, 297); GREGORIUS PALAMAS († 1360) explicite docuit Angelos, per B. Vir-

ginem, recepisse gratiam et gloriam (*In Dormit.*, PG 151, 473). Idem explicite docuit THEOPHANES NICAENUS († 1371) in Serm. *In SS. Deiparam* (ed. a P. Jugie a. 1935, p. 167). [1]

Prob. III. **Ratione**. Propositio patet: 1) *ex unitate et harmonia ordinis supernaturalis*, quae unitas et harmonia abrumperentur, si ponatur Angelos creatos non fuisse ratione Christi et Deiparae, et gratiam habitualem et gloriam independenter ab illis accepisse.

2) *Ex unitate ordinis supernaturalis*, quae est superior unitate quae in ordine naturali elucet. Unitas enim ordinis supernaturalis frangeretur omnino si gratia Angelorum (sicut et gratia Adae ante lapsum), non derivaretur a Christo et a B. Virgine. In huiusmodi hypothesi, Christus et Maria non amplius centrum universi ordinis supernaturalis extitissent, cum quaedam creaturae haberentur quae universalem eorum influxum effugerent.

Ceterum, basis contrariae sententiae, id est, *dependentia* Incarnationis a peccato, tamquam *a conditione sine qua non*, prout alibi demonstravimus, sufficienter solida non videtur. Quamvis enim Incarnatio, in praesenti ordine, sit indissolubiliter CONNEXA cum peccato Adae, non est tamen DEPENDENS ab ipso, prout vellent Thomistae.

Remanet igitur ut dicatur B. Virgo mater Angelorum pleno sensu, sicut et hominum.

Art. 2 – De B. M. V. Matre hominum

BIBLIOGRAPHIA: BAINVEL, *Marie, Mère de grâce*, Paris, 1921; BERNARD, O. P., *La Maternité Spirituelle de Marie et la pensée de S. Thomas*, in *Bull. Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1935, pp. 87 et ss.; BLANCH A., C. M. F., *Maternidad Humana de María*, Barcelona, 1906; BOVER I., S. I., « *Mujer, he ahi a tu hijo* », in *Est. Ecl.*, 1922, 5-18, « *Mulier, ecce filius tuus* »: *spiritualis et universalis B. Virginis maternitas ex verbis Christi morientis demonstrata* », in *Verbum Domini* 4 (1924), 225-231; *Mediación de Madre, o la Mediación universal como actuación de la Maternidad de María*, Covadonga, 1927, *Spiritualis B. Mariae V. maternitas in Christo Iesu B. Pauli documentis comprobata*, in *Verbum Domini*, t. 3 (1923), pp. 307 ss., *La maternidad de María expresada por el Redentor en la Cruz*, in *Estudios Biblicos*, 2 (1942) 627-644; DECHAMP Card., C. SS. R., *La nouvelle Eve ou la Mère de vie*, in *Œuvres complètes*, t. 5; GARCIA GARCES N., C. M. F., *Mater Corredemptrix*, Taurini-Romae, Marietti, 1940; HILARIUS A S. AGATHA, O. C. D., *BB. Virginis maternitas universalis gratiae in verbis Iesu morientis*: «*Ecce Mater tua*», in *Teresianum*, 1933-1934; JEANJACQUOT, S. I., *Simples explications sur la coopération de la T. S. Vierge à l'œuvre de la rédemption et sur sa qualité de Mère des chrétiens*, ed. 3, 1889; LARGENT, *La maternité adoptive de la T. S. Vierge*, Paris, 1909; LEGNANI, S. I.,

[1] Plura testimonia inveniri possunt relata in meo op. *Istruzioni Mariane*, pp. 75-80, Roma, 1945.

De theologica certitudine maternitatis B. Virginis quoad fideles, Venetiis, 1999; MAYER A. M., O. S. M., *The Cross-Annunciation*, Portland, 1931; MORINEAU, S. M. M., *Comment la doctrine de la Maternité spirituelle de Marie s'installe dans la théologie mystique de S. Bernard*, in *Bull. Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1935, pp. 119-152; SIMONIN, O. P., *Médiation Mariale ou Maternité Spirituelle de Marie*, in *Vie Spir.*, 1934, Suppl.; TEJEDOR, C. M. F., *La maternidad espiritual de María*, Lérida, 1935; TERRIEN, S. I., *La Mère des hommes*, t. 1-2, ed. 4, Paris, 1902; VENTURA, *La Madre di Dio, Madre degli uomini*, Roma, 1845.

B. Virgo, nedum angelorum sed etiam hominum dicenda est Mater. Iucundissima sane consideratio, quae corda nostra ineffabili replet dulcedine, eo quia cum B. Anselmo quisque repetere potest: « O securum refugium, o felix fiducia, Mater Dei Mater nostra est! » (Orat. 52 ad B. V., PL 158, 953).

Duo vero hic quaerimus:

1) AN SIT, seu de veritate maternitatis spiritualis B. M. V.

2) Ad quos SE EXTENDAT, seu de extensione eiusdem.

I. De veritate Maternitatis spiritualis B. M. V.[1]

STATUS QUAESTIONIS. Omnes fideles, veluti instinctu quodam ducti, sciunt B. Virginem matrem esse hominum. At in quo *praecise* consistat haec humana maternitas B. M. V., non omnes, saltem bene, cognoscunt.

SIGNIFICATIONES INCOMPLETAE vocis: « Matris hominum ».

1) Quidam putant B. Virginem vocari Matrem hominum sensu veluti *metaphorico*, i. e. quia *diligit* et adiuvat nos *ac si esset* mater nostra.

2) Alii vero putant B. Virginem esse matrem nostram *adoptivam* tantum; hinc eius spiritualis maternitas nihil aliud esset nisi aliquid tum Beatae Virgini, tum nobis extrinsecum. Haec maternitas, quae est fictio legalis, tribueret, profecto, nobis *iura* filiorum, sed non redderet nos *veros* filios (i. e. participes naturae adoptantis).

Potest tamen dici B. Virgo mater nostra *adoptiva* quatenus non est mater nostra *per naturam*, sicut per naturam mater est Iesu.

Si vox « mater hominum » in duplici illa acceptione sumatur, B. Virgo — ut patet — *vera* mater nostra dici non posset.

[1] Consulto dicimus: de maternitate *spirituali*, non vero de maternitate *humana* B. M. Virginis, prout aliquando a quibusdam audivimus aut legimus. Terminus enim *humana* (contrapositus forsan, in mente illorum qui illo utuntur, maternitati *divinae*) aequivocus est, ideoque non bene exprimit rem quam significare intendit. Iure igitur Suprema S. Congregatio S. Officii, litteris ad Card. Casañas die 23 martii 1908 missis, occasione *Memoriae* cuiusdam relate ad opus *Maternidad humana de María*, a P. Blanch, C. M. F. conscriptum, usum termini « maternitas *humana* » proscripsit (cfr DOLSE A. GARCIA, O. S. A., in op. *La Mediación actual universal de María*, Madrid, 1925, p. 61).

Vera ergo et plena significatio huius vocis haec est: B. Virgo est *vera* mater nostra spiritualis, i. e., in ordine supernaturali, quia dedit nobis *vitam supernaturalem. Concepit* nos — relate ad hanc vitam supernaturalem — in Civitate Nazareth, in die annunciationis, quando concepit *caput* morale nostrum, i. e. Iesum; et *peperit* nos in monte Calvario, in ipso momento mortis Iesu, capitis nostri: tunc enim — prout a Deo definitum fuerat — consummata est vere copiosa redemptio, i. e. regeneratio nostra quae inceperat in civitate Nazareth.

Propositio: B. VIRGO EST VERA MATER SPIRITUALIS HOMINUM.

Haec propositio potest dici cum Card. Lépicier (o. c., p. 376) *veritas catholica*, ad fidem proxime pertinens, ita ut illam negare nedum temerarium sit, sed etiam haeresim sapiat; haec enim veritas, licet nunquam expresse fuerit definita, fixa tamen manet universaliter in corde et ore populi christiani: aliunde, ut ait S. Augustinus: « *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur* ». (*De Bapt. contra Donatist.*, l. 4, c. 24, n. 31, PL 43, 141).

Prop. probatur: I. Ex S. Scriptura; II. Ex traditione; III. Ex ratione theologica.

I – PROB. EX S. SCRIPTURA

I. **Ex vetere Testamento**: ex *Protoevangelio* (Gen. 3, 14-15) B. Virgo promittitur ut *mater seminis* seu prolis quae diaboli proli seu semini *opponitur*. Hoc posito, *semen* illud seu proles mulieris duplici modo, communiter, intelligitur: in sensu *primario* seu principaliter, et in sensu *secundario* seu extensive. Primo modo est Christus, hominum redemptor; secundo modo vero sunt omnes fideles, seu collectio eorum qui ad Redemptorem tamquam corpus morale et plenitudo eius pertinent.

Et hoc apparet ex ipso contextu, eo quod semen serpentis seu daemonis, semini mulieri, seu B. Virginis, *opponitur*; sed semen serpentis sumitur collective; ergo etiam semen mulieris, ut perfecta sit oppositio, collective sumi debet.

Iamvero si semen mulieris, seu B. Virginis, praeter Redemptorem, sunt etiam fideles, ergo B. Virgo praenuntiatur in Protoevangelio tamquam *Mater omnium fidelium*.

II. **Ex novo Testamento**: 1) EX EO QUOD D. N. I. C. IN S. SCRIPTURA vocatur « FRATER NOSTER ». Sic v. g. ipsemet dicit: « *Ite nuntiate fratribus meis* » (Matth., 28, 10). Et S. Paulus vocat illum « *primogenitum in multis fratribus* » (Rom., 71, 29). Atqui, si D. N. I. C. est frater noster, immo « primogenitus in multis fratribus », mater eius B. V. est etiam *mater nostra*.

2) Ex illa ineffabili hominum IMMANENTIA « IN CHRISTO IESU », quam S. Paulus mirifice extollit. Mirabilis haec hominum immanentia, seu adhaesio,

seu concorporatio, vel inclusio « in Christo Iesu », manifeste evincit Beatae Mariae Virginis spiritualem hominum maternitatem.

Ut brevitati consulamus, duo tantum Apostoli documenta expendemus.[1]

Scribit Apostolus ad Corinthios: « Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt » (2 Cor., 5, 14). Si ergo *omnes* homines in Christo mortui sunt, omnes homines, antecedenter ad ipsam mortem, in ipso Christo iam intime continebantur. Etenim, ut bene animadvertit P. Prat (*La Théologie de Saint Paul*, p. 2, l. 4, c. 2, Paris, 1913, pp. 294), « Ut nos Iesus suae morti consociet necesse est ut cum eo moriente unum quid constituamus ». Inclusio ergo nostra « in Christo Iesu » mortem praecessit, non vero mors inclusionem. Sed *quandonam* et *quomodo* inclusi eramus in Christo? Inde ab *Ipsius Incarnatione*, quando factus est « in similitudinem hominum », et *vi ipsius Incarnationis*. B. Virgo, igitur, simul cum Christo, omnes etiam homines Illi VERE ineffabili nexu coniunctos, VERE genuit, proindeque eorum Mater iure dicitur, et quidem in *ordine supernaturali*. Etenim, *maternitas* B. Virginis eiusdem prorsus ordinis esse debebat ac nostra *inclusio* in Christo. Sed nostra *inclusio* in Christo est ordinis supernaturalis, eo quia ad *gratiam* profecto ordinabatur, et ideo ad gratiae oeconomiam seu ad ordinem supernaturalem pertinebat.

Insuper in Epistola ad Rom. (8, 3) legitur: « Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato, *damnavit peccatum in carne* ». Eatenus Deus, per Christum, damnavit peccatum in carne (seu in omni carne quae peccaverat), quatenus caro Christi erat veluti (seu *moraliter*) *omnium caro*. Sed caro Christi facta est omnium caro in ipsa Eius Incarnatione; seu in ipso et ex ipso Virginis utero: tunc enim suam carnem *physice* et nostram omnium carnem *moraliter* sumpsit. Moraliter, ergo, omnes homines, simul cum Christo, in Virginis utero concepti et ex ipso nati fuerunt, ideoque omnium B. Virgo *Mater* dici potest.

Pretium hic operae erit verba subnectere quibus Pius X rem istam prosequitur (in Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr., 1904): « Annon Christi Mater Maria? Nostra igitur et Mater est. Nam statuere hoc sibi quisque debet, Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis Servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis Restitutor, spirituale quoddam corpus atque, ut aiunt, mysticum, quod societas eorum est, qui Christo credunt, MULTI UNUM CORPUS SUMUS IN CHRISTO Rom. (XII, 5). Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret Sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit: NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR, QUI EST CHRISTUS DOMINUS (Luc., 2, 11). In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris, et carnem Christus sibi assumpsit et spirituale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum qui crediturí erant

[1] Cfr BOVER, *Gregorianum* (1923) pp. 307-310.

in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, MEMBRA SUMUS CORPORIS EIUS DE CARNE EIUS ET DE OSSIBUS EIUS (Ephes., v. 30), de Mariae utero egressi sumus, tanquam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spirituali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium Mater est ».

3) EX VERBIS IESU MORIENTIS: « *Ecce filius tuus ... Ecce Mater tua* » (Io. 19, 27).[1]

Circa haec verba quaeritur: suntne accipienda sensu, uti aiunt, mere *accommodato* (non scripturistico) an sensu vere *scripturistico*? Et si sensu scripturistico, suntne accipienda sensu *litterali* vel *typico*?

Diversi diversa sentiunt. Sensum vere *scripturisticum*, maternitatem universalem gratiae significantem excludunt et vix sensum mere *accommodatum* concedunt FILLION (*Evangile selon S. Jean*, Paris 1887 p. 353); CURLEY S. I. (*Comm in Evang. S. Ioannis*, Gandavi 1880), et sequentes, qui tamen *non videntur sibi nimium constare*, videlicet: SCHANZ (*Comm. über das Ev. des hl. Ioh.*, Tübingen, 1885), VAN STEENKISTE (In Matth., Brugis, 1903, t. 2, p. 1132; t. 3, p. 1589 ss.); A. BRASSAC (*Manuel Bibl.*, t. 3, Paris, 1913, p. 75), qui tamen possibilitatem sensus typici non penitus excludit; KNABENBAUER S. I. (*Comm. in Ioannem*, ed. reimpr., 1925, pp. 558 ss.); M. J. LAGRANCE O. P. (*Evang. selon Jean*, Paris, 1925, p. 494); F. C. CEULEMANS (*Comm. in Evang. secund. Ioannem*, Mechliniae, 1901, pp. 268 s.); GOETZE G. H. (*De Maria Matre fidelium haud dicenda ex Ioh.*, 19, 26-27, Lubecae, 1717, 4, 20 p.).

Ex iis vero qui verba illa in sensu *scripturistico* interpretantur, quidam sensum tantummodo *typicum*, alii sensum *litteralem* admittunt. Sensum *typicum* admittunt, vel admittere videntur, inter scriptores antiquos *S. Laurentius Iustiniani* et *S. Bernardinus Senensis*; inter scriptores vero recentiores: P. VENTURA (*La Madre di Dio, Madre degli uomini*, Roma, 1845); Card. LÉPICIER O. S. M. (*Tractatus de B. Virgine Maria*, Romae, 1926, pp. 456 ss. et *Diatessaron*, vol. 4); E. CAMPANA (*Maria nel Dogma cattolico*, Torino-Roma, 1928, pp. 260 ss.): C. VAN COMBRUGGHE (*Tractatus de B. V. Maria*, Gand, 1913, pp. 193 ss.); J. BITTREMIEUX (*Doctrina Mariana Leonis XIII*, Brugis, 1928; *De Mediatione universali B. Mariae Virginis quoad gratias*, Brugis, 1926).

P. TERRIEN S. I. (*La Mère des hommes*, ed. 4, t. 1, 318 ss.) anceps haeret inter sensum litteralem et typicum.

Omnibus rite perpensis, cum P. Hilario a S. Agatha O. C. D., concludendum censuimus: « VERBA IESU MORIENTIS " ECCE FILIUS TUUS ... ECCE MATER TUA " SUMI DEBENT NON SENSU MERE ACCOMMODATO, SED SENSU VERE SCRIPTURI-

[1] Cfr P. HILARIUS A S. AGATHA, O. C. D., l. c.; BOVER, *Estudios Eclesiasticos*, 1 (1922), 5-18; IDEM, in *Verbum Domini*, 4 (1924), 225-231; GALLUS T., S. J., *Mulier, ecce filius tuus* (Io., 19, 26), in *Verbum Domini*, 21 (1941), 289-297.

STICO. ET QUIDEM NON SENSU TYPICO SED SENSU LITTERALI, IDEOQUE VIM PROBANDI UNIVERSALEM MATERNITATEM GRATIAE B. VIRGINIS HABENT ».

Probatur I. Pars: *Verba* etc. *sumi debent sensu vere* SCRIPTURISTICO, *non vero sensu mere* ACCOMMODATO.

Hoc constat *ex magisterio ordinario infallibili Ecclesiae.* [1] Etenim, a sex vel septem iam saeculis, magisterium Ecclesiae ordinarium — quod est infallibile — *verbis* Iesu morientis utitur ad demonstrandam maternitatem gratiae B. Mariae V., absque ullo simplicis *accommodationis* indicio.

Ad hoc probandum, sufficit percurrere 1) documenta publica RR. Pontificum, 2) testimonia S. Liturgiae, 3) Cathechismos, 4) testimonia Theologorum, 5) Exegetarum, 6) Sacrorum Oratorum, 7) Scriptorum Christologiae, Mariologiae et rei Asceticae.

1). Documenta publica RR. Pontificum.

a) BENEDICTUS XIV, in Bulla aurea « Gloriosae Dominae », 27 sept. 1748 (*Bullarium*, Prati, t. 2, 1846, p. 428, proëmium):

« Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem, et tamquam Domini ac Redemptoris sui parentem, Coelique ac terrae reginam impensissimis obsequiis colere et *tamquam amantissimam matrem extrema Sponsi sui morientis voce sibi relictam*, filialis pietatis prosequi studiosissime semper professa est ».

b) PIUS VIII, in Bulla « Praesentissimus » 30 mart. 1830 (*Bullarium Romanum*, t. 9, p. 106):

« Ipsa enim mater nostra, mater pietatis et gratiae, mater misericordiae *cui nos tradidit Christus in cruce moriturus*, ut sicut ille ad Patrem, ita haec apud Filium interpellaret pro nobis ».

c) LEO XIII in Encyclicis: 1. « Adiutricem populi »; 5 sept. 1895. (Cfr BITTREMIEUX, *Doctrina Mariana Leonis XIII*, Brugis, 1928, pp. 4 s.):

« Eximiae in nos charitatis Christi mysterium *ex eo quoque* luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori. Ecce filius tuus, *In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescunt*: in qua sententia, sanctus Anselmus Cantuariensis, Quid, inquit, potest dignius aestimari, quam ut tu, Virgo, sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater? ».

[1] In interpretatione locorum S. Scripturae, duplex criterium adhiberi potest: *internum* et *externum*. Attamen, *praecipuum* locum — iuxta Leonem XIII in Encycl. « Providentissimus Deus », *Enchir. Bibl.*, Romae, 1927, n. 94 — tenet criterium *externum* id est declarationes factae « per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, sive *solemni* iudicio, sive *ordinario et universali magisterio* ». Quia autem circa verba Iesu morientis nulla solemnis definitio habetur, criterium externum erit *ordinarium et universale Ecclesiae magisterium*, quod consistit in quotidiana praxi et continua praedicatione, quae est veluti activitas didactica Ecclesiae, sive scripto sive verbis.

2. « Augustissimae Virginis » 12 sept. 1897:

« Facere non possumus quin, omnibus et singulis in Christo filiis nostris Ipsius cruce pendentis *extrema verba*, quasi testamento relicta, *iteremus*: Ecce mater tua ».

3. « Octobri mense » 22 sept. 1891:

« Talem (i.e. Mariam facilem, benignam, indulgentissimam) nobis praestitit Deus, cui, hoc ipso quod Unigenae sui matrem elegit, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam, ... *talem de cruce praedicavit, quum universitatem humani generis, in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit*; talem denique se dedit ipsa, quae eam immensi laboris haereditatem a moriente Filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim coepit impendere »; « Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum (maternitatis erga homines) et *Christi testamento ratum*, inde ab initio sancti Apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt ».

4. « Amantissimae voluntatis », 14 april. 1895:

« Itaque suppliciter imploramus ... ante omnes sanctissimam Dei Genitricem, quam *humano generi Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem* ».

e) Benedictus XV, in Litteris Apostolicis « Inter sodalicia » 22 mart. 1918: « Quae (Virgo Perdolens), *a Iesu Christo universorum hominum Mater constituta*, eos tamquam infinitae caritatis *testamento* sibi relictos (accepit), officiumque tuendae spiritualis eorum vitae materna benignitate (explet) ».

f) Pius XI: 1. In Encycl. « Lux veritatis » 25 dec. 1931 verba Leonis XIII in Encycl. « Octobri mense »: « Talem nobis », sua facit.

2. In Litteris Ap. « Explorata res est » 2 febr. 1923:

« Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit et *constituta hominum mater*, *eos sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos*, *amplexa* (est) *filios*, *amantissimeque* (tuetur) ».

3. In Encycl. « Rerum Ecclesiae », 28 febr. 1926:

« Communibus autem benigne arrideat faveatque coeptis sanctissima Regina Apostolorum Maria, *quae*, *cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos*, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse ab Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter ».

4. In *Litteris* Indictionis Anni Sancti extra ordinem, 6 ian. 1933:

« Iesum Christum passum, cruci affixum ac pro hominum salute mortuum; *Mariam Virginem sub cruce Nati*, *omnium hominum matrem constitutam* ».

5. In *Epistola* ad Rev.mum P. Baldini, Priorem Generalem O. S. M., 16 iulii 1933:

« Nec quasi fortuito, sed benigno Dei numine propediem fiet, ut septies saecularis memoria a prima Ordinis institutione in medium incidat Iubilarem annum quo et peracta humani generis redemptio et *Maria Virgo*, *sub cruce Nati*, *omnium Mater constituta* pie solemniterque recolitur ».

6. In *Allocutione* die 30 novembris 1933 habita, ad peregrinos Vicetinos:

« Il Redentore non poteva, per necessità di cose, non associare la Madre sua alla sua opera, e per questo noi la invochiamo col titolo di Corredentrice. Essa ci ha dato il Salvatore, l'ha allevato all'opera della Redenzione fino sotto la Croce dividendo con Lui i dolori dell'agonia e della morte in cui Gesù consumava la Redenzione di tutti gli uomini. E proprio sotto la Croce, negli ultimi momenti della Sua vita il Redentore

la *proclamava* madre nostra e madre universale: Ecce filius tuus, diceva a S. Giovanni che rappresentava noi tutti; e nello stesso Apostolo eravamo ancora noi tutti a raccogliere le altre parole: Ecce Mater tua. Quei buoni fedeli dunque erano venuti a celebrare con il Santo Padre il XIX Centenario non solo della Redenzione, ma anche della maternità universale di Maria, proclamata tale ufficialmente e solennemente con le parole stesse del Figlio di Dio nel momento particolarmente solenne della Sua morte ».

Hinc pervulgata, inter christifideles opinio iuxta quam Ioannes, in monte Calvariae, personam omnium fidelium gessisset, et B. Virginem tamquam matrem omnibus fidelibus a Christo moriente *constitutam*, *praedicatam*, *proclamatam* fuisse, *est opinio Summorum Pontificum* in publicis documentis, universae Ecclesiae datis clare et explicite consignata. Immo — ut animadvertit P. Hilarius (*Theresianum*, 1933, p. 131) — pro hac affirmatione clara, explicita, nulla ratio affertur humana, unica et sola ratio allata haec est: *quod perpetuo sensit Ecclesia*, et tantum valet sensus Ecclesiae quantum valet magisterium ordinarium Ecclesiae infallibile.

Relata documenta magna gaudent auctoritate, etenim id quod ait Bittremieux de documentis Leonis XIII valet et pro aliis: « Norunt autem omnes Theologi Pontificem hic loqui non quidem tamquam Doctorem privatum, sed tamquam Doctorem Ecclesiae, qui ut talis, utut non utens infallibilitatis privilegio, maxima tamen auctoritate gaudet, quatenus vere docens Ecclesiam universam » (o. c., p. 37). Si ergo ipsa Sacrarum Congregationum Decreta et Pontificiae Commissionis Biblicae sub gravi adstringunt, quanto magis publica et universalia documenta Romani Pontificis « cum ab eo procedant qui, utpote caput Ecclesiae, divino spiritu prae ceteris regitur et illuminatur, ceteroquin, pro gravi munere quo fungitur, prudenter investigat veritates quas proponit »? (Tanquerey, *Syn. Theol. Dogm.*, vol. 1, 1930, p. 571)...

« Si ergo est doctrina Ecclesiae textum nostrum significare *constitutionem*, *praedicationem*, *proclamationem* [1] Maternitatis universalis spiritualis Mariae, pro catholico interprete est hic sensus textus, etsi maneat libertas inquirendi de qualitate sensus an videlicet sit litteralis directus vel indirectus, an typicus. *Opinio ergo quae excludit sensum vere scripturisticum, et asserit sensum accommodatum est contra sensum seu Doctrinam seu Magisterium* ordinarium Ecclesiae, et ideo nequit esse nisi opinio falsa ».

2). Testimonia Sacrae Liturgiae. Etiam in S. Liturgia, seu in cultu et praxi Ecclesiae, testimonia inveniuntur pro sensu vere scripturistico verborum Christi morientis. Etenim:

a) In Collecta Missae pro festo B. M. V. matris Divini Pastoris legitur: « Domine Iesu Christe, Pastor bone, qui pro ovibus tuis animam dedisti, *nosque populum tuum et oves pasquae tuae, in Cruce pendens Matri Virgini commendasti* ... ».

[1] Leo XIII scribit: « Talem (i. e. Matrem) de Cruce *praedicavit*, quum universitatem humani generis, in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit » (Encycl. « Octobri mense » 22 sept. 1891). Et bene quidem: nam, spiritualis maternitas B. Mariae V. exurgit ex cooperatione eiusdem ad opus Redemptionis, quod opus in Incarnatione Redemptoris *inceptum*, in Golgotha fuit *consummatum*. Hinc, cum *maternitas* simul cum opere redemptionis in Golgotha consummaretur, merito *praedicata* seu promulgata a Christo dicitur. Attamen, quia *praedicatio* seu proclamatio haec maternitatis publica et veluti officialis fuit, hinc, iure meritoque a Benedicto XV et a Pio XI *constitutio*, seu notificatio publica, dicta est.

b) In hymno ad Matut. pro festo Numismatis miraculosi, 27 sept., canitur: « *Iesu, tuam qui finiens — Matrem dedisti servulis*, — praecante Matre, filiis — largire coeli gaudia ».

c) *In precatione* ad S. Virginem pro Anglis, a Leone XIII composita, legitur: « Per te datus est Christus Salvator mundi, in quo spes nostra consisteret; *ab ipso autem tu data es nobis* per quam spes eadem augeretur. Eia igitur, *ora pro nobis, quos tibi apud Crucem Domini excepisti filios, o Perdolens Mater* ».

d) In ritu quo candidatae in Associationem Filiarum Mariae Immaculatae admituntur, ita Sacerdos precatur: « Domine Iesu Christe, qui in cruce moriens, Immaculatam Virginem Genitricem tuam, matrem nobis misericorditer dedisti, concede... ».

e) In sequentia de Compassione B. M. V. ita canitur:

« Datur Mater discipulo
Cum maximo martyrio (al. mysterio)
Ioannis sub vocabulo.
Quivis venit fidelis.
Gratia tibi Domina,
Sub cruce salutifera
Filio cooperans ». [1]

3). Catechismi. Catechismus — ait P. Terrien — est theologia simplicium fidelium. In ipso summa illarum veritatum continetur quae ut certae habentur. Iam vero, in pluribus chatechismis veritas quae a nobis defenditur invenitur. Sufficiat recensere hic praecipuos, videlicet:

P. Bourgeaut, *Exposition de la doctrine chrét.*, I part., s. 2, c. 17, t. 1, ed. Carayon, p. 148; P. Bosio da Trobaso O. F. M., *Catechismo Mariano*, Venezia, 1931, pp. 105-107; Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. II, lec. 3; Gridel, *Explic. du Catéchisme*, t. 2, 12 soirée, p. 152; De Hebre, S. J., *Catechismus*, vol. IV, c. 4; Cuniliati O. P., *Il Catechismo in pulpito*, ragion. 13; Bressanvido O. S. Fr., *Dottrina cristiana*, t. 1, istr. 45; F. A. Pouget, *Instit. cathol. per modum Catechismi*, t. 1, Nemausi, 1765, p. 414.

4). Theologi, consensu moraliter unanimi, verba Christi morientis sensu scripturistico accipiunt. Sufficiat laudare sequentes:

Gerochius O. Can. Reg. S. Aug. (saec. XI) in op. *De gloria et honore Filii hominis*, c. 10, in 1-2, PL 194, 1105; Eadmerus, in op. *Tractatus de conceptione B. M. V.*, *S. Anselmo* falso attributo, PL 159, 315; S. Albertus M. († 1280), in op. *Mariale*, sive Quest. super Evang., q. 29, § 3; *Op. omn.*, ed. Parisiis, 1898, t. 37, p. 62; Pelbartus de Temesvar O. F. M., *Stellarium*, l. 3, p. 4, a. 1, c. 2; S. Antoninus Archiep. Florentinus († 1459) in *Summa Theol.*, 4 p., tit. 15, c. 2, t. 4, ed. Veron. 1740, pp. 916 ss.; Vincentius Contenson, O. P., († 1674) in *Theol. mentis et cordis*, t. 3, l. x, diss. 4, c. 1, ed. Vivès 1875, pp. 210-221; Christophorus Vega, S. I., in *Theologia Mariana*, p. II, q. 8, a. 9; S. Petrus Canisius S. I., in *De Virgine Deipara*, p. IV, c. 27; Georgius de Rhodes, *Disput. theol. schol.*, tract. 8, disp. un. de Virgine Dei Matre, q. 2, § 2, t. 2, p. 195 s.; Theophilus Raynaud, S. I., in *Scapulare Marianum illustr.*,

[1] Cfr Dreves, Analecta hymnica medii aevi, t. 9 (sequentiae ineditae), p. 53.

Opp. t. 7, p. 253; t. 9, pp. 175 s.; Ioannes B. Novati, in *De eminentia Deiparae*, t. 1, c. 18, q. 25.

Inter recentiores numerari possunt: Bucceroni, Sala, Crosta, Marchini, Dal Ponte, Capecelatro, Petitalot, Abelly, Hurter, Pesch, Billot, Scheeben, Gächter, Van Crombrugge, Lépicier, Tanquerey, Mayer O. S. M. Isti omnes, praeterita quaestione *an sit* in textu de quo agitur sensus vere scripturisticus, ipso utuntur ad maternitatem universalem gratiae B. M. V. demonstrandam.

5). Exegetae.

a) *Origenes*, in praefatione ad suum Commentarium in Ioannis Evangelium (PG 14, 32), scripsit: « Ecce, Evangeliorum autem primitias, Evangelium a Ioanne traditum; cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit, *vel acceperit a Iesu Mariam, quae etiam ipsius Mater fiat*: adeo talem tantumque necesse est, qui Ioannes alius sit futurus, ut quemadmodum Ioannes, itidem etiam et iste a Iesu Iesus existere ostendatur. Nam, si nullus est Mariae filius, iudicio eorum qui de ipsa sane senserunt, praeterquam Iesus, dicitque Iesus Matri: Ecce Filius tuus, et non, ecce etiam hic est filius tuus, perinde ac si dixisset: Ecce hic est Iesus quem genuisti. Etenim, *quisquis perfectus est*, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus. *Cumque in ipso vivat Christus, dicitur de eo Mariae*: Ecce filius tuus Christus ».

Ex quibus verbis manifeste tria apparent: 1) nemo potest sensum Evangelii percipere nisi vivat vitam supernaturalem; 2) *multos alios*, praeter Ioannem inveniri posse in illa conditione ac Ioannes, vivendo, nempe, vitam *supernaturalem* quam vivebat Ioannes; 3) propter hanc conditionem, i. e. propter vitam supernaturalem, etiam isti multi ostenduntur Mariae ut alii eiusdem filii, et quidem verbis: « Ecce filius tuus ». Ergo verba ista: « Ecce filius tuus » ex intentione divina — iuxta mentem Origenis, — respiciunt illos omnes qui, sicut Ioannes, vitam supernaturalem gratiae vivunt, et ideo sensus Evangelii percipere possunt. Ergo Origenes verbis Iesu morientis non tribuit sensum meri actus pietatis filialis, ad temporale quoddam refugium Matri apud discipulum praedilectum procurandum, sed sensum altioris ordinis, mempe spiritualis, qui inferiorem ordinem temporalem non excludit sed fortius includit.

b) Ad promulgationem spiritualis maternitatis alludere videtur etiam *S. Ambrosius* in Epist. ad Ecclesiam Vercellensem: « Maria, Mater Domini, ante crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi S. Ioh. Ev.... qui docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus Matrem appellaverit, pluris putatis quod Victor suppliciorum pietatis officia Matri exhibebat, quam quod regnum coeleste donabat. Nam, si religiosum est quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est quod a Filio Mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, Filius tuus ... Ecce Mater tua. Testabatur de Cruce Christus, et inter Matrem atque Discipulum dividebat pietatis officia. *Condebat Dominus* non solum *publicum*, sed etiam *domesticum* Testamentum et hoc eius testamentum signabat Ioh., dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae, quod non atramento scriptum est sed Spiritu Dei vivi qui ait: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis » (PL 16, 1270).

c) *Georgius Nicomediensis*, saec. IX, (in Orat. VIII *In S. Mariam assistentem Cruci*, PG 100, 1475 ss.) in ore Iesu morientis haec ponebat: « Ecce filius tuus... qui filialis in te pietatis officia omnia impleturus sit; qui debitam gratiam uti parenti retribuat...

Habens itaque quem amicum supra pectus reclinavi, tristibus quidem impone finem *meumque, cum illo ac sociis versans, adimple locum* ... Tibi enim *per eum reliquos* item *discipulos commendatos volo. Esto illis, si qua moris est ut matres sint filiis*, seu magis, quod ego praesens fuerim, ipsique vicissim, quae sunt *filiorum*, ac *subditorum*, praestabunt, ut per quam ego ad eos venerim, ut quam *ad me mediatricem facile impetraturam indicias habeant*... Ecce Mater tua ... Nunc enim ut parentem *nedum tui sed et reliquorum discipulorum constituo ducem, ac Matris praerogativa absolute honorari volo.* Quamquam ergo prohibui ut ne patrem super terram vocaretis (Matth. 23, 9), volo nihilominus, *ut hanc Matrem honoretis ac appelletis*, quae mihi coelo altius tabernaculum fuerit, ac voluntatem a consuetudine naturae alienam ostenderit... Cum sic ergo optimus Dominus inenarrabili longanimitate *testamentum* condidisset... » etc.

Ex quibus verbis clarissimis, haec clarissime apparent: 1) verbis: « Ecce filius tuus » Iesus moriens *testamentum* condens, praedilectum *discipulum*, et per ipsum *omnes alios discipulos* Matri suae commendat, ut illis ea *quae sunt matris* exhibeat, et ipsi, vicissim, quae *sunt filiorum ipsi* praestent, amorem scilicet, cultum et fiduciam; 2) verbis vero « Ecce Mater tua » Iesus moriens Matrem suam constituit *parentem* nedum discipuli praedilecti, sed et *reliquorum discipulorum*, et vult ut illam Matrem *appellent*, et tamquam matrem honorent. Potestne clarius desiderari testimonium?

Falso igitur Knabenbauer aliique *pro primo teste* huius interpretationis *Rupertum Tuitiensem* habent: his enim anteponendus est Origines et maxime *Georgius Nicomediensis*.

d) *Rupertus Tuitiensis* († 1135): « Quia in passione Unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur, *quod de hoc discipulo dictum est ab eo, recte et de alio quolibet discipulo, si praesens adesset, dici potuisset*, nisi quia licet omnium ut dictum est, mater sit, pulchrius tamen huic ut virgo virgini commendari debuit » (PL 169, 790).

Duo ergo facta Rupertus asserit: 1) *factum universalis maternitatis gratiae*, quod in eius cooperatione ad opus redemptionis fundatur, ita ut omnes redempti, filii Mariae dici debeant et sint; 2) *factum promulgationis* eiusdem maternitatis, et quidem relate ad omnes, quia de omnibus, si *praesentes* fuissent, sicut *praesens* erat Ioannes, verba illa « Ecce Mater tua » praedicari potuissent.

e) *Dyonisius Carthusianus* († 1471): « Discipulus iste designat *unumquemque fidelium*. Cum ergo Christus dicit Ioanni: Ecce Mater tua, *unicuique christiano dedit matrem suam in matrem* » *In Evang. Ioan. enarratio*, a. 46).

Idem asserunt in respectivis Commentariis Pepini, Royard, Salmeron, Toletus, Escobar et Mendosa, Barrados, Petrus a S. Maria, Bernardinus de Picquigny, C. A Lapide, Natalis Alexander, Zucconi, Sylveira, Georgius Maior, Paciucchelli. Leo Klofutar, Hieronymus Natal, P. Girandeau, Mastai-Ferretti, Allioli, P. Hadrianus Simon C. SS. R., Sales O. P.

6). Scriptores de re christologica, mariologica, ascetica et Oratores, a cl. P. Hilaro a S. Agatha (l. c., pp. 143-150) circiter 120 numerantur. Iure ergo meritoque, idem cl. Pater, concludit: « His omnibus allatis testimoniis et aliis innumeris silentio praeteritis, nostram demonstrationem ex criterio externo ita concludimus: una eademque vox a Summis Pontificibus ad sacros Oratores, a doctoribus ad simplices fideles;

si non est hoc magisterium ordinarium Ecclesiae, quodnam erit? Si non est hic sensus Ecclesiae, quisnam erit? Pontifices, Sancti, Theologi, Exegetae, Scriptores Christologiae, Mariologiae, Asceticae, Oratores sacri; quid amplius? Sed non solummodo activitas magisterii didactica, verum et practica in precibus liturgicis. Optime ergo Leo XIII asserebat: « quod perpetuo sensit Ecclesia ». Nos itaque cum Ecclesia sentire volumus ac debemus, et ideo ultimo affirmamus textum nostrum sensus vere scripturistico, per Ecclesiae magisterium nobis indicato, significare promulgationem solemnem, seu constitutionem publicam Maternitatis spiritualis universalis Mariae ».

Obiectiones adversariorum (qui sunt in proportione *unius* ad *centum*) post ea quae diximus, facile solvuntur. Ad duo, praesertim, reducuntur, videlicet:

1) Non est recedendum a sensu obvio, nisi urgeat gravis ratio, et in casu, tantum valet interpretatio quantum valet ratio allata. Atqui, in sensu litterali et obvio verba Christi morientis nihil aliud nisi actum pietatis filialis Iesu erga matrem significant, ei refugium apud dilectionis discipulum procurando; et nulla urget ratio (ita P. Lagrange) ab hoc sensu obvio discedendi. Ergo ...

Respondetur: Concedo *maiorem*; nego *minorem*. In casu enim nostro licet recedere a sensu obvio, quia *urget gravissima ratio*, id *est sensus Ecclesiae*, seu magisterium ordinarium infallibile Ecclesiae. Ex eo enim quod magisterium ecclesiasticum, ut vidimus, textum nostrum assumit ad spiritualem maternitatem B. M. V. nedum *illustrandam sed demonstrandam*, eo ipso implicite affirmat talem textum, ex intentione divina, hac vi probandi praeditum esse.

2) In textibus S. Scripturae interpretandis, non est recedendum a sensu quem *communis* Patrum consensus tenet. Atqui communis Patrum consensus verba Iesu morientis in sensu *obvio* interpretatur, id est, de actu filialis pietatis Iesu erga Matrem. Ergo...

Respondetur: Concedo *maiorem*; nego *minorem*. Etenim, in casu nostro non habetur *communis Patrum consensus*. 1) Sat *pauci* sunt textus circa quos habetur unanimis consensus Patrum. Ex tota Patrum aetate, ex centenis et centenis, non inveniuntur nisi septem vel octo Patres qui textum nostrum breviter et obiter exponunt, id est, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Io. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Cyrillus Alex., et Theophilactus. Hinc, maxima pars Patrum, circa textum nostrum *silet*. 2) Paucissimi qui de illo loquuntur, solummodo sensum *obvium* exponunt, quin quaerant de sensu aliquo pleniori aut profundiori: sed de illo non quaerere non est illum reicere. Pro hoc sensu profundiore, contra *silentium* fere unanime maximae partis Patrum, clamorem habemus sex vel septem saeculorum, eo quia inde saltem a saec. XII interpretatio nostra communis evasit, prout ipsimet adversarii concedunt.[1] Imo, haec nostra scripturistica interpretatio nec in aetate Patrum ignota fuit, prout apparet — ut iam vidimus — ex expositione Origenis et Georgii Nicomediensis (saec. IX), qui

[1] Ita KNABENBAUER interpretationem *scripturisticam* verborum Christi morientis appellat « *pervulgatam opinionem, satis communem* » (*In Ioannem*, ed. reimpr. 1925, p. 558); P. LAGRANGE: « la *pieuse opinion* si douce aux chrétiens, la *pieuse croyance des fidèles* » (*Ev. selon S. Jean*, Paris, 1925, p. 494); BRASSAC: « *L'opinion populaire* et *presque universelle* (*Manuel Bibl.*, t. 3, Paris, 1913, p. 705). Hinc dicere possumus: ex ore vestro vos iudico.

quum sine ullo indicio dubii vel opinionum conflictus expositionem propriam proponant, sat evidenter produnt se exponere rem sat notam et in pacifica possessione positam. Esto Origenes et Georgius Nicomediensis inter Patres numerari non posse; attamen, ut testes traditionis oralis considerari debent. 4) Dato etiam et non concesso unanimi Patrum consensu circa sensum *obvium* verborum Christi morientis, dicimus quod nostra interpretatio interpretationi *obviae* minime contradicit, sive verba illa in sensu *typico*, sive in sensu *litterali* accipiantur: nam, si sumuntur verba illa in sensu *typico*, tunc sensus litteralis *obvius supponitur*, eo quia sensus typicus in sensu litterali historico fundatur; si vero sumuntur in sensu *litterali* directo, tunc interpretatio nostra confirmat et corroborat illum pietatis filialis actum B. Virgini ratione *verae maternitatis spiritualis* ab omnibus, et praesertim ab illis qui sunt cordi Iesu vicinioribus, exhibendum.

Ideo, etiam haec secunda obiectio, nihil valet. Verba ergo Iesu morientis non sensu mere *accommodato* sed sensu vere scripturistico, litterali vel typico, prout ab Ecclesiae sensu sumuntur, accipi debent.

At, praeter argumentum ex auctoritate desumptum, afferri potest argumentum EX IPSIS VERBIS CHRISTI quae *de sola cura temporali* Ioannis erga Deiparam bene interpretari nequeunt. Enunciationes enim: « Mulier, ecce filius tuus... Ecce mater tua », sunt *correlativae* seu, *correlationem* exprimunt *maternitatis* (ex parte Virginis) et *filiationis* (ex parte S. Ioannis). Et nulla habetur ratio recedendi ab hoc sensu obvio verborum. Quin immo, ratio habetur excludendi interpretationem *de sola cura temporali* a S. Ioanne gerenda. Si enim mens Christi fuisset commendare talem curam temporalem, sufficere poterat ad illam exprimendam secunda pars enunciationis (« Ecce mater tua »). Cur ergo addidit Christus etiam alia verba: « Ecce filius tuus », ex quibus commendatio de cura temporali a Discipulo gerenda obvie deduci non potest?...

Nec valet obicere: Ex verbis subsequentibus Evangelistae: « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua », aperte educitur verba illa a Discipulo intellecta fuisse de *cura temporali* ab ipso gerenda erga B. Virginem. Ratio haec, dicebamus, valere non videtur. Per verba illa, enim, S. Ioannes non iam *sensum* proprium verborum Christi determinare voluit, sed potius *effectum immediatum* illius *correlativae* relationis (seu maternitatis et filiationis) a Christo tunc revelatae, in proprio animo a verbis illis excitatum exprimere.

Sed etiam dato et non concesso quod S. Ioannes verba illa Christi morientis de *sola cura temporali* intellexerit, nondum sequitur verba illa in tali sensu exclusivo intelligenda esse. Non necessario, enim, hagiographus plenum verborum sensum a loquente intentum assequi debet, prout Angelicus docet (II-II, q. 171, a. 50; *Quodlibet*, c. 7, a. 14, ad 3). Etiamsi ergo S. Ioannes verba illa in tali circumscripto sensu intellexisset, minime sequeretur ita intelligenda esse. Eo vel magis quod talis sensus sat alienus fuisse videtur a mente Christi in supremo fastigio operis sui supernaturalis messianici.

Videndum nunc remanet utrum sensu *typico* vel sensu *litterali* accipi debeant.

Prob. II. Pars: *Verba Iesu morientis sumi non debent in sensu typico.*

Praenotanda. Recolendum est: 1) quod *sensus typicus scripturisticus* « est significatio speciali Dei intentione adnexa aliquibus rebus vel eventibus sensu litterali expressis, existentia, perfectione ac dignitate diversis ab antitypis, nobis nonnisi

revelatione certo constans, et eumdem valorem demonstrativum habens ac sensus litteralis ».

Hinc, tria sunt de ratione sensus typici: 1) quod typi, seu res quaedam et eventus quidam sensu *litterali* expressi, a Dei voluntate, secundum eius divinam praescientiam et providentiam, *ordinati* sint ad alias res vel personas vel eventus futuros *significandos*; 2) quod typi isti, existentia, perfectione ac dignitate, *diversi* et inferiores sint ab *antitypis* (seu a rebus, personis et eventibus significatis); 3) haec divina ordinatio quarumdam rerum et eventuum ad alias res, personas et eventus significandos, nobis nonnisi ex criterio *externo* seu ex revelatione *divina* constare potest, id est, vel quia *auctores inspirati* N. T. id declarant vel eo utuntur, vel quia *Patres* communiter et constanter aliquem textum in sensu typico exponunt, vel quia *Ecclesia* id declarat.

2) Typi certo existunt in V. Test. Utrum vero et in N. Test. existant, disputatur. Attamen, *probabiliter* etiam in N. T. typi quidam admittendi sunt. Hinc, quaestio de sensu *typico* vel *litterali* determinando, magni momenti pro nostra demonstratione est. Cum enim tantummodo *probabiliter* constet de existentia typorum in N. T., si verba Iesu morientis sensu *typico* accipi debeant, valor nostrae demonstrationis erit tantummodo *probabilis*, non certus; si vero sensu *litterali* accipi debeant, valor demonstrationis erit *certus* et apodicticus.

Probatur. Ibi sensus typicus admitti nequit ubi non verificantur conditiones sensus typici. Atqui circa textum de quo agitur non verificantur conditiones sensus typici. Ergo.

Maior patet. Ad *minorem*. Etenim, duo praesertim requiruntur — ut praenotavimus — ad hoc ut aliquid *typus* dici possit: 1) quod talis demonstretur ex *criterio extrinseco*, id est, ex testimonio divinae revelationis, ex quo appareat aliquid a Deo tamquam typus alterius rei assumptum esse; 2) quod *typus* scripturisticus sit *umbra*, non vero corpus, seu sit imago non vero realitas, sit distinctum et praecedens tempore esse antitypi; sit inferioris et imperfectioris ordinis ab ordine antitypi.

Iamvero nec prima nec secunda conditio verificatur in casu. Non prima: etenim neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione apparet Ioannem typum fuisse omnium hominum. Posset invocari testimonium magisterii ordinarii infallibilis Ecclesiae, sed ex omnibus documentis, superius laudatis, nulla habetur affirmatio *explicite* aut *implicite*, seu per formulas aequivalentes, sensus typici in nostro textu i. e. Ioannem adoptatum modo mere *humano* ac *temporali*, vi verborum Christi esse typum vel figuram adoptionis spiritualis omnium fidelium; quinimmo verba a magisterio Ecclesiastico adhibita sensum typicum excludunt omnino. Etenim, variae formulae a magisterio Ecclesiastico et praesertim a Pontificibus adhibitae ad hanc reduci possunt: Christus, dum e cruce pendens verba illa proferebat, in *discipulo* dilectionis humanitatem repraesentatam videbat, cui humanitati Mariam tamquam Matrem tradebat; et ita maternitatem eiusdem spiritualem erga homines, quae tunc praecise *consummabatur*, promulgabat, seu solemni-

ter proclamabat. Quae formula, ut patet, nullimode notionem sensus typici scripturistici continet aut fundare potest. Illa enim maternitatis promulgatio ac solemnis declaratio facta fuit *verbis* Christi morientis, non vero *re* a verbis significata prout notio typi scripturistici necessario postulat. Nullo modo ergo constat Ioannem a Dei voluntate ordinatum fuisse, ob suam adoptionem mere humanam ac temporalem, tamquam *typum* adoptionis spiritualis omnium hominum. Non verificatur ergo prima conditio. Sed nec secunda verificatur. Ioannes enim, et ipse, fuit *spiritualiter* in B. Virginis filium adoptatus, et quidem, modo eminenti, prout omnes concedunt; et ideo non potuit esse figura, umbra adoptionis spiritualis humanitatis, nec ab ipsa humanitate (seu ab antitypo) distincta, praecedens tempore et imperfectioris ordinis, eo quod et ipse *individuum* quoddam sit humanitatis spiritualiter adoptatae, et ideo fuisset umbra et figura *suimetipsius*.

Non ergo sensu *scripturistico*, sed sensu tantum *vulgari* Ioannes veluti *typus* adoptionis nostrae dici potest, id est, quatenus individuum aliquod designat in natura vel qualitate aliqua communi (in casu nostro, in *spirituali* filiatione omnibus communi) *eminens*. Et hoc sensu — evidenter praeter intentionem — a scriptoribus illis qui sensum typicum defendunt (e. g. Bittremieux, Van Combrugghe etc.) accipitur prout apparet ex ipsorum *demonstrationis processu* in quo, definitione et natura typi scripturistici posthabita, criterio non *extrinseco* (i. e. testimonio divinae revelationis) sed tantummodo intrinseco (i. e. examine verborum Christi) utuntur.

Remanet ergo sensus litteralis.

Prob. III. Pars: *Verba Iesu morientis sumi debent sensu litterali vel directo vel saltem indirecto.*

Prob.: 1) *Ex auctoritate* magisterii ordinarii et infallibilis Ecclesiae. Etenim, omnes declarationes magisterii Ecclesiastici ad hoc tandem reduci possunt: In Ioanne Christus designavit personam humani generis (Leo XIII). « S. Giovanni rappresentava noi tutti; e nello stesso Apostolo eravamo ancora noi tutti a raccogliere le parole: Ecce Mater tua » (Pius XI). — Ioannes repraesentabat *omnes* discipulos, vel omnes fideles, vel omnes homines. — In Ioanne vel in persona Ioannis omnes homines traduntur Mariae tamquam filii.

Hoc posito, Christus moriens vel *directe* in Ioanne respiciebat omnes homines — quod verisimilius dicitur eo quod tunc hominum redemptio et ideo etiam *regeneratio* vitae supernaturali cooperante Maria tamquam matre consummabatur — vel saltem *indirecte*, i. e. *mediante* Ioanne in quo eminentius illa eadem conditio in qua homines inveniebantur verificabatur, ita ut Ioannes veluti *symbolum* vel *prototypus* sit filiorum Mariae. [1]

[1] ALAMEDA tenet verba illa Christi Crucifixi accipienda esse in *sensu pleniori*. « Al pronunciar las palabras: *Ecce Mater tua*, la intención inmediata de Jesús era significar al discípulo amado su deseo de que honrase y tuviese a María por Madre. Pero, previendo que la Igle-

Hinc vel directe vel saltem indirecte *verba* Iesu morientis omnes homines respiciebant prout B. Virgini tamquam filii tradebantur. Et hoc melius patebit ex consideratione subsequenti, nempe:

2) Ex *substrata materia*, ex *circumstantiis* tum loci tum temporis, et ex *verbis ipsis* ab hagiographo adhibitis. Etenim, haec omnia postulant ut per *verba* praefata B. Virgo constituta sit omnium christifidelium Mater. Et hoc optime et clarissime ostenditur ab E.mo Cardinale Lépicier (o. c., p. III, c. 1, pp. 458-460). En eius verba:

« Imprimis, *a*) *substrata materia* postulat ut Christi verba ad Mariam et Ioannem intelligantur hoc sensu, quod Ioannes totam tunc fidelium congregationem repraesentaret. Revera, *testabatur de Cruce Christus*, ait S. Ambrosius, *et testamentum eius signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis*. Atqui indecens fuisset ut ille, qui erat universalis hominum Salvator, in ultima illa sua voluntate, de solis Matris suae et Ioannis personis sollicitus esset; sed congruum erat ut qui omnium Redemptor existebat, in ipso actu consummandi suum sacrificium, ad omnes qui in se credituri erant curam extenderet, illos Matri suae commendando. Quocirca, sicut in crucifixoribus omnes peccatores, et in bono latrone omnes vere poenitentes, in malo autem latrone omnes increduli obumbrantur, ita in Ioanne iure meritoque omnes christifideles, quos diligit Christus, censendi sunt repraesentati.

b) *Circumstantiae* quoque idipsum postulare videntur: 1) Quod enim ultimo vitae Christi mortalis tempore, in 2) loco maxime publico et coram multis testibus, haec commendatio facta fuerit, sat evincit, ibi non de Ioanne tantummodo agi, sed etiam, imo maxime, de omnibus illis qui fidem in Christum Redemptorem accepturi erant. Si enim 3) de solo Ioanne actum fuisset, illa commendatio potius fieri debuisset ante Christi passionem, cum videretur quod tunc potissime et Beata Virgo aliquo indigeret qui sibi filii vices suppleret, et Ioannes Virginis protectione confirmandus foret, ne in fide deficeret. Rursus, si singularem tantummodo commendationem Christus intendisset, non debuisset hanc suam voluntatem in loco tam publico, qualis erat Calvarius, et coram tot ac tam diversis testibus, propalare.

Pariter, *tempus* quod Christus ad hanc suam voluntatem manifestandam elegit, idipsum confirmat, quod scilicet fuit *quando anima eius Matris summo dolore transfixa est*. Revera, cum anima violentiori quadam passione agitatur, facilius

sia de los siglos posteriores, había de interpretarlas de la Maternidad espiritual universal, se dirigió, no sólo a Juan, sino también a todos los que, como El, habíamos de tenerle por Señor y Maestro, para decirnos, igualmente, que la honrásemos y la tuviésemos por Madre.

« San Iuan y las primeras generaciones cristianas pudieron entenderlas de solo el Discípulo Amado, pero esto sólo significa que non penetraron todo su sentido, que no penetraron el sentido *plenior*, según el cual Jesucristo intentaba darla por Madre a todos los demás hombres » (*La Virgen en la Biblia*, ed. 2, 1939, pp. 149-150).

potest aliarum passionum impressionem suscipere. Ergo si Christus hanc commendationem tunc fieri decrevit cum Beatae Virginis animam, iuxta Simeonis prophetiam, *doloris gladius pertransivit*, signum est Illum voluisse ut summa materni amoris passio, quae est amor, in illius corde tunc vehementer excitaretur, cuius quidem solus Ioannes fuisset impar obiectum, sed cuius totum fidelium genus erat obiectum omnino adaequatum.

c) Denique *verba ipsa* a Christo usurpata ostendunt, per Ioannem, omnes christifideles tunc comprehensos fuisse. Nam primo quidem, Christus Mariam nomine mulieris, non matris, alloquitur, quasi innuere velit, gloriosam hanc Virginem nedum esse mulierem illam fortem a Salomone praedictam, quae virtute praestans ac generosa, Christi cruciatus sub Cruce dividere debebat, sed potissime illam esse *secundam Evam*, quae spiritualem progeniem ad beatam patriam a prima Eva perditam reductura erat. Deinde semetipsum Evangelista non sub nomine Ioannis designat, sed sub nomine discipuli, et quidem discipuli quem diligebat Iesus; unde, deserentibus Christum aliis discipulis, ille unus divinitus ad Crucem adducitur, ut in ipso tota fidelium et filiorum Dei universitas repraesentetur.

« C'est donc, concludit Bossuet, tout le peuple nouveau, c'est toute la société de l'Eglise que Jésus recommande à la Sainte Vierge en la personne de ce cher disciple; et par cette divine parole, elle devient non seulement mère de saint Jean, mais encore de tous les fidèles. Et par là ne voyez-vous pas, selon la pensée de saint Epiphane, que la bienheureuse Marie est l'Eve de la nouvelle alliance et la mère de tous les vivants, unis spirituellement au nouvel Adam, pour être la mère de tous les élus? ».

IV. Ex Apocalypsi, [1] c. 12, 1-18 ubi *de muliere et dracone* sermo est. « *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim. Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. Et visum est aliud signum in coelo: et ecce draco magnus rufus habens capita septem, et cornua decem: et in capitibus eius diademata septem. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura: ut, cum peperisset, filium eius devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: et raptus est*

[1] Cfr Lampen, *Mulier amicta sole*, in *Studi Francescani*, 20 (1923) 273-82; L. Fonck, S. I., in *Verbum Domini*, 2 (1922) 353-357; Terrien, o. c., 2, l. c., 3; E. B. Allo, O. P., *Le douzième chapitre de l'Apocalypse*, in *Revue Biblique*, 1909, t. 18, pp. 529-554; Bover I., *El capítulo XII del Apocalipsis y el capítulo III del Génesis*, in *Est. Ecl.*, 1922, 319-336; Rivera A., *Inimicitias ponam..., Signum magnum apparuit... (Gen.*, 3, 15; *Apoc.*, 12, 1), in *Verbum Domini*, 21 (1941) 113-122; R. M. De La Broise, *Mulier amicta sole. Essai exégétique*, in *Etudes*, t. 71 (avril-juin 1897), pp. 289 et sq.; Perrella C., C. M., *Senso mariologico dell'Apocalisse*, 12, in *Divus Thomas* (Plac.) a. 43 (1940), n. 3, pp. 215-223; Di Fonzo L., O. F. M. Conv., *Intorno al senso mariologico dell'Apocalisse*, 12, in *Marianum*, 3 (1941) 248-268.

filius ad Deum, et ad thronum eius. Et mulier fugit in solitudinem ubi habebat locum paratum a Deo ... Et factum est proelium magnum in coelo ... Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem ... Et postquam vidit draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem; quae peperit masculum ... Et iratus est draco in mulierem; et abiit facere proelium CUM RELIQUIS DE SEMINE EIUS, *qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi* ». *Breviter*: Cum mulier, cernente dracone seu diabolo, filium peperisset, raptus est filius eius ad Deum: tunc, facto in coelo proelio magno, draco in terram lapsus coepit *mulieris semen* persequi.

Hoc posito duo quaeri possunt: 1) quaenam est mulier ibi significata? ... 2) Quomodo spiritualis B. Virginis maternitas ex illo textu erui potest ?

Ad 1^um^: *A*) Plerique auctores, tum veteres, tum recentiores, in muliere illa Apocalypsis significatam vident *Ecclesiam*, matrem spiritualem corporis Christi mystici, et ideo dolori et persecutionibus subiectam.

Ita S. AUGUSTINUS: « Haec autem mulier antiqua est civitas Dei, de qua in psalmo dicitur: Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei » (*In Ps. 142*, PL 37, 1846). Ita pariter S. METHODIUS,[1] S. VICTORINUS PETAVIENSIS,[2] S. PATERIUS,[3] AILULFUS,[4] ANSELMUS LAUSAN.,[5] S. BRUNO ASTENSIS,[6] WALFRIDUS STRABO,[7] S. BEDA VENERABILIS,[8] RICHARDUS A S. VICTORE,[9] S. MARTINUS LEGIONENSIS,[10] GUILELMUS ESTIUS qui scripsit: « Expositio de Ecclesia convenientior videtur » (*In Apoc.*, 12, 1).

« C'est à peine si — scribit P. Terrien, o. c., p. 61 — parmi les anciens interprètes du texte apocalyptique, on en pourrait nommer deux ou trois qui n'aient pas explicitement attribué ce magnifique symbole à la sainte Eglise du Christ ».

Et bene quidem ea quae ibi leguntur Ecclesiae applicari possunt, quin imo, argumentum primarium totius apocalypsis Ecclesiam esse, omnes concedunt.

Ipsa est *amicta sole*, sive quia filii eius, fideles, in baptismate, Christum, iustitiae solem, induuntur, sive quia ipsamet luce divina circumfusa refulget. *Luna* sub pedibus eius nobis demonstrat quomodo bona vana et mutabilia huius mundi pedibus calcat. *Duodecim stellae* sunt Apostoli. *Clamat parturiens*, eo quod magnis doloribus filios Christo parit. *Masculum* parit eo quia Ecclesiae filii fortes et constantes esse debent, et quia sunt membra corporis cuius Christus est caput. Filiis Ecclesiae diabolus iugiter insidiatur; cum vero aliquis ex filiis Ecclesiae in coelum rapitur, diabolus alios Ecclesiae filios acrius insidiatur.

[1] *Symposion*, 8, 4, PG 18, 143 ss.
[2] PL 5, 336.
[3] *Lib. de Testimoniis*, PL 79, 1113.
[4] *Expos. in Apoc.*, PL 79, 1410.
[5] *Enarrat. in Apoc.*, PL 162, 1543.
[6] *Expos. in Apoc.*, PL 165, 667.
[7] In *Glossa Ordinaria*, PL 114, 731.
[8] *Expos. in Apoc.*, PL 93, 131, 165.
[9] *Explic. in Ap.*, PL 196, 798.
[10] *Expos.*, PL 209, 365.

B) Alii, e contra, praesertim in Ecclesia Graeca, in muliere illa et quidem in sensu litterali, B. Virginem vident.

Hanc sententiam a nonnullis propositam, commemorant ANDREAS Episcopus Caesariensis[1] (c. a. 515), ARETHAS, Ep. pariter Caesariensis (c. a. 914),[2] et OECUMENIUS TRICCENSIS (c. a. 601). Inter recentiores interpretes hanc sententiam sequuntur GUSTAVUS BICKEL, SANZIO SANSI etc. Inter protestantes vero hanc sententiam tenuerunt HENRICUS BULLINGER (1557), DAVID PARENS (1618), TINIUS (1839) etc.

Et iure meritoque, omnia enim quae in textu illo de muliere dicuntur, bene B. Virgini applicari possunt. Ideo in ipsa S. Liturgia, et quidem bis in officio Immaculatae verba illa ad B. Virginem referuntur; imo in officio Numismatis miraculosi integrum caput 12 legitur et B. Virgini applicatur.

C) Alii tandem *B. Virginem* et *Ecclesiam* simul in illa muliere vident, vel saltem B. Virginem non excludunt.

Ita CLEMENS ALEXANDRINUS (c. 150-215) qui tenet Auctorem Apocalypsis, lineamenta a Maria desumpsisse ad Ecclesiam pingendam, in una eademque imagine has duas virgines et matres confundendo (*Paedagogus*, PG 8, 300 C). Ita etiam Auctor operis DE SYMBOLO AD CATHECHUMENOS (inter op. S. Augustini, PL 40, 661): « Draconem diabolum esse, *nullus vestrum ignorat* mulierem illam Virginem Mariam significasse quae Caput nostrum integra integrum peperit, quae etiam ipsa figuram in se Ecclesiae demostravit ». Perpendantur verba: « nullus vestrum ignorat »: non erat ergo nova quaedam interpretatio, sed *communis persuasio* fidelium illius perantiqui temporis.

Ita etiam PSEUDO-AMBROSIUS (PL 17, 875), PRIMASIUS (PL 68, 872 s.), ALCUINUS (PL 100, 1152), AMBROSIUS AUTPERTUS († a. 778) cuius praeclara verba haec sunt: «Hoc certe signum (ab Isaia praedictum: *Ecce Virgo*...) nunc usque videtur in coelo, id est in Ecclesia sanctorum. Dicatur itaque apertius, quid sit hoc signum. Denique sequitur: *Mulier amicta sole*. Ac si diceretur: Beata semperque Virgo Maria, obumbrata Altissimi virtute, cui videlicet dictum ab Angelo scimus: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, illa scilicet virtus, de qua Paulus dicit: Christum, *Dei virtutem et Dei sapientiam*. Et quia plerumque genus invenitur in specie, ipsa Beata ac pia Virgo hoc loco personam gerit Ecclesiae, quae novos cotidie populos parit, ex quibus et generale Mediatoris corpus formatur. Non autem mirum, si illa typum Ecclesiae praetendat, in cuius beato utero capiti suo eadem Ecclesia uniri meruit. Nam et in sequenti lectione aliqua narrantur, quae iuxta litteram Beatae Virgini specialiter congruere non possunt, sed electorum Ecclesiae secundum mysticam narrationem generaliter conveniunt » (*Maxima Bibl. Veterum Patrum*, Lugd. 13, 530). Eadem ad verbum repetit HAYMO HALBERSTADIENSIS († 853) O. S. B. (PL 417, 1080). Eadem sententia a RUPERTO TUITIENSI (*Comm. in Apoc.*, PL 68, 872) et a S. BERNARDO tenetur: «Putasne — inquit — ipsa est sole amicta mulier? Esto siquidem ut de praesenti Ec-

[1] *Commentarius in Apoc.*, c. 12, PG 106, 320, 324.

[2] *Expl. in Apoc. ex Comm. S. Andreae*, PG 106, 320.

clesia id intellegendum propheticae visionis series ipsa demonstret, sed id plane non inconvenienter Mariae videtur attribuendum » (PL 183, 430).

Idem pariter tenent Cassiodorus (*Complexiones* in Apoc., PL 70, 1411), Auctor Comm. in Ap. (aliquando S. Thomae tributi), S. Bonaventura (*Op. omnia*, 4, 756 a; 9, 700 a), Nicolaus Lyranus (*Glossa in Ap.*), Petrus Olivi (*Postilla super Apoc.*), S. Bernardinus Sen., Estius, S. Laurentius a Brundusio, etc. Inter recentiores exegetas idem tenent Ribera, Viegas, Calmet, Alcazar, Tirino, Vouters, Drack, Crampon, Newman, De la Broise, Schaefer, Lesêtre, Blanc, Fonk, Vigouroux, Baguez, Fillion, Sales, Lampen, Repetti etc.

Haec tertia sententia multis rationabilior videtur. Ideoque merito verba illa tum Ecclesiae tum B. Virgini, et quidem, non sensu mere *accommodato* sed scripturistico applicantur. Haec enim interpretatio aliis interpretationibus non contradicit; quin imo illas veluti conciliat; neutra interpretatio symbolum in sua *plena* et totali significatione consideravit et ideo nulla oppositio inter illas, una non excludit aliam, quin imo mutuo se complent. Iure ergo meritoque scribebat P. B. Allo O. P.: «Cette hemphase simbolique surprendra moins, si l'on admet que la mère allégorique du Messie, la communauté, est ici représentée sous les traits qui conviennent premièrement à sa mère réelle » (*Le douzième chapitre de l'Apocalypse*, p. 540). Pariter, card. Newman in vers. 5 ubi refertur nativitas pueri masculi qui ad regendas omnes nationes destinatur, haec animadvertit: « Nemo dubitat per infantem illum masculum allusionem fieri ad Dominum Nostrum; quare ergo per " mulierem " allusio non fieret ad matrem eius? » (*A letter addressed to the Rev. E. B. Pusey. D. D. on occasion of his Eirenicon*, 1865). Nec desunt *aliae* allusiones quae a variis commentatoribus agnoscuntur.

Insuper, textus iste, *in fine* Bibliae positus, perpulchram *confirmationem* nobis praebet textus Protoevangelii in *initio* Bibliae positi. Etenim, in hac complexa allegoria, *tres* personae eminent, videlicet: *mulier*, *filius* masculus quem ipsa parit, et *draco* explicite identificatus cum antiquo serpente. S. Ioannes ergo, quasi supplere volens, antequam Biblia claudatur, ei quod deest in initio, — prouti animadvertit Card. Newmann — in hoc textu Apocalypsis nobis dicit pro prima vice serpentem paradisi fuisse spiritum malum. Hinc si draco Apocalypsis est serpens Paradisi terrestris, et filius masculus est semen mulieris, mulier necessario *mater* tum Redemptoris tum redemptorum esse debet. Nova ergo revelatio veterem declarat et complet, daemonis singularem hostilitatem demonstrans quae contra Matrem et Filium, quamvis incassum, ab ipso dirigitur. Incursus isti diriguntur, evidenter, contra *Christum mysticum* et contra hanc *matrem allegoricam* quae est Ecclesia. At ipsi supponunt et testantur, ratione connexionis, incursus demonis contra *Christum realem* et *matrem eius naturalem*, incursus continuos et quodammodo saeculorum decursu repetitos. Caput XII Apocalypsis, ergo, caput III Genesis confirmat et complet. A B. Virgine ergo, etiam in cap. XII Apocalypsis praescindere omnino non possumus. Agitur ergo ibi

de Ecclesia et de B. Virgine: quod quamplurimi hodierni auctores libenter admittunt.

B. Virgo ergo et Ecclesia, duae istae matres et virgines, ab eadem veluti tabula (ritratto) repraesentatae inveniuntur. Et hoc confirmatur ratione *filii* eorum. Etenim, *primus character* huius filii, iuxta Apocalypsim, est *regnum* et potestas super omnes nationes (Apoc., 2, 26-28; 19, 13, 15-16): quod principaliter Mariae filio competit; in tantum enim Ecclesiae filiis id competit, in quantum de Capitis praerogativis participant.

Secundus vero character, i. e. lucta cum dracone, est etiam proprius Christi, Mariae filii; et ad Ecclesiae filios non transit nisi per *deductionem*, seu ratione unionis quam habent cum Christo, eo quia diabolus in ipsis et imaginem et personam Christi persequitur. Consequenter Hagiographus, et per ipsum Spiritus Sanctus, non intendebat loqui exclusive de filiis Ecclesiae, sed intendebat illos nobis praesentare in eorum intima unione cum Christo, Mariae Filio. Haec ratione modi loquendi quo ipse utitur. Consequenter, filius Ecclesiae et Filius Virginis in unitate eiusdem sensus litteralis includuntur; et hoc denuo probat *mulierem* Apocalypsis esse simul Ecclesiam et Mariam: intima enim connexio et veluti compenetratio inter *matres* valide probatur intima illa connexione et veluti compenetratione quae est inter *filios*: si filius est Filius Ecclesiae simul cum Mariae Filio, etiam *mulier* seu mater est Ecclesia simul cum Maria.

Eadem plus minusve scribit P. Fonck (l. c., p. 354): « Quamvis cum hac sententia longe communiore, textum nostrum sensu litterali imprimis de Ecclesia exponendum esse concedamus, nihilominus verba haec optime Beatissimae Virgini applicari possunt, idque non per solam accommodationem quamdam fieri merito multi commentatores agnoscunt. Etenim discipulus, quem diligebat Dominus, cui in cruce moriens Matrem suam amatissimam commiserat tuendam, in visione illa caelesti *idealem ac symbolicam figuram Ecclesiae contemplans, eo modo eam describit, qui ex persona reali Virgini Mariae desumptus esse* dicendus est. Oculis suis quasi intuetur Virginem illam, de qua Isaias vaticinatus erat: "Ecce virgo concipiet et pariet filium" (Is., 7, 14), ac magnam illam Matrem, quam Michaeas propheta praedixerat, loquens de Messia ex Bethlehem Ephrata nascituro: "... usque ad tempus, in quo parturiens pariet" (Mich., 5, 3). Hanc mulierem vates dicit peperisse *filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, qui raptus est ad Deum et ad thronum eius, et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo* (Apoc., 12, 5 s.). Unde vel ipse interpres protestans Ioannes Georgius Rosenmüller[1] in scholiis ad hunc locum fatetur: « Imago desumpta est a Maria Virgine, fugiente in Aegyptum cum infante Iesu ».

[1] Ita etiam tenet, inter Protestantes, Swete (*The Apocalypse*, London, 1908). At Protestantes hodierni, interpretationem hanc, una cum Rationalistis, communiter irrident. Cfr e. g. Bossuet W., *Die Offenbarung*, Göttingen, 1906.

Etiam Card. RUFFINI in cap. 12 Apoc. videt « pugnam diaboli adversus Ecclesiam, *Virgine matre, immaculata repraesentatam* » (*Introd. in S. Scr.*, p. 2, l. 1, p. 397). Idem dixerat Clemens Alexandrinus (*Paedagogus*, PG 8, 300).

At, QUONAM SENSU textus Apoc. XII de B. Virgine interpretari debet?

Communiter excluditur hodie quod agatur de sensu tantummodo *accommodato*. Et iure quidem, eo quod textus ipse, usus liturgicus nec non interpretatio plurium exegetarum quid amplius evidenter dicunt. Agitur ergo ibi de B. Virgine in sensu vere *scripturistico*. Iure igitur, ulterius, interpretes hodierni quaerunt: agitur ne de B. Virgine in sensu *typico* vel *litterali*? ...

Communiter hodie excluditur sensus *typicus*, ob plures difficultates, quae exurgunt sive si B. Virgo consideretur ut *typus* (Ecclesia vero antitypus), sive si consideretur ut *antitypus* (Ecclesia vero ut typus). Eo vel magis quod typus (qui est inferioris ordinis respectu antitypi), debet *praecedere* antitypum; inter B. Virginem vero et Ecclesiam, potius quam *praecedentia* unius respectu alterius, *compenetratio* quaedam habetur: etenim neque Ecclesia sine B. Virgine, nec B. Virgo sine Ecclesia concipitur.

Deposito igitur sensu *typico* seu spirituali, hodierni interpretes communiter ad sensum *litteralem* recurrunt. Non conveniunt tamen in determinando modo quo de B. Virgine *litteraliter* agitur.

P. ALLO tenere videtur B. Virginem ibi in sensu litterali *secundario* (*L'Apocalypse*, Paris, 1933, p. 194), Ecclesiam vero in sensu litterali primario designari.

IACONO *unicum sensum litteralem* admittit cum *duplici tamen obiecto* (Ecclesia nempe et Deipara) cuius tamen primum (Ecclesia) ad secundum (Deipara) sese refert (*Maria SS. mediatrice di tutte le grazie*, Pompei, 1937, p. 174).

PERRELLA, tenet sensum mariologicum Apoc. XII esse *litteraliter implicitum*, id est: Mulier illa apocalyptica *litteraliter explicite* est Ecclesia, *litteraliter implicite*, vero, est Deipara (*Senso Mariologico dell'Apocalisse*, 12, in *Divus Thomas Plac.*, a. 43, 1940, n. 3, p. 220). [1] Quod mulier illa, *litteraliter explicite* sit Ecclesia evidenter apparet ex universo parallelismo et ex argumento universali totius Apocalypsis, quod Ecclesiam respicit. Ex pleniori autem interpretatione illius textus, eruitur quod mulier illa sit etiam B. Virgo, prout apparet ex symbolismo quo S. Ioannes in Apocalypsi utitur, quibusdam factis hystoricis alias veritates superiores exprimere solitus. In casu nostro, proinde, S. Ioannes usus esset historica figura Deiparae ad Ecclesiam universalem sive Veteris sive Novi Testamenti describendam.

P. DI FONZO, in articulo quodam contra P. Perrella conscripto, conatus est ostendere B. Virginem ibi repraesentari tamquam *symbolum Ecclesiae*. At dum in usu ordinario symbolorum, in genere, sensus litteralis proprie respicit rem

[1] Cfr recensio huius articuli a nobis peracta in *Marianum*, 2 (1940), 442-444.

symbolo expressam (il simboleggiato), in casu nostro e contra, sensus litteralis etiam symbolum ipsum (B. Virginem) ex ipsa intentione S. Ioannis, respiceret. Et ideo sensus mariologicus Apocalypsis XII vocari potest sensus *litteralis explicitus* SYMBOLICUS, sive a Spiritu Sancto sive ab hagiographo intentus. Haberetur itaque *duplex sensus litteralis* et *explicitus*: unus genericus, communis, realis, principalis, *primarius* (Ecclesia); alius vero specificus, symbolicus, necessario *subordinatus* (ad rem per symbolum expressam) et ideo *secundarius* (Deipara). Agitur ergo de sensu *litterali secundario explicito symbolico specifico.*

At, quidquid sit de variis istis sententiis, uno alterove modo B. Virgo semper includitur et semper exprimitur.

B. Virgo, igitur, simul cum Ecclesia, cuius est exemplar, in cap. XII Apoc. significatur. Hoc posito, sic arguimus:

Id quod convenit Ecclesiae, aeque convenit Mariae quae est exemplar et figura Ecclesiae, et quidem proprie, ratione connexionis realis et obiectivae. Atqui Ecclesiae convenit ut sit mater membrorum corporis Christi mystici. Ergo et Mariae id convenit.

Quod egregie demonstrat PIUS X in Ep. *Ad diem illum*:

« *Nullus autem ignorat*, mulierem illam (Apocalypsis) B. Virginem significare, quae caput nostrum integra peperit. Sequitur porro Apostolus: "Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat" (ib. 2). Vidit igitur Ioannes sanctissimam Dei Matrem aeterna iam beatitudine fruentem, et tamen ex arcano quodam partu laborantem. Quonam autem partu? Nostrum plane, qui exilio adhuc detenti, ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parientis vero labor studium atque amorem indicat, quo Virgo, in coelesti sede, vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus impleatur ».

II – PROBATUR EX TRADITIONE

I. **Ex Patribus**. Spiritualis maternitas Deiparae communiter traditur a Patribus in percelebri *parallelismo antithetico inter Evam et Mariam*, quatenus nempe vita supernaturalis gratiae quam perdidit Eva, restituta nobis fuit a Maria. Eva fuit *causa mortis*, Maria vero *causa vitae.*

At praeter hanc veluti genericam declarationem Maternitatis spiritualis Deiparae, inveniuntur identidem apud Patres textus quidam talem maternitatem magis directe vel etiam explicite proclamantes.

S. IRENAEUS LUGDUNENSIS (c. 140 † 202-3), primus omnium de nostra spirituali *regeneratione* per Mariam egit. Scripsit enim: « Purus [Christus] pure puram aperiens *vulvam, quae regenerat* homines in Deum » (*Adv. haer.*, 4, 33, 11). Eadem ergo vulva quae generavit Deum (id est B. Virgo), regeneravit etiam nos homines in Deum. Deipara igitur hominum mater proclamatur.

Origenes (c. 185-254) explicite docuit quod ratione vitae supernaturalis, quilibet homo accipit « a Iesu Mariam, quae etiam ipsius Mater fiat » per illa verba: « Ecce Mater tua... Ecce filius tuus » (PG 14, 32). [1]

S. Ephraem (306-373) asserit quod nos « per Mariam translati sumus de morte ad vitam » (Assemani, *Opera S. Ephraem*, t. 3, 607). Ad B. Virginem haec verba dirigit: « Virgo Domina, Dei Genitrix, salus communis generis christianorum; tu quidem *veluti mater* nobis prospicere non desistis ». (Ibid., 3, 543). « Salve, omnium parens ». (Ibid., p. 576).

S. Epiphanius (cc. 315-402). B. Virgo appellatur « viventium mater » eo quod « a Maria Virgine vita ipsa est nobis producta » (*Adv. haer.* l. 3, t. 2, haer. 79, PG 42, 727).

S. Ambrosius (cc. 339-397): « In quo Virginis utero simul acervus tritici et lilii floris gratia germinabat; quoniam et granum tritici generabat et lilium... Sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum: "Et valles abundabunt frumento" quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit... Ex quo ergo utero Mariae diffusus est in hunc mundum acervus tritici munitum inter lilia, quando natus est in ea Christus » (*De Instit. Virgin.*, c. 16, n. 91, PL 16, 327). [2] In monte vero Calvario, haec spiritualis maternitas fuit a Christo solemniter promulgata. (Cfr PL 16, 1270). [3]

S. Augustinus (354-430) distinguit inter maternitatem *physicam* Deiparae relate ad Christum, et maternitatem eius *spiritualem* relate ad homines quatenus sunt membra Christi capitis: « plane mater membrorum eius (Christi), quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius Capitis sunt membra » (*De sancta virginitate*, n. 5, et sq., PL 40, 398).

S. Petrus Chrysologus († c. 450) exposita antithesi inter Evam et Mariam, ita concludit: « Adiecit congrue, Benedicta tu in mulieribus. Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc *mater viventium per gratiam*, quae mater extitit morientium per naturam » (Serm. 140, PL 52, 576).

S. Venantius Fortunatus († c. 601) in hymno *Ave Maris stella*, ipsi tributo, sic orat: « Monstra te esse Matrem » (PL 88, 266).

[1] Cfr *Zeitschrift für Kath. Theol.*, 1916, p. 598; 1923, pp. 391, 617.

[2] Iure animadvertit Campana: « Il pensiero di Ambrogio, benchè si svolga non senza fatica, è però chiaro da non potersi fraintendere. Egli dice in sintesi che Gesù, unico grano dal quale germinano misticamente i cristiani, sì da formare con lui un sol cumulo di mistico frumento, era, non solo in quanto singolo grano, ma precisamente in quanto cumulo nel seno della Vergine, la quale, generando Gesù, è con ciò diventata genitrice di tutti i fratelli di Lui » (*Maria nel dogma*, p. 1, q. 1, c. 2, a. 4).

[3] Contrarium tenet P. E. Vismara in *Salesianum* 7 (1945) 97-143.

Ioannes Ep. Thessal. († c. 649) maternitatem spiritualem explicite docet. Ab Apostolis enim B. Virgo appellatur: « *Mater omnium* qui salvi fiunt ». (*Homil. in Dormit. B. M. V.*, Graffin-Nau, *Patrol. Or.*, t. 19, pp. 344-438).

S. Ioannes Damascenus († c. 749) in ore Virginis morientis haec verba ponit: « Tu (Christe) charissimis meis *filiis*, quos tu *fratres* appellare non dubitasti, migrationis meae solatium esto » (Homil. 2, *In Dormit*, PG 96, n. 10, 735).

Et haec sufficiant. « Il serait inutile — scribit P. Terrien (o. c., p. 2, l. 1, p. 74) — de parcourir la suite des siècles jusqu'à nos jours, pour y chercher si ce titre de *Mère des hommes* a continué d'être universellement et constamment attribué par les Pères, les écrivains ecclésiastiques, les Saints et les fidèles à la bienheureuse Vierge Marie. Tous les âges et toutes les plages retentissent de ce nom béni. L'enfant apprends à le prononcer sur les genoux de sa mère, et le docteur l'invoque et le célèbre comme l'enfant; s'il est une différence, c'est que les simples en goûtent souvent mieux la signification tandis que le théologien définit avec plus de précision les raisons sur lesquelles il s'appuie. Mais tous, ignorants et savants, répètent de cœur et de bouche avec le grand Saint Anselme: " O ma souveraine, Dieu vous a faite *sa mère*, afin que vous deveniez *la mère* de tous ceux qui croient en Lui ... Reconnaissez donc, o Vierge bénie, pour enfants ceux que votre Fils uniquement aimé n'a pas rougi d'appeller ses frères ... ". Orat. 47 et 49. PL 158, 945, 947) ».

II. **Ex RR. Pontificum auctoritate**. Testimonia quamplurima iam attulimus ubi de argumento ex S. Scriptura. Sequentia testimonia sufficiant:

1) Leo XIII in Litt. « Magnae Dei Matris » (t. 3, p. 144): « Si debemus Christo quod nobiscum eius sibi proprium quodammodo communicarit Deum vocandi et habendi patrem, *eidem similiter debemus communicatum amantissime ius, Mariam vocandi et habendi matrem...* » (Cfr Bittremieux, o. c., p. 129).

2) Pius X: « Virgo sanctissima, quemadmodum Iesu Christi Genitrix, *ita omnino est christianorum Mater*, quippe quos in Calvariae monte inter supremos Redemptoris cruciatus regeneravit: itemque Iesus Christus tamquam primogenitus est christianorum, qui sunt ei adoptione ac redemptione fratres » (*Quamquam pluries*, t. 2, p. 254).

In iisdem Litt. dicitur: « quaeque (B. Virgo) matrum omnium est optima et studiosissima » (t. 3, p. 150).

III. **Ex Liturgia**. Etiam in sacris Liturgiae labiis vox « *Mater hominum* » saepe resonat, prout videre est in op. F. J. Mone: « Hymni latini medii aevi » Frib. Herder, 1854. Patres nostri, iugiter cecinerunt: « Monstra te esse Matrem!». Et Ecclesia in officio VII Dolorum B. M. V., fidelibus repetit: « Gemitus *matris* tuae ne obliviscaris ». In Officio pariter Dominae nostrae a bono Consilio, Eccle-

sia sic precatur: « Deus qui *Genitricem* Filii tui *matrem* nobis dedisti ». Quin immo, Patribus O. S. M. Sanctuarii apud Portland Pius XI privilegium concessit celebrandi Festum B. M. V. Matris generis humani.

« Ainsi — concludit P. Terrien (o. c., p. 2, l. 1, c. 4, pp. 80-81) — la foi des chrétiens vénère en Marie deux maternité, comme elle adore une double paternité dans la première des personnes divines. C'est en premier lieu la paternité et la maternité de nature. Pour Marie comme pour le Père Jésus-Christ est l'Unique; car lui seul reçoit de l'un la nature qui le fait Dieu, de l'autre la nature qui le fit substantiellement homme. Mais pour l'un comme pour l'autre, Jésus-Christ est encore un premier né, puisque tous deux lui donnent des frères en enfantant des fils selon la grâce: ce qui n'est plus la paternité ni la maternité de nature, mais celle d'adoption. Adoption toutefois qui surpasse à l'infini celle qui se voit parmi les hommes, puisque elle va jusqu'à transformer la nature elle-même des adoptés par une participation réelle et souverainement intime de la nature de Dieu ».

III – PROB. EX RATIONE THEOLOGICA

I. Mater *Dei-Hominis* et *Redemptoris* debet esse etiam mater hominum. Atqui B. Virgo est Mater Dei-Hominis et Redemptoris. Ergo.

Ad Maiorem. Christus enim, sub duplici respectu considerari potest: *a*) ut *Deus-Homo* et *b*) ut Redemptor generis humani. *a*) Prout est *Deus-Homo*, corpus *physicum* habet sicut ceteri homines; *b*) prout est vero *Redemptor* generis humani, corpus habet *mysticum*, societatem nempe illorum qui in Ipsum credunt secundum verba S. Pauli (Rom., 12, 5). Hoc posito, B. Virgo Filium Dei non concepit et peperit ad hoc ut esset Deus-Homo tantum, sed etiam ad hoc ut esset humani generis *Redemptor*, seu Salvator, et quidem per humanam naturam ab ipsa acceptam, prout Angelus ad pastores dixerat: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus » (Luc. 2, 11). In eodem ergo sinu B. Virginis Iesus et corpus suum *physicum* et corpus suum *mysticum* accepit. Consequenter B. Virgo, simul cum Christo etiam nos (corpus Christi mysticum) concepit et peperit, et ideo etiam mater nostra dici debet.

II. Illa est vera mater nostra spiritualis (i. e. in ordine supernaturali), quae nostrae regenerationi spirituali cooperata est. Atqui B. Virgo, utpote Corredemptrix, cooperata est nostrae regenerationi spirituali. Ergo.

Confirmatur ex hoc quod B. Virgo semper, erga homines, saeculorum decursu materni amoris impulsu acta, *munia materna gessit*, illos sive salubri pabulo *pascendo*, sive in vitae supernaturalis periculis ab hostibus *defendendo*, sive in animorum afflictionibus *consolando*, sive in variis necessitatibus *subveniendo*, prout historia abunde testatur.

Convenientia vero huius spiritualis maternitatis elucet sive 1) consideretur *relate ad Deum*, sive 2) consideretur *relate ad homines*.

1) *Relate ad Deum*: *a*) Ex parte *Patris* qui unum habet Filium secundum naturam et quamplurimos secundum gratiam i. e. per adoptionem. Iamvero, conveniens est quod, sicut sibi B. Virginem consociavit in generatione Filii sui per naturam, illam etiam consociaret in generatione filiorum per adoptionem, ita ut socia fecunditatis per naturam fieret etiam socia fecunditatis per gratiam; et ita nedum Primogenitus sed alii etiam filii unum eumdemque patrem et unam eamdemque matrem haberent.

b) *Ex parte Filii* qui non *plene frater noster* dici posset si praeter patrem etiam matrem suam *communem* cum nobis non haberet; et non plene in participatione omnium bonorum suorum nos admisisset, si matrem etiam suam, sicut et omnia alia sua, nobis non dedisset.

c) *Ex parte Spiritus Sancti* qui operatur tum in generatione Christi filii Dei naturalis (Luc., 1, 35), tum in generatione filiorum adoptivorum, quae generatio filiorum adoptivorum nihil aliud est nisi prolongatio et veluti complementum generationis filii Dei naturalis i. e. Christi, quia Christum *totalem* constituunt. Convenit ergo, ut B. Virgo, sicut socia fuit Spiritus Sancti in generatione corporis *physici* Christi, ita socia fieret eiusdem in generatione corporis eius *moralis*; sicut socia fuit in generatione *capitis*, ita etiam socia fieret in generatione *membrorum*.

2) *Relate ad homines*: ratio convenientiae desumitur ex *analogia inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem* super quo aliquo modo fundatur: gratia enim, quae est principium ordinis supernaturalis, non destruit sed perficit naturam, et necessitates vitae supernaturalis similes sunt necessitatibus vitae naturalis. Iamvero, sicut in vita nostra naturali Deus dedit nobis matrem, ita conveniens erat ut etiam in vita supernaturali matrem nobis daret, maxime cum in hac vita supernaturali, usque ad nostrum in coelo ingressum (ubi vita haec perficietur) nos sumus etiam veluti infantes et ideo matre indigentes.[1]

II. De extensione Maternitatis spiritualis B. M. V.

Absoluta quaestione fundamentali de *veritate maternitatis spiritualis* B. Virginis, remanet ut de eius *extensione* aliquid dicamus.

Ratio quaestionis ex diverso modo loquendi Patrum et Doctorum desumitur. Quidam enim dicunt B. Virginem matrem esse *omnium creaturarum rationalium*, totius generis humani; alii dicunt B. V. matrem esse *fidelium*, i. e. filiorum Ecclesiae aut *iustorum*; alii tandem — ut S. Bernardinus Senensis et S. Anselmus —

[1] Pro maiori evolutione harum rationum cfr TERRIEN, p. 2, l. 1, c. 3, pp. 50-58; P. VENTURA, o. c., p. 1, c. 3; A. NICOLAS, *La Vierge Marie et le plan divin*, l. 3, c. 3; *La Vierge Marie vivant dans l'Eglise*, l. 4, c. 2 et 3.

dicunt illam esse Matrem *electorum* et praedestinatorum. Attamen haec differentia est tantummodo apparens, respiciens tantummodo modum loquendi, quia reapse doctrina est eadem. Quamvis enim B. Virgo omnium hominum Mater, aliquo modo, dici possit, *diversimode* tamen de ipsis dicitur.

Prop.: *B. Virgo est mater omnium hominum, exceptis damnatis, quamvis diversimode.*

Prob. I. **pars**. « B. Virgo est mater omnium hominum ».

Prob.: I. **Auctoritate**: 1) RR. PONTIFICUM:

a) LEO XIII: « Ita suppliciter imploramus... ante omnes sanctissimam Dei Genitricem, quam *humano generi* Christus ipse e cruce reliquit atque *attribuit matrem...* » (*Amantissimae voluntatis*, t. 4, p. 198).

Insuper: « In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus *personam humani generis*, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent... » (*Adiutricem populi*, t. 4. p. 238).

b) PIUS XI: « ... Maria, quae, cum *homines universos* in Calvaria habuerit materno animo suo *commendatos*, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Cristo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter » (Encycl. *Rerum Ecclesiae*, AAS, t. 18, 1926, 83). Hinc B. Virgo nedum fidelium sed etiam *infidelium* est mater.

2) SS. PATRUM qui passim affirmant B. Virginem matrem esse omnium hominum.

II. **Ratione**: B. Virgo est spiritualis mater illorum quorum Christus est *caput* morale. Atqui Christus est caput morale omnium hominum. Ergo et B. Virgo est mater spiritualis omnium hominum.

Ad Mai. Ratio est quia in tantum Mariae filii sumus, in quantum ad Christum pertinemus et participamus de vita supernaturali capitis nostri.

Ad Min. Christus, enim, est Redemptor omnium, prout dicitur in 1 Timoth. 2, 6: « Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus »; et in I Ioan. 2: « Ipse es propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro *totius mundi* ». Iamvero — ut animadvertit S. Thomas (3, q. 7, a. 3) « salvare homines, et propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo, secundum quod est caput; ergo Christus est caput omnium hominum ».

Prob. II. **pars**. Illo modo B. Virgo est mater hominum, quo Christus est omnium hominum caput. Atqui *diversimode* Christus est omnium hominum caput. Ergo *diversimode* B. Virgo est omnium hominum mater.

Ad Min. Etenim, quorumdam Christus est caput *in actu*, quorumdam vero in *potentia* tantummodo.

Actu Christus caput est fidelium *peccatorum*, fidelium *iustorum* et fidelium *beatorum*, sed gradu diverso; etenim:

a) fideles primae classis tantummodo per *fidem* Christo uniuntur, sed caritate carent, et ideo sunt uniti Chrito *sec. quid*; istorum ergo B. Virgo est *mater sec. quid*;

b) fideles secundae classis, i. e. iusti, actu uniuntur Christo per caritatem viae, et ideo istorum Christus est caput *simpliciter*, sicut et Maria est *Mater simpliciter*;

c) fideles tertiae classis actu Christo uniuntur per fruitionem patriae ita ut numquam possint ab eo divelli; et horum Christus est principaliori et excellentiori modo caput, et B. Virgo Mater.

Potentia autem Christus caput est infidelium, qui tamen forsan aliquando actu ipsi unientur; et istorum B. Virgo est *mater in potentia* tantum. Hinc, omnes homines, in praesenti vita, sunt membra Christi et ideo Mariae filii saltem *in potentia*; tum quia retinent liberum arbitrium flexibile in bonum, tum quia remanent ipsis gratia et virtus Christi, quae est sufficiens ad salutem totius humani generis.

Dictum est in propositione: *exceptis damnatis*. Ratio est quia isti nec actu nec in potentia ad Christi corpus pertinent quia, utpote existentes in termino, voluntatem habent in malo firmatam nec ullam amplius gratiam recipiunt aut recipere possunt; et ideo damnatorum B. Virgo nullo modo mater, sicut et Christus nulla ratione eorum caput dici potest.

Licet omnes homines iusti sint simpliciter Mariae filii, religiosi tamen, praesertim Ordinibus et Congregationibus Mariae sacris adscripti, in hoc praestare dici possunt; et horum B. Virgo speciali ratione mater dici debet.

Quaestio I.: *Utrum B. Virgo dici possit Mater etiam illorum omnium qui Christum praecesserunt.*

RESPONDETUR: *affirmative*, quia illi omnes salvi facti sunt per fidem sive explicitam sive saltem implicitam in Christum venturum eiusque Matrem, ut bene cecinit Alighierius:

> . . . a questo regno
> non salì mai chi non credette in Cristo
> nè pria nè poi ch'Ei si chiavasse al legno.
> (*Par.*, 19, 103-5).

B. Virgo enim, iuxta Dei consilium, est intime et necessario connexa cum Christo; unde fit ut revelatio de Matre aequali veluti gradu cum revelatione Filii processit; et spes et aspiratio *messianica* fuit etiam spes et aspiratio *mariana*. Hinc, quia illis sicut et nobis, communem dedit Auctorem vitae nostrae divinae seu gratiae, etiam illorum mater dici potest et debet. B. Virgo spiritualiter regeneravit illosmet qui ipsam corporaliter genuerunt, videlicet SS. Ioachim et Annam. (Cfr Ioannem, Monach. Euboeae, Serm. *In Concept. SS. Deip.*, n. 12, PG, 96, 1477). Iure ergo B. Virgo « negotium omnium saeculorum » appellatur (S. BERNARDUS, *In festo Pentec.*, 2, 4, PL 183, 328).

SECTIO QUARTA

DE SINGULARI MISSIONE B. M. VIRGINIS CONSIDERATA IN SUIS CONSECTARIIS

Duo sunt magna consectaria quae ex singulari missione B. M. Virginis derivantur, videlicet: *universalis Mediatio et universalis Regalitas*. Ex hoc ipso enim quod B. Virgo sit mater sive Creatoris sive creaturarum, sequitur ipsam esse Mediatricem inter Creatorem et creaturas, nec non universorum Reginam.

Agendum igitur est:

I. *De mediatione universali B. M. Virginis.*

II. *De Regalitate universali B. M. Virginis.*

Cap. I – DE MEDIATIONE UNIVERSALI B. M. VIRGINIS

Ratio quaestionis. Primum consectarium singularis missionis, seu, universalis maternitatis B. M. V. est, procul dubio, universalis mediatio.

Maternitas enim sive relate ad Creatorem, sive relate ad creaturas, B. Virginem veluti in medio collocat inter Creatorem et creaturas, utrumque extremorum coniungendo.

Divisio Quaestionis. Cum vero de Mediatione universali tam in genere quam in specie pertractari possit, agendum erit:

I. *De Mediatione B. M. Virginis in genere.*

II. *De Mediatione B. M. Virginis in particulari.*

I – *DE MEDIATIONE B. M. VIRGINIS IN GENERE*

BIBLIOGRAPHIA: Ailinger A., S. I., *Maria aller Gnaden Mittlerin*, Kirnach-Villingen 1938; Alameda, *Maria Mediadora*, Vitoria, 1928; Albers, O. P., *La Mediación universal de la S.ma Virgen, según el Bto Alberto Magno*, in *La Vida Sobrenatural*, t. 18 et 19 (1929-1930); Bello L., O. F. M., *Maria Mediatrice di tutte le grazie*, Milano, 1939; Bittremieux, *De Mediatione universali B. M. Virginis quoad gratias*, Bruges, 1926; Bover I., S. I., *De B. Virgine Maria Universali gratiarum Mediatrice*, Barcinone, 1921; *Los fundamentos de la Mariología en las Epístolas de S. Pablo: El Protovangelio estudiado a la luz de la Teología de S. Pablo*, in *Estudios eclesiásticos*, 2 (1923) 79-93; 134-151; 3 (1924) 38-80; *La mediación universal de la Virgen en Santo Tomas de Aquino*, Bilbao, 1924; *La mediación universal de María según S. Ambrosio*, in *Gregorianum*,

5 (1924) 25-26; *Universalis B. Virginis Mediatio ex proto-evangelio demonstrata*, in *Gregorianum*, 5 (1924) 569-583; *S. Irenaeus Lugdunensis, universalis mediationis B. M. V. egregius propugnator*, in *Analecta sacra Tarraconensia*, 1 (1925) 225-241; *La mediación universal de la Santísima Virgen en las obras del B. Alberto Magno*, in *Gregorianum*, 7 (1926) 511-548; *S. Ephraem Doctoris Syri testimonia de universali B. M. V. Mediatione*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 4 (1927) 161-179; *Universalis B. M. V. mediatio in scriptis Ioannis Gerson*, in *Gregorianum*, 9 (1928) 242-268; *Maria Mediatrix*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 6 (1929) 439-462; *De universali B. M. V. Mediatione metaphorica testimonia*, in *Marianum* 3 (1941) 201-237; *Pauli doctrina de Christi Mediatione, Mariae mediationi applicata*, in *Marianum*, 4 (1942) 81-90); *La Mediación de la Virgen María, según Santo Tomas de Villanueva*, in *Estudios Marianos*, vol. I, 1942, pp. 227-271; *Posición transcendente y actuación universal de María en el mundo de la gracia*, Barcelona, 1946; *María, Mediadora universal o Soteriología Mariana*; Madrid, 1946. CAROL I. B., O. F. M., *The theological concept of Mediation and Co-Redemption* Extrait des *Ephem. Theol. Lov.*, nov. 1937; CLEMENT C., SS. R., *St. Alphonse de Liguori: son apostolat pour la médiatrice de toutes grâces*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 8 (1931) 47-66; DEN EFFE S. I., *Maria, die Mittlerin aller Gnaden*, in *Scholastik*, 4 (1929), 321-251; DESMARAIS, *S. Albert le Grand, docteur de la médiation mariale*, Paris-Ottawa, 1935; DEVY V., *Cause première et causes secondes. Principes généraux de la médiation mariale*, in *Rev. de l'Univ. d'Ottawa*, 4 (1934) 127*-140*; 162*-179*; DI FONZO L., O. F. M. Conv., *Doctrina S. Bonaventurae de universali mediatione B. M. V.*, Romae, 1938; DUBLANCHY, *Marie*, in *Dict. Théol. Cath.*, 9, 2389-2409; ELEJALDE, *La mediación universal de la Virgen S.ma según la doctrina de S. Alfonso M. De Ligorio*, in *Crónica Oficial del Congreso Mariano Hispano-Americano de Sevilla*, pp. 556-608; FERNANDEZ, *De mediatione B. Virginis secundum doctrinam D. Thomae*, in *La Ciencia Tomista*, 20 (1928) 145-170; FRIETHOFF, *Sint Thomas van Aquine en het middelaraarschap van Maria*, in *Nederl. Kathol. Stemmen* 23 (1923) 332-345); *De duplici ratione ob quam B. Virgo Mediatrix nuncupatur*, in *Angelicum*, 6 (1929), 207-216; *De alma Socia Christi Mediatoris*, Romae, 1936; GODTS, C. SS. R., *De definibilitate Mediationis universalis Deiparae*, Bruxelles, 1904; GRIPKEI M. V., *The Blessed Virgin Mary as Mediatrix in the Latins and French Legend prior to the Fourteenth Century*. Dissertation, Washington, 1938; HUGON, O. P., *S. Thomae doctrina de B. M. V. Mediatrice omnium gratiarum*, in *Xenia Thom.*, 1925, 2, 531-540; LEBON, *L'apostolicité de la doctrine de la médiation Mariale*, in *Rech. de Théol. anc. et méd.*, 2 (1930) 129-159; *La Doctrine de la Médiation Mariale*, Louvain, 1939, extr. des *Ephem. Theol. Lov.*, 16 (1939) 655-744; IRAGUI (De) M., *La Mediación de la Virgen en la Himnografía latina de la Edad Media*, Buenos Aires, 1938; LELOIR, *La médiation Mariale dans la théologie contemporaine*, Bruges, 1933; LÉPICIER Card. A., O. S. M., *L'Immacolata, Corredentrice, Mediatrice*, Roma, 1928; MERKELBACH H., *Quid senserit S. Thomas de Mediatione B. M. V.*, in *Xenia Thom.* 1925, 3, 505-530; *Mediatio B. M. V. in doctrina Hugonis a S. Charo* in *Angelicum*, 7 (1930) 39-56; MIRANDA, *San Alberto Magno y la mediación de la S.ma Virgen*, in *La Vida Sobrenatural*, t. 24 et 25 (1932-1933); MODEST DE MIERES, *La mediación universal de la Verge Santísima*, in *Estudis Franciscans*, 24 (1930) 181-205; NAULAERTS, *De Maria Mediatrice*, Louvain, 1922; NISTAL, *Deipara B. V. Maria, universalis gratiarum Mediatrix*, Murcia, 1927; O' CONNEL, *Our Lady mediatrix of all*

Graces, Baltimore, 1926; PASTÉ R., *La mediazione Universale di M. V.*, in *La Scuola Cattolica* 55 (1927) 26-46; PARQUIN, ROOD, MALBERG, *Maria, Middelares*, in *Studien*, 112 (1929) 243-286; PESCH C., S. I., *Die selige Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden*, Freiburg, 1923; RIVIÈRE, *Sur la notion de Marie Médiatrice*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 2 (1925) 233-229; ROSCHINI G., O. S. M., *La Mediazione Mariana in S. Bonaventura*, in *Marianum*, 2 (1940) 59-80; SANDERS, *Maria Middelares*, in *Studia Catholica*, 3 (1927) 179-186; SCHUTH, *Mediatrix*, Innsbruck, 1925; UDE, *Ist Maria die Vertlerin aller Gnaden?*, Bressanone, 1928; VAN CONBRUGGHE, *De universali B. Mariae in re salutis mediatione*, in *Coll. Gand.*, 10 (1923) 22-27; VILAIN, *Notes sur Marie-Médiatrice*, in *Nouv. Rev. Théol.*, 53 (1926) 748-776; VLOBERG M., *Marie notre Médiatrice*, Grenoble, 1938.

Praenotanda. *Scopus huius quaestionis* praeliminaris est generice probare *principium*, uti aiunt, *associationis* seu consortii B. M. Virginis Christo Mediatori in universo Mediationis opere, praescindendo pro nunc a variis respectibus particularibus huius associationis.

Ut autem rite procedamus, tria declaranda veniunt, videlicet: I. Quid sit Mediator; II. Quaenam mediatio B. Virgini tribui debeat; III. Quinam sint oppositores mediationis.

I. **Quid nomine Mediatoris intelligatur.** In primis rite determinanda est significatio huius vocis, tum *in communi* (id est, secundum quod verificatur in quacumque mediatione), tum *in particulari*, seu, secundum quod verificatur in casu particulari de quo agitur.

A) Mediator, *in communi*, vi vocis, ille est « qui se medium inter aliquos dissidentes interponit ad lites componendas: conciliator, sequester » (Ita FORCELLINI, *Lexicon*; vel etiam magis complete: « is qui inter duos intervenit vel paci, vel amicitiae faciendae restituendaeve, vel pacto ineundo, vel foederi sanciendo, consulturus » (Ita GRIMM). Hoc sensu sexies in Novo Testamento vox ipsa *Mediatoris* adhibetur, videlicet: Gal., 3, 20; Gal., 3, 10; 1 Tim., 2, 5-6; Hebr., 8, 6; Hebr., 9, 15; Hebr., 12, 24. Ex dictis patet quomodo apte omnino munus Mediatoris definierit Angelicus Doctor: « Ad mediatoris officium pertinet coniungere et unire eos inter quos est mediator; nam extrema uniuntur in medio » (3, q. 26, a. 1, c.). Et paulo post: « In mediatore duo possumus considerare: primo quidem rationem medii; secundo, officium coniungendi. Est autem de ratione medii, quod distet ab utroque extremo; coniungit autem mediator per hoc, quod ea quae unius sunt, defert ad alterum » (3, q. 26, a. 2, ad 3).

Ad officium igitur mediatoris, secundum *communem rationem* consideratum, pertinet *coniungere partes non coniunctas*. Ad hoc autem requiritur ut mediator sit distinctus et distet tum ab una tum ab alia parte i. e. — prout dicit S. Thomas — habeat *rationem medii* inter unam et aliam partem. In mediatore, ergo, duo considerari debent: 1) ratio *medii* inter duo extrema, et ideo debet mediator:

a) cum utroque extremo in aliquo convenire et communicare; *b*) ab utroque extremo differre, ita quidem ut uni extremo sit superior, alteri vero sit inferior. Sine duobus istis requisitis, ratio medii non habetur (Cfr S. THOM. *In III Sent.*, d. 19, q. 1, a. 5, q. 2, sol. 2); 2) officium seu *actus coniungendi*, per hoc quod ea quae sunt unius defert ad alterum. Ille ergo qui neque differt ab utraque parte (et ideo non stat extra partes), neque ea quae sunt unius potest deferre ad alium, mediator esse nequit, seu non potest exercere actum medii in coniunctione disiunctorum. Debet ergo mediator aliquid habere *utriusque partis*, ut illud possit deferre. Ratione primae conditionis (i. e. ut sit extra partes coniungendas) quis constituitur mediator in *potentia remota* i. e. *potest* constitui mediator; ratione vero secundae conditionis (i. e. quod ea quae sunt unius deferat ad alium), constituitur mediator in *potentia proxima*, i. e. effective. At, nemo constituitur mediator in hac potentia proxima, *propria voluntate*: non enim propria voluntate, sed tantummodo per commissionem utriusque partis, potest quis de bonis aliorum disponere. Requiritur ergo, 3) *advocatio*, seu admissio, saltem implicita. Attamen, hic bene animadvertendum est talem *advocationem* seu admissionem ex utraque parte requiri solummodo quando coniunctio vel reconciliatio *inter pares* fieri debet: est enim necessarius utriusque partis *consensus*. Deus vero, supremus Dominus, a genere humano graviter offensus, potuit solus et independenter ab eius consensu *mediatorem statuere*.

Tandem, ad hoc ut quis mediator dici possit, requiritur etiam ut *de facto* utramque partem coniungat; si enim, coniunctionem *inchoaret* tantummodo, sed, quacumque de causa, non *perficeret*, hinc partes *nondum coniunctas relinqueret*, mediator dici non posset. Sic, e. g., si ille qui officio mediatoris inter dominum et operarios fungi debet, tantummodo ex una parte (domini vel operariorum) aliquid obtineret, non vero ex utraque parte, non censetur officium suum consummasse, et ideo mediator, sensu vero et proprio, dici nequit.[1] Haec de *communi* ratione mediatoris. Nunc vero aliquid de particulari ratione mediatoris, i. e. de mediatore inter Deum et homines.

B) In *particulari* mediatione de qua hic agimus (i. e. de mediatione inter Deum et homines) non habetur tantummodo coniunctio partium *disiunctarum*, seu melius, non coniunctarum, sed coniunctio partium *dissidentium*, ob voluntarie solutam unionem quae inter duas istas partes antea, per gratiam, vigebat. Haec unio dissoluta est per peccatum, quod — ut dicit Angelicus — *quamdam habet infinitatem*, ratione personae infinitae quam offendit. Tenentur ergo, homines, ex rigore iustitiae, satisfactionem Deo praestare, sine qua nova unio impos-

[1] Scite animadvertit cl. P. FRIETHOFF O. P. quod in tali casu non esset quaestio de *magis vel minus perfecte*, quia non deficit tantum aliquid pertinens ad modalitatem mediationis, sed quod est de *ratione communi*. (Cfr *De alma Socia Christi Mediatoris*, p. 12).

sibilis evadit. Ille ergo qui *mediator* inter Deum et homines constituitur, debet satisfactionem Deo pro hominibus dare, qua satisfactione tollitur reatus poenae; et insuper, debet hominibus *mereri* gratiam divinam qua restituuntur in amicitiam pristinam. Secundum gradum huius satisfactionis et meriti, habetur gradus mediationis. Et ideo si satisfactio et meritum sint perfecta, i. e. simpliciter, etiam mediatio erit perfecta et simpliciter; si vero satisfactio et meritum sint imperfecta, i. e. sec. quid, etiam mediatio erit imperfecta et sec. quid. [1]

Iamvero, applicando ea omnia quae diximus Christo, ipse fuit *perfectissimus mediator inter Deum et homines*. Etenim: 1) Ipse perfectissime fuit *medius* inter duo extrema i. e., inter Deum et hominem et distat ab utroque; Ipse enim, praeter Deum, est homo, et praeter hominem, est Deus. Stat ergo ontologice in medio. Pariter: 2) Ipse *coniunxit* unam partem cum altera, ea quae sunt unius ad alium referendo, i. e. coniunxit partes *dissidentes*, satisfaciendo Deo ex toto rigore iustitiae, merendo gratiam pro omnibus. Tandem: 3) quod Christus revera *advocatus* et admissus fuerit ab utraque parte, a Deo et ab hominibus, ad officium mediatoris, luculentissime patet ex S. Scriptura et ex Traditione. Ad hoc enim, i. e. ut esset *mediator*, sua Passione et morte, a Deo Patre in hunc mundum missus est. Quod vero, ut mediator, sit admissus etiam ex parte hominum, quamvis hoc — ut iam diximus — necessarium non fuisset, ex hoc praesertim patet quod Deus, antequam mitteret Filium suum in terram, per Angelum Gabrielem ad B. Mariam V. missum, consensum quaesivit eiusdem « *loco* totius humanae naturae » — ut dicit Angelicus (3, 30, 1). Tunc, enim, — scripsit Leo XIII (*Octobri mense*) — B. Virgo « ipsius generis humani personam quodammodo agebat ». Hoc relate ad Christum. Sed quid dicendum de B. Virgine?

II. Quaenam mediatio B. Virgini attribui debeat.

Hisce positis, dicimus B. Virginem fuisse mediatricem non *simpliciter* seu *principaliter* eo quod ipsa per se coniunctionem et reconciliationem perficere non potuit, sed *sec. quid* et *secundario*, propter peculiares omnino relationes eius ad Mediatorem et praesertim merendo et satisfaciendo cum Christo pro nobis. Hinc: 1) Christus fuit mediator *de se sufficiens*; B. Virgo vero *de se insufficiens* et dependens quia omnem virtutem ex Christo haurit, cuius meritis praeredempta et sanctificata fuit. 2) Christus fuit mediator *absolute necessarius*; B. Virgo vero fuit Mediatrix *hypothetice necessaria*, quia Deus, libera sua voluntate, ita statuit. 3) Christus fuit mediator *absolute universalis*, etiam ipsius B. Virginis; B. Virgo, vero, tantummodo *relate ad alios*, cum suimetipsius mediatrix esse non possit.

[1] Iste *mediationis* conceptus eruitur ex dictis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum v. g. *S. Ephraem* (Ed. Lamy, 3, 974-978), *S. Petrus Chrysologus* (PL 52, 579), *Philippus de Harveng* (PL 203, 260), *Raymundus Iordanus* (*Contemplationes de B. Virgine*, prooem.), *Dionysius Petavius* (*De theol. dogmat.*, lib. 14, c. 9, n. 1) etc.

Mediatio ergo B. M. Virginis, cum cl. P. Bover ita definiri potest: « *Est officium, quo B. Virgo, Deum inter et homines posita, eos inter se coniungit, quatenus et ea quae sunt Dei ad homines defert, dona Dei hominibus exhibendo, et ea quae sunt hominum defert ad Deum, pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando* ». [1]

Nos vero probabimus, in hac quaestione, in B. Virgine verificari illa omnia quae pertinent ad *rationem communem mediatoris*; in subsequentibus vero quaestionibus ea quae pertinent ad *particularem* rationem huius mediationis. [2]

II. **Oppositores**. Sunt Protestantes omnes, veteres et recentiores, qui nobis opponunt, at inutiliter, verba S. Pauli: « Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ». Haec veterum Protestantium oppositio audacius renovata est saec. XVIII a Iansenistis et praesertim ab Adamo Widenfeldt qui, in famigerato opusculo: *Monita salutaria B. Mariae V. ad cultores suos indiscretos* (1673) significationem tituli Mediatricis pervertens, illum improbat dicens: « Qui me *mediatricem* et advocatam dicunt, non eo sensu dicant quo Filius meus proprie est mediator et advocatus: Ille Novi Testamenti Mediator est. Ille propriis meritis Deum placavit ... nemo itaque haec mihi tribuat, numquid crucifixa sum pro vobis? » (*Monitum* 9). Et in Epistola ad P. Jobert, amicum suum, haec aperte scribebat: « Maria non est Mediatrix nostra, excepto quod ipsa orat pro nobis; et haec mediatio communis est ipsi et omnibus aliis sanctis ». [3]

[1] Cfr *Maria Mediatrix*, in *Eph. Theol. Lov.*, 6 (1929), 440.

[2] Hinc, erronee omnino quidam — ut animadvertit cl. BITTREMIEUX (*De Mediatione universali*, p. 13) Mediationem B. M. Virginis ad solam gratiarum *dispensationem* coarctant. Isti, enim, distinguendo inter munus quo B. Virgo in coelis fungitur (quod in distributione gratiarum consistit), et munus quo in terra degens functa est, primum simpliciter *mediationem*, alterum vero simpliciter *corredemptionem* appellant; et ideo, ratione prioris muneris B. Virgo esset *Mediatrix*; ratione vero secundi, esset *Corredemptrix*. Auctores isti, ut patet, notionem mediationis pessumdant, eo quia mediatio utrumque munus complectitur, et ideo titulus *mediatricis* et titulus *corredemptricis* adaequate non distinguuntur, sicut a titulo mediatricis — ut videbimus — adaequate non distinguitur titulus *Matris hominum*. Insuper, sicut Christus — prout ex Epistolis S. Pauli apertissime patet — non est mediator solummodo propter distributionem gratiarum, sed etiam propter opus redemptionis, ita a pari B. Virgo, non est Mediatrix solummodo propter cooperationem ad opus redemptionis. Hinc, titulus *Mediatricis* diversis modis accipi potest. Quatenus significat, *in genere*, officium « coniungendi homines Deo », B. Virgo dicitur simpliciter *Mediatrix Dei et hominum*, vel *inter Deum et homines*; quatenus vero, in *specie*, significat 1) mediationem seu cooperationem ad nostram cum Deo reconciliationem, seu redemptionem, dicitur *Corredemptrix*; et 2) quatenus significat mediationem seu cooperationem in distributione gratiarum omnium per suam actualem intercessionem, dicitur *Dispensatrix omnium gratiarum*. Et ideo, duo isti modi mediationis *in specie*, sunt duo veluti modi *concreti* mediationis *in genere*. Hinc B. Virgo, in concreto, fuit et est *mediatrix* reconciliationis, seu Corredemptrix; Mediatrix cuiuscumque gratiae per suam actualem intercessionem, seu *Dispensatrix* omnium gratiarum.

[3] *Mss. de Marbourg*, vol. 1, n. 2, fol. 166. Cfr HOFFER P., S. M., in op. *La dévotion à Marie au decline du XVII^e siècle, autour du Jansénisme et des « Avis salutaires de la B. V.*

Pariter, *Concilium Anglicanum* anni 1867, Anglicanos hortabatur ut caverent « ab exaltatione B. M. Virginis, *substitutae* (!!!), tamquam *Mediatrix*, Filio suo, quia Deus gloriam Sibi debitam alteri non dat ». Etiam hic aequivocatio manifesta apparet.

Nec defuerunt et non desunt pauci quidam catholici qui dicunt *Mediatricis* titulum pietati, non tamen scientiae theologicae permitti posse.

Contra hos omnes sequentem ponimus propositionem.

Propositio: « B. Virgo est Mediatrix seu Socia Christi Mediatoris ».

Prob.: I. Ex Magisterio Ecclesiastico.

Propositio haec — ut affirmat Card. Lépicier — ad fidem catholicam spectat. In Bulla *Ineffabilis* Pii IX, habetur: « (B. Virgo est) totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum *Mediatrix* et Conciliatrix ».

Pariter, titulum hunc *Mediatricis*, generice acceptum, convenire B. Virgini, ostendit usus frequentissimus apud Leonem XIII, nedum titulorum *aequivalentium*, sed etiam tituli expliciti *Mediatricis*, quo Deiparam saepe saepius condecorat. Illam enim vocat dignam et peracceptam ad Mediatorem Mediatricem (*Fidentem piumque*, t. 5, p. 90), docet Deum nobis Ipsam Mediatricem benignissima misericordia providisse (*Iucunda semper*, t. 4, p. 132).[1] Item Pius X in variis documentis,[2] nec non Benedictus XV.[3] Pius XI Mariam vocat « gratiae ministram ac mediatricem » (*Miserentissimus Redemptor*, 8 maii 1928, Acta

Marie a ses dévots indiscrets, Paris, 1938, p. 275. Putat P. Hoffer Adamum Widenfeldt in suis Monitis minime negasse, stricte loquendo, Corredemptionem proprie dictam, per viam meriti, sed de illa potius tacuisse, utpote ipsi ignotam, et reiecisse tantummodo titulum « Corredemptrix » utpote, iuxta ipsum, ambiguum et a quibusdam auctoribus illius temporis strictissime intellectum. Tenebant enim auctores isti (cfr Thomas Leroy, O. P., in op. *Le culte de la B. Vierge Marie, défendu contre un donneur d'Avis anonyme par le R. P. F. Jérome Henneguier...* St Omer, 1674, p. 77) particulam corporis B. Virginis et guttulas quasdam sanguinis eius praeservatas fuisse in corpore Christi tempore Passionis quando particula illa dolores sustinuisset et guttulae illae sanguinis effusae fuissent pro salute nostra. Attamen, ex verbis supra relatis et praesertim ex Epistola ad P. Jobert, aperte patet Widenfeldt Corredemptionem proprie dictam negasse eo quod mediatio B. Virginis, iuxta ipsum, a mediatione omnium aliorum Sanctorum minime differt.

[1] Cfr Bover I., *La Mediación universal de la Santísima Virgen en las Encíclicas de León XIII*, in *Estrella del mar*, 4 (1923) 599-600, 618, 645, 663, 694-695, Barcelona 1925.

[2] Cfr Bover I., *La Mediación universal de la Virgen María en la Encíclica de Pio X « Ad diem illum »*, in *Estrella del mar*, 4 (1923) 727, 741, 775, 807; *La Mediación universal de la Virgen en los otros documentos de Pio X*, in *Estrella del mar*, 5 (1924) 645-646, 674-675.

[3] Cfr Bover I., *La Mediación universal de la Virgen en las Encíclicas y demás documentos de Benedicto XV*, in *Estrella del mar*, 4 (1924) 132, 164.

Ap. Sedis, t. 20, 1928, p. 148).[1] Ex ordinario magisterio Ecclesiae resultat etiam *principium generale* CONSORTII B. Virginis cum Christo Mediatore, quod principium titulo generico Mediatricis exprimitur. Sic Leo XIII — ut animadvertit cl. Bittremieux (*Doctrina Mariana Leonis XIII*, p. 21) — « tum diserte, tum aequipollenter de hoc principio frequentissime inculcat, adeo ut nullus hucusque fuerit qui hanc consortii doctrinam tam luculenter asseveraverit ». Appellavit enim B. Virginem *consortem* Filii, in Litteris *Supremi Apostolatus* (t. 2, p. 216), in Const. *Ubi primum* (t. 5, p. 292), in Litt. *Iucunda semper* (t. 4, p. 122).

II. **Ex S. Scriptura**: clare eruitur principium consociationis, id est B. Virginem associatam fuisse Christo Mediatori et ideo fuisse Mediatricem apud Christum. Etenim, ex celeberrimo illo oraculo Geneseos (cap. 3, v. 15) — testante Pio IX in Bulla *Ineffabilis* — constat B. Virginem cum ipso unico Mediatore Christo, indissolubili et mirabili nexu ad dissolvenda opera diaboli esse coniunctam. Exinde facile eruitur, et luculentissime ex Traditione confirmatur, *principium consortii* seu *associationis* B. Mariae V. cum Mediatore Christo. Et hoc principium merito a cl. P. Friethoff dicitur « *formaliter revelatum* et tantummodo indigere expressa definitione ut sit fide credendum. Unde putamus principium illud *fidei proximum* ».[2] Sed hoc argumentum scripturisticum fuse exponetur in quaestionibus sequentibus. Sufficit hic expositio generica.

III. **Ex Traditione**. Seligimus hic illa testimonia tantummodo ex Patribus et Scriptoribus tum *Orientalibus* tum *Occidentalibus* in quibus « *Mediatricis* » titulus *explicite* continetur, omissis quamplurimis in quibus *implicite* tantum continetur.[3] Scite enim cl. P. Bover animadvertit: « plures Patres atque Doctores *Mediatricis* nomen numquam usurpasse, qui tamen, universalem Virginis mediationem luculentissime profitentur » (l. c., p. 461).

A) **Ex Orientalibus**: 1) S. EPHRAEM SYRUS († 372 vel 279): « Tibi... *Mediatrix* mundi... supplico: tuum promptum in necessitatibus praesidium... invoco ». (ASSEM., *Op. Graec. Lat.* 3, 525). « Domina mea... post Paraclitum alius consolator, et post Mediatorem *Mediatrix* totius mundi... universalis protectio mundi » (Ibid., 3, 528). « Spes mea... defensio... Patrona, *Mediatrix* » (Ibid., 3, 530). « In te, Patrona et *Mediatrice* erga Deum... genus humanum... felicitatem suam ponit, atque a tuo semper pendet patrocinio » (Ibid., 3, 532). « Meam... vitam corrige, ut, habens te praestantissimam *Mediatricem*, inculpate ante Iudicem

[1] Cfr BOVER I., *La Mediación universal de la Virgen en los primeros documentos de Pio XI*, in *Estrella del mar*, 5 (1924) 228.

[2] Cfr *De Alma Socia Christi Mediatoris*, pp. 48-49.

[3] Cfr BOVER S. J., *Maria Mediatrix*, in *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, an. VI, fasc. 3, ubi plura alia testimonia inveniri possunt.

adstem » (Ibid., 3, 539). « Propter multitudinem iniquitatum mearum impedior, quominus in ipsum (Christum) oculos figam atque exposcam remissionem: et propono te postulatricem simul et *Mediatricem* » (Ibid., 3, 548). « Te in omni re *Mediatricem* ac protectricem praetendentes ... » (Ibid., 3, 552). « Tu mortalium cum Deo coniunctio » (Ibid., 3, 525).

S. Epiphanius: « Ipsa enim est caeli et terrae *Mediatrix*, quae unionem naturaliter peregit ». Vel, pressius — prout animadvertit Bover, l. c., p. 443 — ex graeco: « Ipsa enim caeli et terrae, *Mediatrix* exsistens, unionem perfecit » (PG 43, 491). Non constat omnino — animadvertit Bover, ibid. — verba ista S. Epiphanio esse tribuenda. Sunt tamen auctoris antiquissimi.

S. Proclus: B. Virgo est « Dei ad homines unicus pons » (*Homil. in Deip.*, PG 65, 682).

Basilius Ep. Seleucensis: B. Virgo fuit « Dei hominumque *sequestra* constituta, ut parietes integerrimi convellantur, et caelestia terrenaque in unum coeant ». (*Homil. in SS. Deip. Annuntiationem*, PG 85, 443).

Antipater Bostrensis: « Ave, quae facile humanitati *Mediatrix* intercedis » (PG 85, 1771).

S. Andreas Cretensis: « *Gaude, gratiosa*, per quam cessavit lex, et gratia illuxit... Salve, legis ac gratiae *Mediatrix*, veteris novique Testamenti obsignatio » (PG 97, 863-866). « Deiparam adducimus *Mediatricem* » (PG 97, 1403). « Quae te... peperit, iugis, o Iesu Deus, pro terrigenis tuis fidelibus *Mediatrix* exsistat » (PG 97, 1411). « Suscipe Matrem tuam, o Christe, tamquam *Mediatricem*: ut, ea supplicante, tribuas mundo pacem... tuasque Ecclesias in unum connectas » (PG 97, 1410).

S. Germanus Constantinopolitanus: « *Ave, gratia plena* ... fonsque perennis universis aquas effluens ... omnium peccatorum *Mediatrix* vere bona » (PG 98, 322). « Nos in te abunde vitae aeternae altum pignus accepimus, atque ad Deum *Mediatricem*, humanis emigrantem (in Assumptione) nanciscimur » (PG 98, 362).

S. Ioannes Damascenus († 807): « Ut enim ille (Iacob) per extremas scalae partes caelum cum terra copulatum ... vidit: sic tu quoque, *Mediatricis* munus obiens ... ea quae dirempta erant collegisti » (PG 96, 714).

S. Tarasius († 806): « Ave, *Mediatrix* omnium quae sub caelo sunt » (PG 98, 149).

S. Theodorus Studita (759-826) ita mediationis ideam exprimit: « Ave, proprie et vere Deipara, tremenda hominibus cum Deo copula, per quam coniuncta terrenis coelestia, et humana Deo, vicissimque homini rependens divina » (*In Dormitionem*, PG 99, 695).

Georgius Nicomediensis: « Te quidem ad Filium *Mediatricem*, eos vero (parentes tuos) ad te intercessores adsciscimus hodie » (PG 100, 1375). « Tibi enim per eum (Iohannem) reliquos item discipulos commendatos volo ... Ipsique vicissim, quae sunt filiorum ac subditorum praestabunt tibi. Congruum tibi cultum ceu Matri Domini sui

persolvent, ut per quam ego ad eos venerim, ut quam ad me *Mediatricem* facile impetraturam inducias habeant» (PG 100, 1475). «Nullum auxilio tuo firmius tropaeum opponimus. Unicum est, quo illo fortius sperandum habemus: nempe Filii tui potenti quin, et eius ipsius beneficium, acceptum tibi referimus. Cum enim iugiter eum offendamus, despicabiles manemus, indigni exsistentes, quorum ille curam agat. Tu itaque Mediatrix accedens, illi nos reconcilias» (PG 100, 1455). «Non ignoramus immensa delicta nostra: eamque ob rem te *Mediatricem* praetendimus. Vides universam christiani populi spem ex te pendentem? Fac ergo potentia tua, ut bene illi ac prospere cedat. Nullum aliud perfugium habet ...» (PG 100, 1455).

Photius: «O Virgo ..., propitiatio mea ac refugium ... apud Filium tuum ac Deum nostrum intercedens, ac *Mediatrix* accedens, laudatores tuos ... caelesti thalamo dignos effice» (PG 102, 562).

Constantinus VII Porphyrogenitus: «Dominum, o Virgo, exora pro illis qui te celebrant ... Te enim omnes refugium, salutem *Mediatricemque* apud illum habemus; nos haereditas tua et servi tui, o Deipara, ad tuum suscipimus auxilium» (PG 107, 307).

Ioannes Geometra: «Verbi, mox Mediatoris ... futuri, Virgo, *Mediatrix fuit*» (PG 106, 818).

Ioannes Euchaitensis: «O Domina ..., benedicta sint promanantia ex te dona, quibus divites facti sumus; benedictae sint tam multae illae gratiae, quibus gloriose coronati sumus. Non amplius damnationi subiicimur primorum parentum; ... non amplius nostri dominatur mors. Per te et propter te et ex te ista omnia. Tu etenim lacrimas a facie terrae prorsus abstulisti; tu creaturas universas omnigenis cumulasti beneficiis; tu caelestia exhilarasti, tu salvasti terrestria, creaturam reconciliasti, Creatorem propitium reddidisti; ... superna inter et haec infima per te ipsam intercessisti *Mediatrix*, et mirum in modum omnia in melius transmutasti» (PG 120, 1111).

Iacobus Monachus: «Matrem tuam ex nostro genere elegisti, ac talem nobis thesaurum reposuisti, tali nos spe stabilisti. O nostri generis nobilitatem: qualem consequi meruit *Mediatricem!* ... Per eam ineffabili ratione te nobis inclinasti» (PG 127, 598). «Per eam ipse nos tibi, ac per te nos Patri reconciliasti ... *Mediatricem* eam constituisti, qua duce ad tuam feramur bonitatem ... Eam tu pontem fecisti, quo, a mundi fluctibus traiicientes, ad tranquillum portum tuum perveniamus. Scalam eam erexisti, quae a maestitia ad laeta gaudia, atque a terra in caelum transmittat ...; omnibus omnia factam, ut naturae curet vulnera» (PG 127, 598).

Neophytus Monachus Reclusus: «Ave, Deipara Virgo, refugium in te confidentium, peccatorum *Mediatrix* apud Deum, ferventer paenitentium defensio tuta» (*Patrol. Orient.*, 16, 537).

Germanus II Constantinopolitanus. «Pax ... nostra Christus est. Advenit enim, ut dissita coniungat, ac pugnantia ad pacem componat, quae quidem bona, ex huiusmodi pace profluentia, *Mediatrice* Dei Matre, uberrima in universam terram effusa sunt» (PG 140, 682). Et in ore Deiparae haec verba ponit: «Altissimum ... adoro cui per humilitatem meam complacuit, naturam invidia perditam uberrima gratia dignam efficere; meque salutis, immo et deificationis, mundo conciliandae *Mediatricem constituere*» (PG 140, 730).

Isidorus Thessalonicensis († 1100). « Ipsa vero, o Dei Mater ..., gratiarum mare..., salus mea, per quam et caelos inhabitamus et paradisum recuperavimus .... sis nobis heic quidem ... propugnatrix adversus insidias, quas inimicus contra nos molitur; in futuro autem saeculo aeternorum bonorum nobis fruitionem praebeas. Quam utinam assequamur omnes, *Mediatrice* Deipara, et gratia Domini nostri Iesu Christi » (Ballerini, *Sylloge monumentorum* ..., 2, 671-673, PG 139, 163).

Gregorius Palamas († 1360). Aperte affirmat B. Virginem *Mediatricem* esse hominum et Angelorum, eo quod per ipsam omnes receperunt gratiam et gloriam (*In Dormit.*, PG 151, 473).

Nicolaus Cabasilas († 1371): « Illa vero (B. Virgo) si inter Deum et homines *Mediatrix* non fuisset relicta, terrestres caelestium participes fieri omnino impossibile erat » (*Patrol. Orient.*, 19, 499).

Theophanes Nicaenus († 1381), de Deiparae mediatione luculenter agit in suo *Sermone in SS. Deiparam* (a P. Jugie a. 1935 editum). Haec inter alia notatu digna sunt: « Mater quidem divinitati immediate unietur, caeteri vero omnes per eam. Inter Deum enim et creaturam *media stat*, per quam nostrae massae donum et pro ipso deificationis retributio efficiuntur ... » (l. c., p. 167).

B) Scriptores Occidentales:

Paulus Warnefridus Diaconus: « Mediator Dei et hominum Filius eius (Virginis) est: *Mediatrix* Filii sui et hominum, ipsa » (PL 95, 1496).

S. Petrus Damiani, ita Mediatricis ideam exprimit: « Scala quae caelum terris, iungis ima supernis » (PL 145, 937).

Radulphus Ardens: « Quis fuit sic Hierusalem, id est, pacificus, ut *Mediatrix* Dei et hominum, Maria? » (PL 155, 1423).

Guibertus Abbas: « Nonne est nostrae consummatio gloriae, si vel possimus inter nos et tuum Filium te *Mediatricem* habere? Ex debito est, Domina, si nostri memineris; propter hoc enim facta, propter hoc es electa, ut apud dulcissimum Filium causam nostram piissima tuearis » (PL 156, 577).

S. Anselmus Cantuariensis: « Domina nostra, *Mediatrix* nostra, tuo Filio nos commenda, reconcilia nos Filio tuo » (PL 158, 960).

Eadmerus: « Quis igitur ista perpendens aestimare queat qua laude digna sit, quae tantorum bonorum sola prae cunctis effici meruit *Mediatrix*? » (PL 159, 574).

Hermannus Abbas: « Collum inter caput et corpus medium est, caputque iungit corpori. Collum ergo sanctae Ecclesiae competenter Domina nostra intelligitur, quae, inter Deum et homines *Mediatrix* exsistens, dum Dei Verbum incarnatum genuit, quasi caput corpori, Christum Ecclesiae, divinitatem humanitati nostrae coniunxit » (PL 180, 30). « Ad te confugientes, *Mediatrix* nostra, quae es post Deum spes sola, tibi peccata nostra confitemur: teque inter nos et Deum *Mediatricem* et *Interventricem* fieri exoramus » (PL 180, 38).

S. Bernardus: « Opus est ... mediatore ad Mediatorem istum (Iesum): nec alter nobis utilior quam Maria ... Crudelis nimirum mediatrix Eva: ... sed fidelis Maria ... Age gratias ei, qui talem tibi *Mediatricem* benignissima miseratione providit » (PL

183, 429-430). « Si Ecclesia lunae magis intelligenda videtur vocabulo, ... habes *Mediatricem* ... evidenter expressam ... Nempe vellus est medium inter rorem et aream, Mulier inter Solem et Lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta » (PL 183, 431-432). « Iam te, Mater misericordiae ..., Luna *Mediatricem* sibi apud Solem iustitiae constitutam devotis supplicationibus interpellat » (PL 183, 438). « Magnifica gratiae Inventricem, *Mediatricem* salutis, Restauratricem saeculorum ... Haec mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare » (PL 182, 333).

B. Guerricus Abbas: « Mariam dico exaltatam super choros angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum ... nihil veneretur supra se *Mediatrix* nostra nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, repraesentet » (PL 185, 190).

Godefridus Admontensis: « Ipsa, super choros angelorum a Filio suo sublimata, totius mundi *Mediatrix* et Domina est constituta » (PL 174, 967). « Sic fervens in amore Creatoris, *Mediatrix* Dei et hominum non minori caritatis affectu erga salutem vigilabat proximorum » (PL 174, 1004). « Numquam fierent ista omnia, nisi *mediante* illa, nisi inter Deum et homines *Mediatrix* nostra facta fuisset » (PL 174, 1022). « Homines (Prophetae), qui eandem gratiam in Spiritu Sancto praevidere meruerunt, eam (B. Virginem) utpote *Mediatricem* eiusdem gratiae non tacuerunt, sed dictis et scriptis dignitatis excellentiam multis in locis mystice praefiguraverunt » (PL 174, 1028).

Richardus a S. Victore: « Inter divina itaque et humana, *media* et *Mediatrix* est Maria » (PL 196, 517).

Adamus Scotus Praemonstratensis: « Domina nostra et Advocata nostra, dulcedo et vita nostra, spes et *Mediatrix* nostra! » (PL 198, 367).

Petrus Cellensis: haec ad Nicholaum monachum scribebat: « Virginem laudas: et ego. Praedicas sanctam: et ego. Extollis super choros angelorum: et ego. Asseris Dei Genitricem, adstruis nostram ad Deum *Mediatricem*: et ego. Versa et reversa in quolibet statu venerationis et glorificationis: tecum vado, tecum sentio » (PL 202, 631-632).

Philippus de Harveng, Abbas Bonae Spei: « Ipsa inter caput et corpus videtur locum medium obtinere, nec ad Sponsum filii Sponsi possunt nisi Matre *media* pertinere. Praesente ipsa nobis Sponsa, bonum est adhaerere; absente vero, non possunt membra capiti cohaerere. Nobis longe infra positis per ipsam Dei Filius condescendit. Ipsa prior, ipsa felicior, accipit grande munus, per quod multi et diversi facti sunt velut unus; per quod duo parietes una fide, uno baptismate, sunt uniti, et ad Christum concurrentes, et personaliter couniti. Ipsa denique Sponso et Filio, *interventu medio*, nos commendat, invitat nos ad precandum, illum submonet ut attendat. Sponsi Mater et ancilla, nostra omnium imperatrix, disiunctos iungit, iunctos retinet, potens et efficax *Mediatrix* ... Collum bonum, bona interventio, bona denique *Mediatrix*, quae iungit quos disiunxerat Eva, noxia separatrix; quae Filium ad largitatem, ad oboedientiam nos invitat, agitque ut et nos deferre obsequium, et ille conferre beneficium non omittat » (PL 203, 260). « Ipsa Sponsa recte nostra omnium *Mediatrix*, ipsa Mater non incongrue dicitur imperatrix: quia Sponsum rogans, imperans Filio, furorem eius in gratiam, in amorem suavissimum iram vertit » (PL 203, 360).

Henricus de Castro Marsiaco, Cardinalis: « Per te usque hodie fideles omnes ad eum (Christum) accedentes, te portam, te *Mediatricem* ... habere gloriantur. Tu siquidem introducis ad fidem; ... tu *Mediatrix* es ad veniam pro peccatis credentium Filium interpellando ... Tu tuum porta mihi digneris esse ad Filium » (PL 204, 338).

Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus: « Huius tantae dispensationis ministra et cooperatrix effecta, salutem mundi nobis (Maria) dedit. Sed quia sola non potuit, sed ministerium praebuit, sed effectum *Mediatricis* exhibuit, sed Mediatorem, qui hoc posset, in medium produxit, recte dicitur: *Dominus tecum*. Opus quiddam magnificum factura es, salus mundi per te procuranda est ... Sed supra omnem humanam virtutem et sapientiam est, ad quod electa es; sed Dominus tecum, cui non est impossibile omne verbum ... In hoc quoque opere salutis nostrae, quod a plenissima gratia commemoratur; et auctori gratiae laus adscribitur, qui Virgine cooperante auctor operis ostenditur ». (PL 204, 473).

Ioannes Algrinus de Abbatisvilla: Iesus sic Matrem alloquitur: « An ignoras te, quod sis stella maris, quae non solum bene merentes dirigis, sed etiam errantes et devios reducis ad portum salutis? An ignoras te, quod sis *Mediatrix* Dei et hominum, ut peccatores discordantes a Filio tuo reducas ad concordiam? An ignoras quod sis pulcherrima mulierum, et ideo in intercedendo pro peccatoribus potentissima? ... — Docuisti me, Filii: iam non ignoro me stellam maris et *Reconciliatricem* erronearum ovium .. » (PL 206, 113)

Petrus Blesensis: « Nusquam est hodie ... dies salutis, nisi per Virginem. Haec est enim unica *Mediatrix* nostra et *interventrix* ad Filium ... Exaudiet pro nobis Matrem Filius; offeret Mater Filio suo preces nostras » (PL 207, 597). « Ipsa est, quae ... inter omnia quae timere potest humana miseria, proposita est nobis in auxilium Patrona diligens et pia *Mediatrix* ad Filium » (PL 207, 665). « Ipsa ... facta est *Mediatrix* Dei et hominum ... Domina mundi, reparatrix saeculi, destructrix inferni ... fortitudo iustorum, lapsorum fiducia, pugnantium spes ... » (PL 207, 674).

Absalom Springkirchbacensis: « Sedet ... Christus a dextris Patris, sed ipse solus; sedet etiam in dextris Filii beata Virgo, sed ipsa sola ... Sedere enim ad dexteram, ad gloriam spectat; sedere a dextris, ad gloriae praeeminentiam, quam Christus ... Matri suae contulit, dum eam extulit super potestates angelicas. Ubi illa sedet, regina beatorum spirituum, et *Mediatrix* peccatorum, semper interpellans pro nobis, ut et nos accipiamus eundem consessum dexterae ... » (PL 211, 283).

Adam, Persenniae Abbas: « (B. Virgo est) *Mediatrix*, et singularis misericordiae, compassione propitia » (PL 211, 738). « *Mediatricem* intuere Mariam. Ipsa *media* est inter caelum et terram, *media* et *Mediatrix* inter Deum et homines. Media intelligimus per condescensionis clementiam, quae tantum supra caelos elevata est per gloriam » (PL 211, 752). « Domus Mediatoris est Ecclesia; huius domus medium est ... Mediatoris Mater, *Mediatrix* Maria ... Cum ergo Rex virtutum iure nomen Mediatoris obtineat, ipsaque regina virtutum Maria se exhibeat *Mediatricem* hominum, merito iudex ecclesiasticus virtutibus operam dare debet » (PL 211, 752). « Tu, misericordiae Mater, non rogabis pro filio Filium? ... Rogabis plane, quia qui Filium tuum inter Deum et homines posuit Mediatorem, te quoque inter reum et Iudicem posuit *Mediatricem* » (PL 211, 703. Cfr. 717).

Helinandus Frigidi Montis: « Quem non laetificat saepius ad memoriam revocata, semper in auxilium invocanda, dulcis Advocata nostra, benedicta in mulieribus; Domina praepotens, nec minus clemens, regina Virginum, imperatrix angelorum, *Mediatrix* hominum, Genitrix Dei, mater misericordiae, nutrix sapientiae, cultrix iustitiae, inventrix gratiae, gloriae reparatrix? » (PL 212, 652). « Et certe *Mediatricem* omnibus ita fieri congruebat » (PL 212, 652). « Quid ergo per collum exprimitur, nisi *Mediatrix* nostra, felix Virgo Maria; quae singulariter eminet in corpore, quod est Ecclesia per quam meruimus auctorem vitae suscipere, panem scilicet vitae, qui descendit de caelo et dat vitam mundo? Per Mariam enim factus est Christus caput et Sponsus Ecclesiae, quando Verbum caro factum de virginali procedens utero, tamquam sponsus de thalamo suo, eandem sibi Ecclesiam connubio iunxit stabili propriamque dicavit » (PL 212, 667).

« *Collum tuum sicut turris eburnea*. Per collum quippe caput unitur corpori, et idem collum et tale pulchre Mariam significat, quae post Christum qui est caput eiusdem corporis, quod est Ecclesia, eminentissimum membrum est, et *Mediatrix* nostra, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, per quam Christus factus est Mediator Dei et hominum » (PL 212, 640). « Salomon noster, secundum nomen suum vere pacificus, fecit ut artifex sapientissimus thronum de ebore grandem, quasi primum et praecipuum pacis opus: quando Christus, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, ut pacificaret quae in caelis sunt et quae in terra, tamquam princeps pacis et rex iustitiae, innocentissimam virginum et humillimam mulierum elegit sibi in matrem propriam, quasi in sede pacis *Mediatricem* ... » (PL 212, 662).

Gulielmus Parisiensis: « Absit ut peccata mea possint suspendere te a tam salubri officio pietatis, quo et Advocata es et *Mediatrix* hominum, post Filium tuum spes unica et refugium tutissimum miserorum. Officium tuum est *mediam* te interponere inter ipsum Deum et homines » (*De Rhetor. div.*, cap. 18).

S. Albertus Magnus: « Tertia causa ut confidentiam peccatoribus augmentaret per hoc quod *Mediatrix* eorum eadem propinquitate utramque extremitatem coniungeret » (*Mariale*, q. 24). « Ipsa enim sola omnes inferiores reduxit tamquam *Mediatrix* reconciliationis, adiutrix redemptionis » (*Mariale*, q. 154). « Fuit... peccatorum *Reconciliatrix* et *Mediatrix*..., omnium peccatorum salvatrix et iustorum conservatrix » (*Mariale*, q. 191). « Nomen *Maria* ... beatissimae Virgini congruentissime adaptatur ... ad statum designandum *mediationis beatissimae* Virginis, qua *mediante* genus humanum per mare huius saeculi ad portum caeli exemplo, suffragio et merito revocatur » (*Mariale*, q. 29). « Ipsa enim medium terrae dicitur: proprietate illa medii, qua ad ipsum omnia, sicut ad reparatricem, respiciunt. Caelestium quidem generatio, qui per eam quae in caelo corruerant sunt restaurata. Terrestrium vero, quia omnes ... sunt reconciliati. Infernorum autem, quia... per ipsam sunt a captivitate reducti » (*In Luc* 1, 48). « B. Virgo fuit *medium universale* et causa pacis: *universalis* enim fuit *Mediatrix* et *Reconciliatrix*; omnes enim per ipsam fuerunt reconciliandi » (*Mariale*, q. 77) « In partu ... *Mediatrix* Dei et hominum constituitur » (*Mariale*, q. 31).

S. Thomas Aquinas: « In istis nuptiis materialibus (Canae) ... gessit... Mater Christi *Mediatricis* personam; et ideo duo facit: primo enim interpellat ad Filium, secundo erudit ministros » (*In Ioh.* c. 2, lect. 1, n. 3).

S. Bonaventura: « B. Virgo ... *Mediatrix* est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum » (In 3 dist. 3, p. I, a. I, q. 2 Op., 3, 67 a.). « Universale auxilium... et redemptio captivorum est sancta virgo Maria et *Mediatrix* omnium apud Deum (Serm. 5 *De Annunt.*, Op., 9, 679 b).

Conradus de Saxonia: « Aurora nostra, nobis est ad Deum *Mediatrix*... Aurora itaque est beatissima Virgo Maria, quae inter noctem et solem, inter hominem et Deum, inter hominem iniustum et Deum iustum est optima *Mediatrix*, optima irae Dei refrigeratrix » (*Speculum B. Mariae V.*, lect. 11).

Iacobus de Voragine: « *Mediatrix* nostra est Virgo Maria ... Dicitur autem *Mediatrix* quantum ad sex modos ... Primo enim est *Mediatrix* nostrae salutis ... Secundo, est *Mediatrix nostrae* coniunctionis et unionis, quia nos disiunctos et divisos a Deo tamquam *Mediatrix* coniungit et unit ... Tertio est *Mediatrix* nostrae iustificationis... Quarto, est *Mediatrix* nostrae reconciliationis ... Ista autem *Mediatrix* istos Dei inimicos saepe reconciliat, dum eos ad paenitentiam revocat ... Quinto est *Mediatrix* nostrae advocationis; ipsa enim tamquam nostra *Mediatrix* pro nobis advocata ante Deum... Sexto est *Mediatrix* ratione communicationis, quia adhuc cum esset in mundo, adhuc communicabat cum sanctis qui sunt in via, et cum illis qui sunt in patria ... Ipsa enim tamquam *media* communicat cum utrisque » (*Mariale aureum*, lib. 2, cap. 2). B. Virgo navi comparatur: « Ista igitur navis est in medio mari, quia est *Mediatrix* inter Deum et ipsos peccatores. Primo, in quantum autem est *Mediatrix* assimilatur aurorae, quia sicut aurora est medium inter diem et noctem, sic et ipsa inter Deum et peccatorem ... Secundo, in quantum est *Mediatrix*, assimilatur lunae. Sicut luna lucet in nocte, et est vicina terrae, et habet virtutem efficacem super mare, sic et ipsa, scilicet Maria, lucet peccatoribus, dando eis lumen suae gratiae; et est vicina eis, cito eis succurrendo per affectum misericordiae; et ostendit virtutem suam super afflictos et amaricatos, dando eis dulcedinem consolationis suae ... Tertio, in quantum est *Mediatrix*, assimilatur soli ... » (*Sermones aurei*, sabbato post cineres, serm. 2).

Raymundus Iordanus, appellatus « Idiota »: « Talem quippe decebat esse Matrem Salvatoris, ut *Mediatrix* Mediatorem ... pareres ... Sicut per Evam Virginem facta fuerat humani generis perditio, ita per te Virginem Mariam fieret eiusdem reparatio » (*Contemplationes de B. Virgine*, part. 8, contempl. 13). « O Dei et hominum benignissima *Mediatrix*, Virgo Maria, tu tantam gratiam invenire meruisti, quod extrema in infinitum distantia adunasti ... O piissima *Mediatrix*, intercede pro me miserrimo peccatore ad tuum Filium benedictum ... » (l. c., part. 8, contempl. 18). « Haec omnia beneficia per te nobis veniunt, sacratissima Virgo Maria. ... Tu *Mediatrix*, quia, te *mediante*, nobis caritative donata fuerunt » (l. c., part. 9, contempl. 8).

B. Raymundus Lullius: « tu sola *Mediatrix* fuisti lineaque iustitiae originalis in mundo, per quam continuatae persistunt virtus, perfectio ac nobilitas universi! ». (*Liber de Immaculata B. Virginis Conceptione*. Barcinone, 1901, p. 136). Attamen, de authentia huius operis valde dubitatur.

Ioannes Gerson: « Tu *Mediatrix*, tu Advocata et *exoratrix* nostra, suppliciter adeunda es, Virgo gloriosissima, quae tui nominis interpretatione tam illuminata quam illuminatrix diceris. Et quo lumine? Prorsus lumine gratiae ... » (*Opera omnia*, Antuer-

piae, 1706, t. 2, 202 A). « Orationis nostrae *Mediatricem* te constituemus, o Virgo beata, Virgo Deo gratissima » (Ib., 3, 1123 B). « Domina nostra dicitur Advocata nostra, *Mediatrix* nostra, nostra Imperatrix, per cuius manus Deus ordinavit dare ea quae dat humanae creaturae » (Ib., 3, 1367 A).

Ioannes Rusbrochius († 1381), Admirabilis dictus, canit: « Mater est totius pietatis et gratiae, *Mediatrix* inter Deum et hominem ... » (*Van den VII Trappen*. ed. Müller, pp. 61, 62, 63, Lovanii 1911).

Bernardinus de Bustis: « (B. Virgo) est *Mediatrix* nostrae iustificationis ... Est *Mediatrix* nostrae intercessionis » (*Mariale*, part. 3, serm. 1, punct. 3). « O Redemptrix universi ... O Recuperatrix perditi orbis ... O *Mediatrix* Dei et hominum ... O scala per quam in Deum ascenditur ... O apud nostrum Iudicem Advocata fidelissima ... O Dispensatrix donorum Dei ... O porta paradisi ... O Thesauraria Altissimi ... » (*Mariale*, ad finem operis).

S. Laurentius Iustinianus: « Quomodo non est Maria ... plena gratia, quae effecta est Mater Dei, paradisi scala, caeli ianua, *Interventrix* mundi ..., peccatorum spes, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium ... Dei et hominum verissima *Mediatrix*? » (Serm. *In Annunt. B. M. V.*).

Thomas a Kempis: « Te igitur, o beatissima omniumque virginum regina pulcherrima, totius iam orbis *Mediatrix* effecta, te ... laudet et glorificet omne genus humanum » (*Orationes de Pass. D.ni et de B. Virgine et aliis Sanctis*, or. 7, ed. Pohl, vol. 3, 357).

S. Antoninus Florentinus: « Sicut ipse (Christus) Mediator dicitur noster, ita et Mater eius dicitur *Mediatrix*, quia peccatorum reconciliationem procurat apud Deum. Unde in Sequentia dicitur: *Mediatrix hominum, ablutrix criminum, peccatorum venia* » (*Summa*, p. 3, tit. 31, c. 2, § 2). « Virgo Maria est et dicitur *Mediatrix* hominum inter Deum et homines, quasi *Mediatrix* et *Reconciliatrix* » (*Summa*, p. 4, tit. 14, c. 13, § 2). « Fuit B. Virgo *Mediatrix* et *Reconciliatrix* omnium » (Ib. c. 24, § 1). « Ipsa est *Mediatrix* quae procurat nobis in his nuptiis (inter Christum et Ecclesiam) vinum dilectionis et devotionis » (Ib. c. 38, § 6). « Interest (in nuptiis Dei et animae) Iesus ut gratiam merito suae passionis conferens, et Mater eius ut *Mediatrix* eam procurans » (Ib. tit. 15, c. 39). « Ipsa sola ... omnes inferiores ... reduxit, tamquam *Mediatrix* reconciliationis et adiutrix redemptionis » (Ib. c. 44, § 2).

Dionysius Carthusianus: « Te ergo nimium, o Maria, obligamur diligere, quae ... nostra apud eum (Christum) fidelissima Advocata es: te enim inter se et nos Iudex saeculi *Mediatricem* statuit » (*De praeconio et dignitate Mariae*, lib. 1, art. 21). Quoniam *Mediatrix* mundi facta est, ... miserorum exsistens refugium, spes peccatorum, desperatorumque singulare praesidium, non inepte misericordiae Mater liberatrixque saeculi nominanda est » (Ib., lib. 2, art. 9). « Lunae appellatione militantem capi Ecclesiam, nil... disconvenit: ipsa enim a vero Sole lucem sortitur... Et haec quoque Mariae pedibus provoluta est, Advocata *Mediatricemque* se illam habere congratulans » (Ib., lib. 4, prooem.). « Amplius volens Rex Messias Christus Dominus, propriam exaltare honorareque Matrem, constituit eam inter se Iudicem nosque iudicandos *Mediatricem*, statuit eam apud se nostram Advocatam, commisit ei militantem Ecclesiam,

subiecit ipsi omnium electorum catervam, eatenus ut nisi per eam nil nobis contigerit, totum per Mariam nos adipisci sciamus, in cuius manu salus nostra reposita est » (*De vita et fine solitarii*, lib. 2, art. 7). « Maria non est Mater gratiae per principalem causalitatem et auctoritatem, sed per privilegiatam potestatem impetrandi et procurandi ac dandi hanc gratiam per modum *Mediatricis* ac efficacissimae Advocatae, ratione suae maternae sublimitatis » (*Expositio hymnorum aliquot Ecclesiae*, hymn. *Memento, salutis auctor*). Ipsa cognovit se desuper constitutam Dei et hominum *Mediatricem*, fidelium Matrem, Ecclesiae Advocatam, miserorum refugium, pietatis Reginam » (*De dignitate et laudibus B. V. Mariae*, lib. 3, art. 5). « Mariam omnipotens Deus ab aeterno elegit in Matrem et Advocatam, in custodem et *Mediatricem* universorum fidelium ac totius Ecclesiae. Matrem vero et Advocatam, custoditricem ac *Mediatricem* pietas et misericordia potissime decent » (Ib., lib. 3, art. 13). « Propter omnia beneficia ista tam grata, Maria Virgo beata iuste et pulchre *Mediatrix*, auxiliatrix, recuperatrix, illuminatrix atque adiutrix est nuncupata » (Ib., lib. 3, art. 20).

Ex testimoniis istis patet, *ante omnia*, titulum *Mediatricis*, inde saltem a saeculo IV in Ecclesia B. Virgini tributum fuisse. De eius ergo legitimitate, in sensu generali, dubitari non potest. Et ideo, haesitationes illorum qui vellent potius ab hoc titulo abstinere, ne Mediationi Christi detrahatur, absque fundamento evidenter apparent. Hinc, B. Virgo, titulo *Mediatricis* decorari debet.

Ex testimoniis istis pariter patet nedum B. Virginem *Mediatricem* esse inter Deum et homines, sed etiam mediationem eius esse: 1) non tantum *indirectam* seu physicam et materialem (Mediatorem generando), sed *directam*, id est formalem et moralem; 2) non *particularem* sed *universalem*.

1) Quod sit *directa*, id est, formalis et moralis, patet: *a*) *ex ipso titulo Mediatricis*, quod moralem actionem de se importat: notio enim Mediatricis quem ex ipsis SS. Patribus derivavimus, moralem mediationem evidenter secumfert; *b*) *ex sermonis contextu* ex quo resultat Mediatricis titulo ab ipsis semper significatio moralis adnecti, vel quia ipsi quaedam epitheta seu phrases adiungunt, e. g. Mediatrix *verissima*, *sola*, *praestantissima*, *efficax*, *potens*; vel quia mediationem B. Virginis cum mediatione Christi (quae fuit certe moralis) comparant; vel quia mediationem ipsam vel mediationis obiectum tali modo proponunt ut dubitari non possit ipsos loqui de mediatione morali.

2) Quod B. Virginis mediatio sit etiam *universalis*, ex hoc patet quod: *a*) *explicite* affirmatur a Patribus et Scriptoribus: salutatur, enim Mediatrix *omnium*, vel *totius orbis*, *totius mundi*, nostra *omnium* Mediatrix, Mediatrix *omnium* peccatorum, vel universorum fidelium, vel omnium quae sub coelo sunt, in omni re, mediatrix *universalis* etc.;

b) nomen Mediatricis, quod de se indefinitam universalitatem importat, quasi proprius Deiparae titulus adhibetur;

c) saepe Deiparae Mediatio cum Christi Mediatione (quae certe est universalis) comparatur.

Iure ergo meritoque *S. Albertus Magnus* scribebat: « (B. Virgo) non est assumpta in ministerium a Domino, sed in *consortium* et in adiutorium simile sibi » (*Mariale*, 42).[1]

IV. **Rationes Theologicae.**

I. Illa est et dici potest *Mediatrix* in qua omnia quae ad mediationem pertinent inveniuntur. Atqui in B. Virgine omnia quae ad mediationem pertinent inveniuntur. Ergo B. Virgo est et dici potest *Mediatrix*.

Ad Maiorem. Tria, enim, — ut praenotavimus — requiruntur ad hoc ut quis mediator dici possit: 1) ratio medii, i. e. ut sit *medius* inter duo extrema, et ideo distet ab utroque extremo; 2) *ratio coniunctionis* i. e. ut *coniungat* unam partem cum altera, ea quae sunt unius ad alteram deferendo; 3) *ratio advocationis*, seu admissio, saltem implicita, ex parte duorum extremorum. Atqui haec tria bene conveniunt B. Virgini. Ergo ...

Ad Minorem. Nam B. Virgini convenit: 1) *ratio medii*: quia B. Virgo medium locum tenet, seu media existit inter Deum et homines: nam, per divinam suam maternitatem ad fines deitatis attingit (Caietanus, 2, 2, c. 103, a. 4 ad 2), atque simul pro sua conditione creaturae a Deo distat; similiter ob suam naturam humanam ad humanitatem attingit, atque simul ob Matris Dei incomparabilem dignitatem et gratiam ab hominibus distat. Hinc B. Virgo — sicut de Christo dicit S. Thomas — « distat a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate et gratiae et gloriae ».

2) *Actus coniungendi* unam partem cum alia, i. e. homines cum Deo: quod *duobus modis* (de quibus in particulari in subsequentibus quaestionibus agendum erit), praestavit aut etiam praestat: detulit enim quae sunt hominum Deo, pro hominibus (cum Christo et sub Christo Mediatore) Deo satisfaciendo et gratias merendo; detulit et defert quae sunt Dei ad homines, dona Dei, seu gratias omnes hominibus exhibendo.

3) *Advocatio* seu admissio ab utroque extremo, id est ab utraque parte. Quod B. Virgo *a Deo*, simul cum Christo, ad haec excellentissima munia obeunda vocata et admissa sit, patet ex argumentis iam adductis ex S. Scriptura et Traditione, et melius etiam patebit ex dicendis in quaestionibus subsequentibus,

[1] *Principium consortii* hac etiam forma enunciari potest: « B. Virgo est causa *secundaria* ubicumque Christus est causa *primaria* » — Hinc, merito concludebat P. Hugon O. P.: « Christus est praedestinationis causa formalis prima, B. Virgo est exemplar secundarium et proximum; Christus est causa meritoria et satisfactoria universalis primaria et de *condigno*, Maria est causa universalis secundaria et de *congruo*; Christus in coelo est causa impetratoria universalis et primaria, per quam omnia bona salutis ad nos derivantur; Maria est causa impetratoria universalis secundaria, ea scilicet ratione ut nulla ad homines descendat gratia nisi per manus, id est intercessionem Mariae » (*Tractatus dogmatici*, vol. 2, ed. 6, p. 772).

ubi agendum erit in particulari de mediatione seu cooperatione B. M. V. tum ad opus redemptionis generis humani, tum ad opus distributionis omnium gratiarum. Advocatio autem seu admissio, saltem *implicita*, Mediatricis ex *parte generis humani*, posita advocatione et admissione ex parte Dei, patet omnino. Eo ipso enim quod humanum genus Iesum Christum Mediatorem quam maxime desideravit et admisit, illum, evidenter, admisit *prout* a Deo fuit concessum et missum, i. e. *mediante* B. Virgine Matre sua, nova Eva.

II. Mater Mediatoris, qua talis (i. e. qua Mediatoris) est et dici debet cum ipso Mediatrix. Atqui B. Virgo est Mater Christi Mediatoris, qua talis (i. e. qua Mediator). Ergo B. Virgo est et dici debet Mediatrix.

Maior patet: Nam, « quod est causa causae, est etiam causa causati ». Atqui B. Virgo, Deo sic disponente, fuit veluti causa, et quidem libera, Mediatoris. Ergo fuit etiam causa effectus, i. e. mediationis eiusdem, et ideo fuit cum Ipso et sub Ipso Mediatrix.

Ad Minorem. Nam si Christus fuit *formaliter* Mediator quatenus est *homo*, ergo eius Mater erit formaliter Mediatoris Mater.

Atqui Christus fuit formaliter Mediator quatenus est homo. Ergo...

Ad Minorem. Nam, ut ait S. Thomas (*S. Th.*, 3, q. 26, a. 2) « Verissime dicitur Christus Mediator, secundum quod homo ».[1] Hinc, unum idemque est Christum esse *hominem* et esse Mediatorem; et a pari, unum idemque est B. Virginem esse Matrem Christi et esse Matrem Mediatoris. Exinde B. Virgo ipsum ordinem hypostaticum attingit, in quo vere radicatur Christi Mediatoris potestas et meritum.

Hinc magna est differentia inter B. Virginem Matrem Christi et matrem, e. g. Pontificis Pii XII: nam Pius XII non est natus Pontifex sed postea factus est; et ideo mater eius dici nequit *Mater Pontificis qua talis*; B. Virgo, e contra, iure *Mater Mediatoris qua talis* dici potest, quia Christus *ut Mediator* natus est,

[1] Christus, enim, Mediator dici nequit *quatenus* est *Deus*, — ut vellent Reformatores, i. e. Calvinus, Melanchton — quia Christus *quatenus Deus* non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura et potentia; neque Mediator est *formaliter* quatenus est *Homo-Deus*, quia secundum divinitatem est aequalis Patri, et divinitas eius non fuit nisi *conditio sine qua non suae mediationis*: *principium* enim ex quo natura humana Christi (quae *sola* satisfacit, meretur et ideo mediatrix est) *valorem* trahit in sua mediatione (i. e. in sua satisfactione et merito) est gratia unionis, seu hypostasis divina. Hinc, principium *mediationis* (i. e. satisfactionis et meriti) est natura humana Christi; principium vero *valoris* huius mediationis est hypostasis divina. (Cfr CAIETAN in 3, 26-2, n. 2). Hinc Christus *formaliter Mediator* est *quatenus homo*: non quidem *reduplicative*, id est, quatenus habet naturam humanam (quia ita omnes homines mediatores essent), sed *specificative*, id est, quatenus habet *talem* naturam humanam. Hinc S. Paulus scribebat: « Unus est Mediator Dei et hominum, *homo Christus Jesus* ».

Hinc, si Thomistae quidam declarant Christum esse Mediatorem secundum naturam divinam simul et humanam, seu, quatenus est *Homo-Deus*, hoc ita intelligendum est, secundum naturam humanam *formaliter* (specificative), et secundum naturam divinam *conditionaliter*.

et integrum eius opus est opus Mediationis. Ipsa enim assumptione humanae naturae in sinu Virginis Matris, *hominum Mediator* constitutus est, quin alia consecratione, ab illa quae ab ipsa incarnatione derivatur, diversa, indigeat.

Sed haec omnia in sequentibus quaestionibus melius patebunt.

III. *Convenientia* Mediationis B. M. V., ex hoc praesertim apparet quod Deus — prout animadvertit E.mus Lépicier[1] — « non alio modo, in ordine supernaturali et gratiae, operari, ac in ordine naturae operatur: siquidem, sicut in *executione* huius ordinis multas causas *medias* admittit, quibus operandi et effectus proprios producendi virtutem communicat; [2] ita eius infinitam maiestatem nedum decet, verum quam maxime commendat talis dispositio, qua homines ad finem supernaturalem ducere constituit mediantibus ministris, quasi *mediatoribus* inter se et homines, suarum gratiarum. [3]

« Nec per hoc *unitati* Mediatoris Christi derogatur, aut illius dignitati quidquam detrahitur; nam, licet mediatores habeantur multi, *unus* tamen est qui est immediate ad Deum mediator, dum alii mediatores sunt ad Mediatorem Christum, qui et mediationem propria dignitate propriisque meritis exercet, dum aliorum mediatio virtuti Mediatoris Christi inniti omnino postulat.

« Denique, licet omnes sancti et angeli, immo et sacerdotes Novae Legis hoc pacto mediatores ad Christum existant, tamen, consuetudo in Ecclesia invaluit ut una Beatissima Virgo, prae omnibus sanctis, Mediatricis titulo quodam veluti innato iure condecoretur; nec immerito, cum *ipsa sola*, quae propius quolibet Sancto ad Christum accedit, *immediate* ad Hominem-Deum suam interponat mediationem, alii vero Sancti suam mediationem *per Beatissimam Virginem* exerceant; quorum praeterea mediatio non ad omnes homines extenditur, sicut mediatio Beatissimae Virginis, ad quam innato quodam iure, universorum christianorum salus pertinet ».

II – *DE MEDIATIONE B. M. V. IN PARTICULARI*

Postquam egimus de Mediatione B. M. Virginis *in genere*, agendum est nunc de Mediatione B. M. V. *in specie*, id est; 1) de eius mediatione seu cooperatione ad opus *redemptionis* generis humani, seu, in acquisitione omnium gratiarum, vi cuius iure meritoque dicitur CORREDEMPTRIX; 2) de eius mediatione aut cooperatione ad opus distributionis omnium gratiarum, vi cuius iure meritoque DISPENSATRIX OMNIUM GRATIARUM proclamatur. Dignitates enim Corredemptricis et Dispensatricis omnium gratiarum sunt duo veluti elementa seu

[1] O. c., p. 482.

[2] Cfr *Sum. Th.*, I, q. 103, a. 6 et C. G. l. 3, c. 77.

[3] Iure S. Thomas scribebat: « Habet enim hoc divinus ordo ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur » (2-2, q. 83, a. 11). Ratio ista plene ac dilucide evolvitur a VICTORE DEVY S. M., in *Revue de l'université d'Ottawa*, 1934, pp. 127 ss.

duo particulares adspectus mediationis in genere. Hinc duae distinctae quaestiones, videlicet:

I. *De cooperatione B. M. V. Redemptioni generis humani* (De B. M. V. Corredemptrice generis Humani) *seu acquisitioni omnium gratiarum.*

II. *De cooperatione B. M. V. distributioni omnium gratiarum,* seu De B. M. V. dispensatrice omnium gratiarum.

Art. 1 – De cooperatione B. M. Virginis acquisitioni omnium gratiarum.

I – DE B. M. VIRGINE CORREDEMPTRICE IN GENERE

Bibliographia: Amorós, « *Nova Eva* », « *Corredemptrix* » De S. Bernardini Senensis sententia analytica disquisitio, in *Estudis Franciscans*, 41 (1929) 184-210; Bartmann, *Mater divinae gratiae*, in *Theologie und Glaube*, 17 (1925), 16-29; Bittremieux I., *De congruo promeruit nobis B. Virgo quae Christus de condigno*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 8 (1931) 422-436; *Adnotationes circa doctrinam B. Mariae Virginis corredemptricis in documentis Romanorum Pontificum*, in *Eph. Theol. Lov.* 16 (1939) 745-778; Borzi, C. SS. R., *Maria hominum corredemptrix*, Brugis, 1931; Bover I., S. I., *B. V. Maria hominum Corredemptrix*, in *Gregorianum*, 7 (1925) 537-569; *La mediación universal de la « Secunda Eva » en la tradición patrística*, in *Estudios Eclesiásticos*, 1923, 321-350; *Maria Reparadora*, Barcelona, 1929; *Síntesis orgánica de la Mariología en función de la asociación de María a la obra redentora de Iesu-Cristo*, Madrid, 1929; *Redempta et Corredemptrix*, in *Marianum*, 2 (1940)39-58; *Singulari tuo assensu mundo succurristi perdito*, in *Marianum*, 2 (1940) 329-361; *Cooperatio remota in ordine physico ad obiectivam redemptionem* (Crisis sententiae P. Lennerz) in *Analecta sacra Tarraconensia*, 13 (1940) 5-45; *El hecho de la Corredención o la Corredención mariana generalmente considerada*, in *Teología*, 1 (1940-41) 681-729; *Los grandes problemas de la Corredención Mariana*, in *Estudios Eclesiásticos*, 16 (1942) 187-219; *Deiparae consensus, corredemptionis ac Mediationis fundamentum*, Matriti, 1942; Carol I. B., O. F. M., *The blessed Virgin's Co-Redemption vindicated*, Quaracchi, 1937; *Utrum B. Virginis Corredemptio sit in S. Scriptura formaliter revelata*, in *Marianum*, 1 (1939) 238-326; *De fundamento proximo Co-redemptionis Marianae*, in *Marianum*, 1 (1939), 173-187; *Episcopatus catholicus et B. M. Virginis Corredemptio*, in *Eph. Theol. Lov.*, 16 (1939) 801-828; *Pio XII e la Corredenzione di Maria*, in *Marianum*, 1 (1939) 361-364; *P. E. Lennerz et problema de Co-redemptione mariana*, in *Marianum*, 1 (1940) 194-200; Cuervo, *La gracia y mérito de María*, in *Ciencia Tomista*, 57 (1938); De la Broise et Bainvel, *Marie, Mère de Grâce*, Paris 1921; Deneffe, S. I., *Mariae in opere redemptionis cooperatio*, in *Gregorianum*, 8 (1927) 3-22; Dillenschneider C., C. SS. R., *La corédemptrice dans la théologie mariale de Saint Alphonse*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 10 (1933) 243-266; *Le problème du co-mérite médiateur de la Vierge*, in *Bull. de la Soc. Fr. d'Et. Mar.*, 1936, pp. 127-191; *Le concours sotériologique de Marie à notre rédemption, chez les théologiens du XVII^e siècle étrangers à l'Ecole Bérullienne*, in *Eph. Theol. Lov.* 16 (1939)

779-800; *Marie au service de notre Rédemption*. Le mérite médiateur de la nouvelle Ève dans l'économie Rédemptrice, Haguenau, 1947, in-8, pp. XIV-432; GARCIA GARCÉS N., C. M. F., *Mater Corredemptrix*, seu de possibili illatione a spirituali Maternitate B. M. Virg. ad formalem eius Corredemptionem, Marietti, Torino-Roma, 1940; GEBHARD, S. M. M., *Marie Corédemptrice*, in *Rev. des Prêtres de Marie, Reine des Cœurs*, 7 (1920) 78-88, 112-118; GODTS C. SS. R., *La Corédemptrice*, Bruxelles, 1920; GOOSSENS W., *De cooperatione immediata Matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*. Quaestionis controversae perpensatio, Desclée, Paris, 1939; KERKHOFS L., *Marie, mère de toutes les grâces*, in *Rev. de Liège*, t. 13, a. 1922; JANSSENS AL., *De cooperatione immediata Matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 16 (1939), 829-833; JEANJACQUOT S. I., *Simples explications sur la coopération de la T. S. Vierge à l'œuvre de la rédemption et sur sa qualité de mère des chrétiens*, Paris, Albanel, 1868; LENNERZ H., S. I., *De B. Virgine*, Romae, 1935. *Considerationes de doctrina B. Virginis mediatricis*, in *Gregorianum*, 19 (1938) 419-444; *De Redemptione et cooperatione in opere redemptionis*, in *Gregorianum*, 22 (1941) 301-324; MANYA I. B., *Un aspecto de la Corredención mariana*, in *Revista Española de Teología*, vol. 3, 1942, pp. 115-132; PHILIPS G., *De cooperatione B. M. V. in Redemptione*, in *Rev. Eccl. de Liège*, 30 (1939) 249-254; 296-312; PHILIPON, *Le mérite de congruo de notre Mère dans le Christ*, in *Bull. de la Soc. Fr. d'Et. Mar.*, 1936, pp. 205-245; RIVIERE, *Questions mariales d'actualité*, in *Rev. des Sc. R.* 12 (1932) 98-101, 15 (1935) 614-617; *Marie « Corédemptrice »?* Ibid., 1940, p. 123; ROSCHINI G., O. S. M., *De Corredemptrice*. Perpensatio difficultatum Can. Prof. W. Goossens circa cooperationem immediatam B. M. V. ad redemptionem obiectivam, in *Marianum*, 1 (1939) 242-282; 267-297; *La corredentrice degli uomini*, in *Regina dei Cuori*, a. 1940-1942; SEILER H., S. I., *Corredemptrix*, Theologische Studie zur Lehre der letzten Päpste über die Miterlöserschaft Mariens, Rom, 1939; SMITH G. D., *Mary's Part in our Redemption*, London, 1938; STRAETER P., S. I., *Sententia de immediata cooperatione B. M. V. ad redemptionem cum aliis doctrinis Marianis comparatur*, in *Gregorianum*, 25 (1944) 9-37; TUMMERS F., *Het « mede-verdienen » van de H. Maagd in het verlossingswerk*, in *Bijdragen*, 1 (1938) 82-103, 3 (1940) 199-213, 4 (1941) 148-165. Cfr etiam *La Corédemption*, Troisième Congrès Mariale bréton, S. Brieuc, René Prudhomme, 1911, LVIII-484 pp. Alia scripta circa Corredemptionem inveniri possunt in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid 1943.

STATUS QUAESTIONIS

In hac tractatione, tam acriter hodie inter Thelogos controversa, status quaestionis ante omnia rite determinandus est.

I. Quid per nomen « Coredemptrix » intelligatur

Cum « Corredemptio », iuxta omnes, *cooperationem ad Redemptionem* significet, ad plenam corredemptionis intelligentiam, bene determinandi sunt duo termini quibus exprimitur, videlicet: *Redemptio* et *cooperatio*.[1]

[1] Cfr BOVER I., S. I., *Los grandes problemas de la Corredención Mariana*, in *Estudios Eclesiásticos* 16 (1924) 185-219.

1) Redemptio sumi potest *generice* (prout universum opus salvificum Christi complectitur) et *specifice* (prout specialem aliquam modalitatem operis salvifici exprimit, i. e. *redemptionem* italice: il riscatto), seu acquisitio rei antea possessae, postea amissae, pretio soluto.

Redemptio generice accepta, considerari potest *in seipsa*, quatenus designat actu ipsum redemptivum; et in suis *effectibus*, quatenus designat *fructus* actum redemptivum consequentes, sive immediatos et absolutos (e. g. reconciliatio Dei cum genere humano, fructus victoriae supra diabolum), et mediatos et conditionatos (dispensatio gratiae, seu, actualis iustificatio nec non vita aeterna).

Redemptio *in seipsa* seu actus redemptivus quatuor modalitates seu formalitates secumfert in re fundatae, videlicet: *meritum* (si respicitur bonum futurum), *satisfactio* (si respicitur malum praeteritum), *sacrificium* seu opus (in casu nostro, passio Christi et compassio Deiparae) meritorium simul et satisfactorium, et *redemptio* (si actio sacrificalis meritoria et satisfactoria consideratur tamquam *pretium* pro redemptione specifice sumpta). Redemptio ergo in seipsa seu actus redemptivus nihil aliud est quam *redemptio sacrificalis, satisfactoria simul et meritoria*: vel etiam: est *sacrificium*, cuius sanguis, ob suum valorem *satisfactorium* et *meritorium*, pretium constituit nostrae redemptionis.

2) Cooperatio, idem est ac operatio cum alio seu concursus praestitus actioni alterius. Ad habendam autem *veram* cooperationem, necesse est ut actio quae fit cum alio sit: *a*) *efficax*, seu, verum influxum exerceat in effectum; *b*) *moralis*, seu deliberata, ex cognitione et libera voluntate procedens; *c*) *coordinata* vel saltem (ut in casu nostro) *subordinata*.

Cooperatio potest esse materialis et formalis. Cooperatio *materialis* habetur cum quis cooperatur actioni alterius sine cognitione vel saltem sine intentione. Cooperatio vero *formalis* habetur cum quis cooperatur actioni alterius cum cognitione et intentione eiusdem. Ita, e. g., si quis praebet alteri venenum quod occidit inimicum, quin sciat de hac prava intentione, cooperatur tantummodo materialiter occisioni iniustae. Si quis, e contra, veneum alteri praebet sciens et intendens occisionem inimici, cooperatur formaliter occisioni.

Hoc posito dicimus: cooperatio *materialis* est semper, ex natura sua, mediata et remota. Pertingit enim usque ad medium tantummodo (ministratio veneni) et sistit in ipso, tamquam in proprio et immediato obiecto, quin sese extendat usque ad finem (occisio inimici) quae ab alio solo, absque cooperatione (et intentione) praebentis venenum, fit. Cooperatio vero *formalis* est semper, ex natura sua, immediata et proxima. Non sistit enim, tamquam in suo obiecto, in ministratione tantummodo medii (i. e. veneni) sed pertingit usque ad finem (i. e. occisio inimici) eo quod intenditur et in ipsum iugiter influit usquedum consequatur. [1] Hac de causa effectus etiam ipsi imputatur.

[1] Inepte igitur P. Lennerz (cfr *Gregorianum* a. 1941, pp. 311 s.) dividit cooperationem in *immediatam* et *mediatam*; mediatam vero subdividit in *materialem* et *formalem*. Cooperatio

Immediatio autem cooperationis formalis duplex distingui potest: *contactus* (cum inter cooperationem et effectum nulla interponitur actio intermedia) et *virtutis* (cum inter cooperationem et effectum interponitur aliqua actio intermedia, quae tamen nullimode *influxum* cooperationis in effectum impedit). Cooperatio per immediationem *virtutis* habetur — prout videbimus — in *consensu* Virginis Incarnationi redemptivae seu redemptioni (quam intendit et in quam influxit). Cooperatio vero per immediationem *contactus* habetur in *Compassione* Deiparae, quae redemptionem operata est, una cum Passione Christi, merendo et satisfaciendo pro genere humano. [2]

Attamen, bene notandum: 1) cooperationem B. M. Virginis, non fuisse *absolute* sed *hypothetice* tantum *necessariam*, scilicet, quia Deus sic sapientissime voluit, licet potuisset humanum genus redimere absque ulla cooperatione B. Mariae V.

Insuper 2) haec B. Virginis cooperatio ad opus redemptionis, non est cooperatio veluti *collateralis*, qualis esset, v. g. illa quae haberetur in conatibus duorum vel plurium virorum ad sublevandum aliquod pondus: Iesus, enim, est unicus Redemptor: « *ipse est propitiatio pro peccatis nostris* ». B. Virgo magno redemptionis operi cooperata est utique cum Iesu, et quidem modo maxime vero et efficaci, sed omnino *dependenter* ab Ipso et *subordinate* Ipsi. Quo modo Christus, etiam Cooperatione Virginis admisa, UNICUS Redemptor dici possit, postea videbimus.

II. Sententiarum varietas

A) *Acatholicorum sententiae.*

PROTESTANTES nedum veteres sed etiam recentiores, [3] magno zelo tuendi honorem D. N. I. Christi, unici Redemptoris, *apparenter* abrepti, negant Corredemptricis titulum B. Mariae Virgini convenire. Esset enim exaltatio indebita quae in *damnum cederet* Christi, UNICI MEDIATORIS, cuius, in Incarnationis opere, B. Virgo *materiale* tantum *instrumentum* fuit. Evidens est, enim, quod *uni* tantum tribui non possit id quod cum alterius cooperatione factum est. Et sic Christo tantum, qui est *Unicus* Redemptor, tribui non posset Redemptio, si cum coope-

enim *materialis*, prout diximus, est semper *mediata*; dum cooperatio *formalis* est semper *immediata*.

[2] Inepte igitur *tota* cooperatio immediata ad Redemptionem a quibusdam Theologis ad solum *meritum* gratiarum Redemptionis reducitur.

[3] Cfr 1) Encyclopaedias sequentes: *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, Leipzig, 1896-1913, 12 (1903) 309-336, art. *Maria* (Zöckler); 2) *Die Religion in Geschichte und Gegenwart*, art. *Maria*, 3 (1931), 1995-1996, et art. *Marienverehrung*, 3 (1931), 2014-2017.

Cfr etiam: *Theologische Studien und Kritiken*, 69 (1886) 7-94, 197-267; HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, Tubingeu, Mohr, 1909, t. 2, pp. 476-478; t. 4, pp. 655-659 et passim.

ratione Virginis operata esset.[1] Doctor Pusey, Ritualistarum Anglorum caput, ponit quod, relate ad Incarnationem, B. Virgo in eodem ordine ac ceteri omnes maiores Iesu (antenati) ponenda est; cum hac unica differentia quod illi *remote* tantum ad Incarnationem cooperati sunt, B. Virgo, vero, *proxime*.[2] Hinc — concludit — sicut nemo inter *corredemptores*, maiores Christi, ut Abraham, David etc. numerare praesumit, ita nec B. Virgo Corredemptrix dici potest.

Protestantibus accesserunt, saec. XVII, JANSENISTAE. Ita, e. g. Adrianus Baillet, a Benedicto XIV « hypercriticorum rex » appellatus,[3] scribebat: « Jamais l'Eglise en lui conférant cette qualité (de Médiatrice et Corédemptrice) n'a eu l'intention de nous laisser penser, qu'elle (Marie) *eut apaisé la colère de Dieu par ses propres mérites*... Jésus-Christ n'a associé avec lui aucune créature dans le mystère de notre rédemption ».[4]

B) *Catholicorum sententia.*

Hucusque de Protestantibus et Jansenistis. At, sententiae etiam CATHOLICORUM hac in re variae sunt.

Perpauci enim, titulum ipsum *Corredemptricis* B. Virgini tribuere renuunt, inanibus — prout videbimus — ducti rationibus. At, communiter Catholici, praesertim postquam titulus ille in variis documentis magisterii Ecclesiastici apparuit, titulum ipsum absque ulla haesitatione recipiunt. Non omnes tamen huic titulo *eamdem extensionem* tribuunt.

I. *Sententia tenentium cooperationem* MEDIATAM *ad redemptionem obiectivam.*

GOOSSENS (*De cooperatione immediata Matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, pp. 11-27), post P. H. LENNERZ S. I. (*De B. Virgine*, ed. 3, pp. 216-218), tenet B. Virgini nonnisi *lato sensu* et modo minime *essentialiter* diverso ab aliis hominibus, titulum *Corredemptricis* tribui posse.[5]

[1] Facili negotio Protestantibus responderi potest distinguendo: nequit *uni tantum* tribui id quod cum alterius cooperatione agitur, si alter iste *independenter* ab alio et *propria virtute* agit; non vero si *dependenter* et *virtute ab alio* recepta agit, prout fecit B. Virgo.

[2] Animadvertendum quomodo cooperatio Virginis totaliter differat a cooperatione maiorum Christi. B. Virgo enim *scienter* et *libere* i. e. *moraliter* cooperata est Incarnationi redemptrici; maiores Christi, e contra, *materialiter* tantum.

[3] Cfr *De Festis*, lib. 2, cap. 16, n. 8.

[4] *De la dévotion à la Ste Vierge et du culte qui lui est du*, Paris, 1693, p. 40. Opus istud fuit in *Indicem librorum prohibitorum* relatum die 4 aug. 1684 et 6 iulii 1701.

[5] Idem tenent NEWMAN, *Du culte de la Sainte Vierge dans l'Eglise catholique*; RIVIÈRE, *Ephem. Theol. Lov.*, 2, 1925, 224. *Questions mariales d'actualité*, Extrait de la Revues des Sciences religieuses, 1932, p. 95 s.; P. A. IANSSENS, *Ephem. Theol. Lov.*, 14, 1937, 343; DE LA TAILLE, *Gregorianum*, 7, 1926, 393 s.; LUYKX B. A., *Onze eenheed in Christus*, t. 2, Hilversum, 1936, p. 72 s.; UDE, *Ist Maria die Mittlerin Aller Guaden?*, Bressanone, 1928, p. 17; SMITH, *Mary's part in our Redemption*, London, 1938, p. 89 ss.

Auctores isti distinguunt inter redemptionem *obiectivam* et *subiectivam*. Redemptio *obiectiva* in *acquisitione* beneficiorum redemptionis consistit; redemptio vero *subiectiva* consistit in *applicatione* beneficiorum redemptionis. Subdividunt, insuper, cooperationem ad redemptionem obiectivam in *mediatam* seu *remotam* et *immediatam* seu *proximam*.

Hisce distinctionibus positis, auctores praedicti concedunt omnino cooperationem immediatam et proximam B. Viginis redemptioni *subiectivae*, seu distributioni omnium et singularum gratiarum, quatenus omnes et singulae gratiae per manus Mariae transeunt. Concedunt insuper praefati auctores cooperationem *mediatam* et *remotam* B. Virginis redemptioni *obiectivae* seu acquisitioni omnium et singularum gratiarum, quatenus nempe B. Virgo libero suo assensu in maternitatem divinam, dedit nobis Redemptorem qui, *solus*, gratias omnes acquisivit, opus nostrae redemptionis solus, morte crucis, perficiens.

Negant proinde, auctores isti, cooperationem *immediatam* B. Virginis *redemptioni obiectivae*, ita ut iuxta ipsos B. Virgo, *sensu stricto*, Corredemptrix salutari non possit. Attamen, ipsemet Goossens aperte concedit B. Virginem « per totam vitam suam, et maxime hac sua cum Filio compassione, meruit ac satisfecit pro hominibus ... *solum in ordine redemptionis subiectivae* » (o. c., p. 158).[1]

At, si ita est, prout quidam iure animadvertunt, facile patet distinctionem inter redemptionem *immediatam* et *mediatam*, *obiectivam* et *subiectivam* ex se sola imparem esse ad hanc quaestionem solvendam. Etenim, si admitti nequit cooperatio *immediata* (utpote *impossibilis* quia redemptio supponitur iam *completa* antequam B. Virgo eidem cooperari possit), pari iure admitti non potest cooperatio *mediata* et *remota* a Goossens admissa, quia haec etiam, utpote fundata in meritis Christi Redemptoris, supponit iam *peractam* redemptionem obiectivam. Insuper, si B. Virgo, prout concedit Goossens, vere meruit et satisfecit pro hominibus, quamvis in ordine redemptionis *subiectivae*, vere igitur, quamvis secundario et subordinate, gratias illas meruit, ita ut illa dicenda sit Mediatrix non solum quia dispensat gratias, sed etiam quia gratias quas dispensat vere proprieque meruit seu acquisivit. Sed si ita est, distinctio inter redemptionem *obiectivam* et *subiectivam* non amplius sustinetur, eo quod illogice ommino redemptio *subiectiva* (prout facit Goossens) ad *solam* gratiarum *distributionem* coarctaretur, dum e contra etiam ad gratiarum *acquisitionem* extendi debet.

Aliis etiam rationibus distinctiones istae nobis reiciendae videntur. Etenim: 1) Redemptio *proprie* dicta (non vero *analogice* dicta) est *una tantum*, illa videlicet quae a Lennerz et a Goossens *obiectiva* appellatur. Redemptio enim, *formaliter* accepta, nihil aliud significat quam *solutionem pretii* pro nostra libe-

[1] In hac sententia negligitur omnino elementum quaestionis praecipuum, videlicet, *deputatio* divina meritorum et satisfactionum de congruo Virginis (una cum meritis et satisfactionibus « condigno Christi) ad redemptionem nostram.

ratione a servitute diaboli; et haec solutio pretii (a meritis et satisfactionibus Christi et Deiparae constituta) *semel* tantum locum habuit, ope sacrificii crucis; dum e contra redemptio, uti aiunt, *subiectiva* multiplex est et *pluries* locum habet, iuxta multiplicitatem subiectorum quibus *applicatur*. Redemptio enim operata est a Christo et a Deipara tamquam causa *universali* quae *singulis* applicari debet, ad hoc ut *nostra* evadat. Cum igitur Patres et auctores, praesertim veteres, de *redemptione simpliciter* loquuntur, semper redemptionem obiectivam intelligunt, id est solutionem pretii quae est causa universalis nostrae salutis. Redemptio igitur, quatenus communiter dicitur de opere ipso redemptionis et de applicatione eiusdem, non est terminus univocus sed *analogus* (analogia attributionis), et ideo — iuxta antiquorum effatum — « analogum, per se sumptum, stat pro famosiori analogato ». Eo vel magis quod termini ipsi *redemptio*, *redimere*, *redemptor*, etc. qui saepe a Patribus et a veteribus theologis Christo et Deiparae communiter tribuuntur, numquam vel fere numquam *de aliis Sanctis* dicuntur: quod fieri debuisset, si tales terminos in sensu redemptionis *subiectivae* accepissent. Videtur igitur talis distinctio subtiliter adinventa ad valorem textuum SS. Patrum, Summorum Pontificum et Theologorum facili negotio enervandum.

2) Terminus ipse: « Redemptio *subiectiva* » valde aequivocus videtur. Redemptio enim *subiectiva* intelligi potest duplici sensu, videlicet, *active* et *passive*. Si intelligatur *active*, nihil aliud significat quam actionem redemptivam Christi, id est ipsam redemptionem *obiectivam*. Loqui igitur possumus de redemptione *subiectiva* (in sensu *activo* intellecta) quin vel a longe de *applicatione* redemptionis (id est de redemptione subiectiva in sensu auctorum) cogitemus.

3) Nec minus aequivocus nobis videtur terminus « Redemptio *obiectiva* ». Ipse enim, praeter *acquisitionem* fructuum redemptionis (prout intelligitur a Lennerz et a Goossens) significare etiam potest *applicationem* fructuum redemptionis, quatenus *applicatio* ista est *obiectum* redemptionis subiectivae *activae*, id est actionis Christi redemptricis.

Insuper, Redemptio *obiectiva* immerito omnino ad *consummationem* ipsius seu ad solum sacrificium crucis *circumscribitur*. Redemptio enim *obiectiva*, iuxta S. Paulum in Ep. ad Hebraeos (10, 5-10) initium sumpsit in *ipso instanti* Incarnationis Verbi, cum scilicet semetipsum Patri obtulit tamquam victimam peccatorum nostrorum. In cruce redemptio nostra habuit tantummodo suum logicum et necessarium *complementum*.

4) Termini ipsi « cooperatio *proxima* et cooperatio *remota* » sat *ambigui et periculosi* videntur. Etenim aliquis potest esse *causa causae*, et ideo etiam *causa causati* duplici modo, videlicet: *a*) causa causae *ut existentis*, et *b*) causa causae *ut operantis*. In priori casu, influxus anterioris causae (i. e. causa causae) in ultimum effectum, fere nullus dici debet, eo quod secunda causa *independenter* a priori causa operatur. In secundo casu, e contra, causae anterioris (i. e. causa causae) influxus in ultimum effectum, vere efficax est, eo quod tunc causa poste-

rior ut mota a causa anteriori operatur, quae proinde sua actione vel virtute ad ipsum effectum pertingit.

Hoc posito quaeri posset a Lennerz et a Goossens: causalitas in secundo casu expressa, appellanda eritne *proxima* vel *remota*? ... Si appelletur *proxima*, facile causa anterior (causa causae) confunderetur cum causalitate causae posterioris quae immediate per seipsam (absque alia interposita causa) effectum producit. Si vero appelletur *remota* facile confunderetur cum causalitate expressa in primo casu, quae nullum influxum exercet in effectum. [1]

Hisce positis, clare, prout nobis videtur, apparet quomodo praefatae distinctiones seponendae sint tamquam de se ineptae ad quaestionem de Corredemptione apte solvendam.

II. *Sententia tenentium cooperationem* IMMEDIATAM IN ACTU SECUNDO.

Quae cum ita sint, alii, huiusmodi distinctionibus reiectis vel etiam sepositis, alio modo procedunt.

Al. Ianssens animadvertit « Chrisum non solum meruisse quoad *sufficientiam* omnia bona gratiae, sed etiam quoad *efficaciam* meruisse aliquibus specialia dona, seu ut sua merita in illis haberent infallibiliter aliquem effectum gratiae. Ut alia argumenta nunc praetermittam, hoc constat ex eo quod Christus nihil influit in homines, nullamque eis gratiam dispensat, nisi quam illis meruit; sive aliter, interpellatio caelestis Christi non se habet aequaliter ad omnes quoad efficaciam, quod est intelligendum non tantum ex parte effectus, qui in uno fit et non in alio, sed etiam ex parte voluntatis qua Christus meruit et diverso modo obtulit sua merita pro diversis, secundum electionem et voluntatem Dei cui se voluntas humana Christi conformavit. [2]

« Quae cum ita sint, non repugnat Christum ratione prius omnibus, etiam B. Virgini meruisse *quantum* ad *sufficientiam*, et deinceps, ratione posterius, B. Virgini meruisse *quantum ad efficaciam* omnia dona gratiae et gloriae quibus ipsa reapse dignata fuit, in specie ut ipsa secum consociaretur in merito *quoad efficaciam* pro ceteris hominibus » (l. c., p. 832 s.). Hoc modo salvatur ex parte Virginis *possibilitas* cooperationis acquisitioni gratiarum redemptionis, (quae in sententia Goossens non salvatur) in actu secundo (non vero in actu primo) consideratae. [3]

[1] Cfr BOVER, in *Analecta sacra Tarraconensia*, 13 (1937-1940), 6.

[2] Cfr SUAREZ, *Opera omnia*, ed. Vivès, Parisiis, 1877, t. 18, p. 360.

[3] « Observatu tamen dignum est — animadvertit idem cl. A. — quod distinctio redemptionis *in actu primo* et *in actu secundo* non debet officere verae unitati operis salvationis humanae. Christus enim patiendo et moriendo non habuit duas voluntates distinctas, unam quasi abstractam et confusam ex parte obiecti qua voluit reconciliare et sanctificare omnes homines, alteram quasi particularem et completam qua voluit quibusdam applicari sua merita quantum ad efficaciam. Redemptio in actu secundo, etsi ab ea quae est in actu primo distinguatur secundum nostrum concipiendi modum, tamen vere includit eam, quia una est voluntas Christi quae

Ita etiam, quoad substantiam tenere videtur Philips [1] (in *Rev. Eccl. de Liège*, 30 (1939), 296-312).

III. *Sententia tenentium cooperationem* IMMEDIATAM IN ACTU PRIMO.

At alii theologi, et quidem numerosiores, tenent B. Virginem cooperatam fuisse ad nostram redemptionem obiectivam immediate, in actu primo, merendo et satisfacendo cum Christo, tamquam eius Socia, pro redemptione nostra. Ita Lépicier, Terrien, Campana, Bittremieux, Dillenschneider, Borzi, Deneffe, Bover, Friethoff, Lebon, etc. Non omnes tamen eadem verborum proprietate loquuntur. [2]

respectu horum est efficax, respectu aliorum est simplex affectus, licet quantum est ex se, Christus vere voluit omnes homines salvari. Quod autem meritum Christi non se habeat aequaliter ad omnes quantum ad efficaciam, accidit partim ex divina electione, *partim ex libero arbitrio*, i. e. ex libera causalitate non solum singulorum salvandorum per merita aut demerita propria, verum etiam ex meritis congruis aliorum, potissimum B. Mariae » (l. c., p. 832).

[1] Scribit enim: « Non ergo affirmamus ex opere Filii et cooperatione Matris unum coalescere totale principium gratiae: sic enim quasi ex partibus diversis integraretur pretium, et imaginari quis posset in opere Mediatoris nonnulla deesse. At, sine haesitatione tenemus Iesum fuisse principium salutis omniperfectum et totale, et similiter, proportione servata, Mariam fuisse principium secundarium, subordinatum, sed etiam vere totale: nam, sub efficacissimo influxu Christi ad universalitatem causarum virtute sua concurrit. Itaque nihil omnino Mariae detrahimus, sed eam in immensum extollimus, etiam seclusa uti oportet cooperatione immediata ad redemptionem obiectivam » (seu, prout apparet ex eius mente, ad redemptionem obiectivam in *actu primo* consideratam) (l. c., p. 300). Et statim post, agens de activitate secundaria Deiparae ad *acquirendas* et ad *distribuendas* omnes gratias redemptionis, scribit: « Qui duo adspectus minime coincidunt. Primus enim relate ad alterum, est vera quaedam adeptio gratiarum, quae singillatim postea elargiuntur. Locus remanet pro nota distinctione inter cooperationem redemptivam in actu primo et applicationem in actu secundo. *Sed actus primus et actus secundus ambo ad redemptionem* SUBIECTIVAM referuntur » (l. c., p. 301).

[2] Ita, improprie et aequivoce omnino quidam *acquisitionem gratiarum* vocant redemptionem *obiectivam*, et *distributionem gratiarum* appellant redemptionem *subiectivam*. Etenim, etiam in redemptione, uti aiunt, *subiectiva*, ut patet, dari potest et de facto datur vera *acquisitio gratiarum*.

P. GARCIA GARCES, Corredemptionem dividit in proprie dictam et improprie dictam:

a) Corredemptio *improprie dicta* est actio quaelibet sive praevia sive subsequens opus Christi formaliter redemptivum quae intrinsece vel *in seipsa* non personam, non opus, non fructus Redemptionis attingunt, sed remotiore quadam ratione, occasionaliter vel dispositive, redemptionis fructibus viam sternunt. Ita corredemptores dicuntur ii omnes qui quocumque modo spiritum et regnum Christi propagare satagunt. (Apostoli etc.).

b) Corredemptio *proprie dicta* respicit illa quae Redemptoris personam, opus, fructus attingunt. Distinguitur haec in *entitativam* et *connexivam* seu derivatam. Corredemptio *entitativa* vel in actu primo, verum et proprium concursum importat ad redemptionem seu ad reconciliationem hominis cum Deo; corredemptio vero *connexiva* vel derivata est illa quae se extendit non solum ad distributionem omnium gratiarum, sed etiam ad *acquisitionem* earumdem, fundatam tamen in valore et in merito redemptionis entitativae. Corredemptio entita-

Triplex igitur, apud catholicos, sententia habetur relate ad redemptionem obiectivam: prima sententia tenet cooperationem *mediatam*; secunda vero cooperationem immediatam sed in actu secundo; tertia tandem tenet cooperationem immediatam in actu primo, seu in ipsa prima acquisitione gratiarum vel beneficiorum redemptionis.[1] Prima sententia est parum vel nihil generosa relate ad B. Virginem; secunda est generosior; tertia vero est generosissima, et iuxta nos, etiam in revelatione fundatissima.

tiva *materialis* dicit merum concursum ad materialitatem actuum (e. g. concursus physicus et moralis ad Incarnationem Verbi, oblatio pueri Iesu in templo, compassio in morte Filii etc.). Corredemptio vero entitativa *formalis* duplici modo intelligi potest, videlicet: in quantum influit *in agentem principalem*, illum ad actus redemptivos determinans; et in quantum influit *in effectum*. In effectum autem quis influere potest dupliciter: necessitate scilicet *absoluta* vel *hypothetica*. Necessitas vero hypothetica potest esse *intrinseca* vel *extrinseca*. Necessitas tandem extrinseca concipi potest *ad simpliciter esse* et *ad melius esse*. En schema completum:



Hisce positis, corredemptio de qua hodie tam acriter disputatur est *corredemptio proprie dicta, entitativa seu in actu primo, formalis, in quantum influit in effectum, necessitate hypothetica et extrinseca, ad melius esse*. Talem vero Corredemptionem P. Garcia admittit tantummodo tamquam *probabilem* non vero tamquam certam. (o. c., pp. 139-147).

[1] P. Lamerz (post Stentrup et Galtier) pro redemptione in *actu primo* intelligere mavult valorem intrinsecum operis redemptivi, et pro redempione in *actu secundo* acceptationem huius operis, ex parte Dei, pro salute mundi. At — prout iure animadvertit Dillenschneider — acceptio divina includitur, ipso facto, in valore ipso intrinseco actus redemptivi Christi, ex ipsa unione hypostatica derivante (*Marie au service de notre Rédemption*, p. 7).

At necesse omnino est ut *natura* huius cooperationis rite perpendatur, considerando varios limites Corredemptionis nec non varia discrimina quae inter Redemptionem et Corredemptionem habentur, et a quibus adversarii in suis obiectionibus saepe praescindunt, aërem verberantes.

II. Discrimina inter Redemptionem Christi et Corredemptionem Deiparae.

Plura sunt. Etenim, Redemptio seu actio redemptiva Christi est 1) principalis, 2) essentialis, 3) independens, 4) absolute universalis, 5) absolute necessaria, 6) ad simpliciter esse. Dum e contra, Corredemptio seu actio corredemptiva Deiparae est: 1) secundaria, 2) accidentalis, 3) dependens seu subordinata, 4) relative universalis, 5) hypothetice necessaria, 6) ad melius esse. Ad singula:

Corredemptio quam Deiparae vindicamus est:

1) *Secundaria.* Non enim eodem modo effectus totalis seu hominum redemptio actioni Christi et actioni Deiparae attribuitur. Redemptori enim tribuitur principaliter, dum Deiparae attribuitur secundario.

2) *Accidentalis*, hoc sensu quod merita et satisfactiones Christi, cum sint infiniti valoris, necessaria et per seipsa plus quam sufficientia erant ad adaequatam satisfactionem divinae iustitiae exhibendam et ad nostram redemptionem operandam; dum e contra merita et satisfactiones Deiparae, *ex seipsis* [1] fuerunt omnino accidentalia et nihil intrinsece addiderunt aut etiam addere potuerunt meritis et satisfactionibus Christi. [2]

3) *Dependens* seu subordinata, eo quod merita et satisfactiones Deiparae meritis et satisfactionibus Christi innituntur: ab ipsis enim intrinsece dependent et valorem trahunt, ita ut Corredemptio Deiparae nihil omnino detrahat Redemptioni Christi ac unicitati Redemptoris. Merita igitur et satisfactiones Deiparae concipi debent posteriora (posterioritate *naturae*, non vero temporis) meritis et satisfactionibus Christi, sicut lux posterior est fonte luminoso ex quo procedit. [3]

4) *Relative universalis.* Dum enim redemptio Christi *omnes omnino homines* (B. Virgine inclusa) respexit et ideo fuit absolute universalis, actio corredemptiva Deiparae, e contra, solummodo *alios* omnes (non vero seipsam, quae fuit *redempta*) respexit, et ideo fuit *relative* non vero absolute *universalis.* [4]

[1] Dico: *ex seipsis*; nam, ex *deputatione divina* etiam ipsa, prout infra declarabimus, *necessaria* fuerunt ad redemptionem nostram.

[2] Vana igitur videtur animadversio Philips: « Non ergo affirmamus ex opere Filii et cooperatione Matris unum coalescere totale principium gratiae: sic enim quasi ex partibus diversis integraretur pretium, et imaginari quis posset in opere Mediatoris nonnulla deesse » (l. c., p. 300).

[3] Frustra igitur nobis obiciunt *unicitatem* Mediatoris; frustra pariter obiciunt merita Christi necessario praecessisse merita Deiparae.

[4] Ad hoc attendere non videntur illi omnes qui nobis obiciunt redemptionem obiectivam am fuisse in se *completam* antequam Deipara eidem cooperari potuisset, eo quod fuit ei *appli-*

5) *Hypothetice necessaria.* Deus enim potuisset optime *acceptare*, tamquam pretium redemptionis nostrae, sola merita et satisfactiones Christi, utpote infiniti valoris, absque meritis et satisfactionibus Deiparae. Merita proinde et satisfactiones Deiparae non sunt absolute sed solummodo *hypothetice necessaria*, in hypothesi nempe quod Deus *deputaverit* etiam merita et satisfactiones Deiparae, una cum meritis et satisfactionibus Christi, ad nostram redemptionem. « La très Sainte Vierge — scite scribebat B. Grignion de Montfort — étant nécessarire à Dieu, d'une nécessité qu'on appelle hypothétique, en conséquence de sa volonté, elle est bien plus nécessaire aux hommes » (*Traité de la vraie dévotion à la S. Vierge*, n. 39).[1]

6) *Ad melius esse.* Deus enim voluit ut pretium redemptionis nostrae constaret etiam meritis et satisfactionibus Deiparae, non quidem ad hoc ut redemptio nostra *simpliciter* operata fuisset (ad hoc enim sufficere poterant merita et satisfactiones Christi, utpote *infiniti* valoris), sed ad hoc ut *melius* redemptio nostra operata fuisset.[2] Merita igitur et satisfactiones Deiparae nihil intrinsece *addiderunt* meritis et satisfactionibus Christi, utpote ex sese sufficientissimis, quin imo abundantibus. *Sapientissime* tamen — prout postea videbimus — Deus disposuit ut nos nedum meritis et satisfactionibus Christi sed etiam meritis et satisfactionibus Deiparae redempti essemus: hoc enim redemptionis harmonia et pulchritudo requirebant. Sicut enim ruina nostra operata fuit non ab Adam tantummodo sed etiam ab Eva, ita et reparatio nostra, iuxta sapientissimi Dei decretum, operari debuit nedum a novo Adam, seu a Christo, sed etiam a nova Eva seu a Maria. Ope Corredemptricis enim « la salvezza giunge a noi sotto la forma di un bacio materno ».[3] Ope Corredemptricis « la Mère est entrée dans l'ordre surnaturel, le sourir de la Mère, le cœur de la Mère, la tendre assistance de la Mère ».[4]

Ad haec omnia igitur, rite attendere debent adversarii Corredemptricis in sensu stricto, ne aërem verberare pergant.

IV. **Tractationis divisio.** Claritatis gratia agemus antea de Corredemptione *in genere*; deinde de Corredemptione *in specie*. Antea ergo, in quatuor distinctis capitibus exponemus argumenta desumpta I. ex Magisterio Ecclesiastico. II. ex S. Scriptura, III. ex Traditione, IV. ex Ratione.

cata. Talis enim redemptio supponi debet iam *completa* pro B. Virgine (cui soli, modo singulari applicata fuit) non vero *pro aliis* qui salvi facti sunt meritis et satisfactionibus Christi et Deiparae *simul*, quamvis *diversimode*.

[1] Ad hanc *deputationem* divinam meritorum et satisfactionum Deiparae minime attendere videntur quidam in statu huius quaestionis determinando.

[2] Ad hoc minime attendere videtur e. g. Goossens qui cum aliis *inutilitatem* corredemptionis Mariae seu meritorum et satisfactionum Deiparae pro nostra redemptione nobis obicit.

[3] Belon, *Mater Christi*, Milano, 1938, p. 136.

[4] Card. Van Roey, in Epist. past. pro Quadragesima anni 1938.

Deinde agemus de Corredemptione in specie, et varias obiectiones (in decursu tractationis iam praeoccupatas) solvemus.

Ponimus thesim:

B. VIRGO VERE COOPERATA EST IMMEDIATE AD REDEMPTIONEM OBIECTIVAM GENERIS HUMANI, MODO TAMEN SECUNDARIO, ACCIDENTALI, SUBORDINATO, RELATIVE UNIVERSALI, HYPOTHETICE TANTUM NECESSARIO ET AD MELIUS ESSE OPERIS REDEMPTIONIS.

I. Argumenta ex Magisterio Ecclesiastico [1]

Supremam normam fidei viventis Ecclesiae in iudicio Magisterii Ecclesiastici definitive residere, omnibus patet. Magisterium enim Ecclesiasticum *infallibilitate* gaudet non solum cum *ex cathedra* (magisterium *extraordinarium*) doctrinam aliquam ad fidem pertinentem definit, sed etiam cum, pro munere suo apostolico, catholicam doctrinam simpliciter fidelibus proponit (magisterium *ordinarium*), prout fit praesertim in Encyclicis RR. Pontificum ad universam Ecclesiam missis. [2] Assertiones igitur magisterii Ecclesiastici magna gaudent apud theologos auctoritate, iisque religiosus assensus ab omnibus tribui debet. Et de facto theologi, magni faciunt assertiones huiusmodi, prout videre est in hac nostra quaestione de Corredemptrice, in qua documenta magisterii Ecclesiastici unusquisque, iuxta propriam opinionem, interpretare conatur. Magna igitur diligentia et obiectivitas in talibus documentis interpretandis, adhibenda est.

Quia vero potiores partes in magisterio ecclesiastico Romanis Pontificibus, fidei magistris, competunt, agendum erit in primis *de doctrina RR. Pontificum*, et deinde *de doctrina Episcoporum* qui, una cum Romano Pontifice Ecclesiam docentem constituunt.

Doctrina RR. Pontificum recentiorum (Pius IX, Leo XIII, Pius X, Benedictus XV, Pius XI et Pius XII) [3] aperte favet sententiae *de cooperatione immediata Deiparae ad redemptionem obiectivam.* Perpendamus igitur varia singulorum Pontificum asserta.

A) Verba Pii IX

Pius IX in Bulla Dogmatica *Ineffabilis Deus*, haec, inter alia, asserit:

« Equidem Patres Ecclesiaeque scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas scripturas, vindicanda dogmata erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, digni-

[1] Cfr Fr. CRISOSTOMO DE PAMPLONA, O. F. M., *La Corredención Mariana en el Magisterio de la Iglesia*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 89-109.

[2] Cfr BILLOT, *De Ecclesia Christi*, thesis 31, Romae, 1903, pp. 655-656.

[3] Utiliter consuli potest praesertim SEILER H., *Corredemptrix*, Theologische Studie zur lehre der letzten Päpste über die Mitterlöserschaft Mariens.

tatem atque ab omni peccati labe integritatem eiusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens: " Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius ", docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam beatissimam eius matrem Virginem Mariam *ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas.* Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic *sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta una cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans,* illius caput *immaculato pede contrivit* ».

« Hunc eximium singularemque Virginis triumphum excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem eiusque ab omni peccati labe integritatem atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noe ..., tum in scala illa, quam ... vidit Iacob ... ».

« ... Beatissima Virgo originale donum iugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit ».

Patres Ecclesiaeque scriptores « professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait, inimicitias ponam inter te et mulierem, praedictam, *quae procul dubio venenatum eiusdem serpentis caput contrivit* ... ».

« ... Beatissima Virgo, quae tota pulchra et immaculata *venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit et salutem attulit mundo* ... ».

(*Acta et decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum.* Collectio Lacensis, t. 6, Friburgi Brisgoviae, 1882, col. 839, c. d.).

Relatis verbis *Bullae Ineffabilis*, Goossens haec tantummodo animadvertit: « Perpendantur haec excerpta: statim elucebit quaecumque de Maria asseruntur plane explicari de eius eximia sanctitate, tum negativa tum positiva, de eius cooperatione remota ad redemptionem obiectivam et de eius interventu in applicatione ac distributione beneficiorum audiuntur. Nec dicatur ita immerito restringi comprehensionem formularum generalium. Illas formulas intelligimus iuxta doctrinam generalem Magisterii ecclesiastici et Traditionis, uti ex infra dicendis patebit. Gratuito asseritur his locutionibus exprimere immediatam Mariae cooperationem ad redemptionem obiectivam, ac proinde inculcasse sententiam quam, uti supra diximus, Pius X *aperte* excludit ».

Respondetur: 1) Si illa excerpta bene perpendantur, statim elucescet *non sufficienter* explicari posse sensu tam circumscripto. Ibi enim explicite asseritur arctissimum et indissolubile *consortium Mariae cum Christo Redemptore* in *plenissimo triumpho* supra diabolum, et super omnia opera eius. B. Virgini *immediate*, aeque ac Christo, *contritio capitis serpentis* seu regni Satanae subversio, seu *redemptio ipsa obiectiva*, explicite omnino tribuitur.

Iamvero, circumscriptio illa cum *plenissimo triumpho* componi non potest. Immerito igitur comprehensio formularum generalium restringitur.

2) Frustra Goossens saepe saepius profitetur se formulas illas intelligere iuxta doctrinam generalem magisterii ecclesiastici et Traditionis. Continuo enim videmus, et melius etiam in sequentibus videbimus, quomodo *subiective* ab ipso interpretentur documenta magisterii ecclesiastici (e. g., verba clarissima Benedicti XV) nec non documenta Traditionis.

Digna etiam sunt quae recenseantur verba Pii IX ad Ill. Van den Berghe, in Epistola diei 25 augusti 1873, pro libro *Marie et le Sacerdoce*: « Veluti speculum sine macula [Deipara], perfectius universis creaturis divinam in se retulit sanctitatem, quaeque *a virgineo Christi conceptu ad atrocissimam eius mortem adeo arcte se iunxit divini Filii sui Sacrificio, ut Virgo Sacerdos appellata fuerit ab Ecclesiae Patribus* ».

B) Verba Leonis XIII

Adduci solent quatuor loci. Primus desumitur ex Enclyclica de Rosario *Iucunda semper* (8 sept. 1894):

« In Gethsemani horto, ubi Iesus pavet maeretque ad mortem, et in praetorio, ubi flagris caeditur, spinea corona compungitur, supplicio multatur, abest ea quidem Maria, talia vero iamdiu habet cognita et perspecta. Quum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum consors cum eo exstitit laboriosae pro humano genere expiationis: ex quo etiam, in acerbissimis Filiis angoribus et cruciamentis, maxime animo condoluisse dubitandum non est. Ceterum, praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat;... stabat iuxta crucem Iesu Maria mater eius, quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa ». (*Acta Ap. Sed.*, 1894-1895, t. 27, p. 178).

Secundus locus reperitur in Encyclica *Adiutricem populi* (5 sept. 1895), pariter de Rosario: « Inde (e coelo), divino consilio, sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra, permissa ei paene immensa potestate ... Hinc rectissime delata ei in omni gente omnique ritu ampla praeconia, suffragio crescentia saeculorum: inter multa, ipsam dominam nostram, mediatricem nostram,

ipsam reparatricem totius orbis, ipsam donorum Dei esse conciliatricem ». (*Acta Ap. Sed.*, 1895-1896, t. 28, pp. 130-131).

Tertius textus desumitur ex Encyclica *Fidentem piumque* (20 sept. 1896), rursus de Rosario. Necessarium ducimus citare simul contextum « quum luculenter — iuxta Goossens — ostendat cooperationem immediatam ad redemptionem obiectivam non affirmari, immo excludi »: « Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt: Unus Christus, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit: Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. At vero si nihil prohibet, ut inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter, cuiusmodi docet Angelicus aliquos alios secundum quid dici mediatores sicut angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adducit, iam tum scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, loco totius humanae naturae, excepit: ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad Mediatorem Mediatrix. — Quarum rerum mysteria quum in rosarii ritu ex ordine succedant piorum animis recolenda et contemplanda, inde simul elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra. Nec potest quisquam non suavissime affici quoties eam considerat, quae vel in domo Elisabethae administra charismatum divinorum apparet, vel Filium pastoribus, regibus, Simeoni praebet infantem. Quid vero quum consideret, sanguinem Christi causa nostra profusum ac membra in quibus ille Patri vulnera accepta, nostrae pretia libertatis, ostendit, non aliud ea esse nisi carnem et sanguinem Virginis?¿». (*Acta Ap. Sed.*, 1896-1897, t. 29 pp. 206-207).

Tribus hisce textibus relatis, Goossens ita ab eisdem sese expedit: « Quibus prae oculis habitis, statim quoque elucet non aliter audiendos esse alios Leonis XIII textus, quarto loco nunc citandos, quorum insuper contextus sensum haud obscure determinat. In suis Litteris apostolicis *Parta humano generi* (8 sept. 1901) « de consecratione novi templi B. Mariae Virginis a sacratissimo Rosario ad oppidum Lourdes », R. Pontifex scribit: « Quoties ... praeconio angelico gratia plenam Mariam consalutamus ..., toties in mentem venit tum dignitas Mariae excelsa, tum inita a Deo per benedictum fructum ventris gratia; toties reminiscimur alia singularia merita, quibus Illa cum Filio Iesu Redemptionis humanae facta est particeps ... Nec quidquam certe ad Mariae conciliandam et demerendam saluberrimam gratiam valere rectius potest, quam quum mysteriis nostrae Redemptionis, quibus illa non adfuit tantum sed interfuit, honores, quos maximos possumus, habeamus » (*Acta Ap. Sed.*, 1901-1902, t. 34, pp. 194-195).

Goossens ergo, nullo modo destruere conatur argumenta quae ad adversariis ex verbis Leonis XIII deducuntur, sed contentus est simplici et gratuita negatione: methodus sane sat commoda! Forsan hoc facit quia verba Pontificis thesim nostram *evidenter* excludunt? Sed, si ita est, cur evidentia haec non omnibus apparet? ... Inquirendum igitur est ubinam recta illorum verborum interpretatio inveniatur. Hoc posito, quaerimus: 1) Cum Pontifex, e. g., asserit « ... ut quae sacramenti humanae Redemptionis administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra », nonne sat evidenter distinguit Pontifex inter *praeteritam* Virginis cooperationem ad integrum redemptionis obiectivae opus, et *praesentem* eiusdem cooperationem in redemptione subiectiva? ... Item 2) cum Pontifex affirmat « *consors* cum eo [Christo] extitit [Virgo] laboriosae pro humano genere expiationis », nonne consortium seu cooperationem *immediatam* Virginis redemptioni obiectivae sat evidenter asserit? ... Tandem 3) nonne Pontifex explicite meminit « singularia *merita* quibus Illa cum Filio Iesu Redemptionis humanae facta est particeps »? ... Nonne dicit quod mysteriis nostrae Redemptionis [omnibus, in genere] « non adfuit tantum sed *interfuit* »? ... Si deductiones istae logice omnino ex Pontificiis assertis fluere non videntur, hoc ostendere adversariis onus incumbit.

C) Verba Pii X

Celeberrima sunt verba illa: « *De congruo, uti aiunt, promeret nobis* [Deipara] *quae Christus de condigno promeruit* ».[1] (In Litteris Encyclicis *Ad diem illum*, 2 febr. 1904). Ad determinandum genuinum sensum huius asserti, sedulo considerandus est contextus, quem hic exscribimus:

« Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod nascituro ex humanis membris Unigenito Dei carnis suae materiam ministravit, qua nimirum saluti hominum comparetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque, atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram. Hinc Matris et Filii numquam dissociata consuetudo vitae et laborum, ut aeque in utrumque caderent Prophetae verba: " Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus ". Quum vero extremum Filii tempus advenit, stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, non immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret. Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit illa ut reparatrix perditi

[1] Cfr praesertim Di Fonzo O. M., Conv., *B. Virgo « de congruo » uti aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit*, in *Marianum*, 1 (1939) 418-459. Cl. A. *mediam* veluti sequitur viam inter assertores meriti *corredemptivi* et assertores meriti *impetratorii*, asserens quod « in Piano asserto *meritum corredemptorium* nec solemniter nec expresse asseritur, nec tamen excluditur omnino, sed *in actu exercito et implicite supponitur, imo intenditur saltem idea generali* » (l. c., p. 457).

orbis dignissime fieret, *atque ideo* universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit ».

« Equidem non diffitemur horum erogationem munerum privato proprioque iure esse Christi; siquidem et illa eius unius morte nobis sunt parta, et Ipse *pro potestate* mediator Dei atque hominum est. Attamen, pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix. Fons igitur Christus est, et de plenitudine eius nos omnes accepimus; ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis ... augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. Maria vero, ut apte Bernardus notat, aquaeductus est; aut etiam collum, per quod corpus cum capite iungitur itemque caput in corpus vim et virtutem exerit. Nam ipsa est *collum* Capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur. Patet itaque abesse profecto plurimum ut nos Deiparae supernaturalis gratiae *efficiendae* vim tribuamus, quae Dei unius est. Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a *Christo ascita in humanae salutis opus*, de congruo, uti aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra » (*Acta Ap. Sed.*, 1903-1904, t. 36, pp. 453-454).

Relato hoc integre contextu, quaerit Goossens: « Inculcatne assertum de quo sermo, consortium Mariae in merito quo Christus obiectivam operatus est redemptionem seu in actu primo acquisivit gratias? ». Et incunctanter (nimium, sane!) respondit: « Minime ». Quinimmo, ulterius progreditur scribens: « Huiusmodi consortium, nedum affirmetur, vere excludi conficiunt sequentia » (p. 62). Et quatuor rationes adducit, videlicet: 1) quia vox « promerere » haud semper sensu stricto est intelligenda » (p. 62), et ibi sensu latu, ob alias subsequentes rationes, intelligi debet; 2) quia *diversum* est *tempus* in asserto adhibitum: de Christo enim dicitur, in praeterito, *promeruit*, dum de Virgine dicitur, in praesenti, *promeret*, ideoque actio Christi referenda est ad redemptionem *obiectivam*, olim perfectam, Mariae vero actio ad redemptionem subiectivam, quae nunc et iugiter peragitur (pp. 62-63); 3) quia nedum in contextu immediato, sed etiam per integrum fere documentum sermo fit de *distributione* — sive praeterita, sive futura, — gratiarum, « uti cuique legenti manifeste patebit » (p. 63); 4) quia « in contextu immediato occurrunt effata quae assertum cuius sensum inquirimus haud obscure explicant, et insuper cooperationem immediatam Mariae ad redemptionem obiectivam *aperte excludunt* ».

Attamen, haec omnia argumenta, quamvis aliquo innitantur fundamento, rem minime probare videntur. Etenim:

1) Concedere possumus — prout concedit ipsemet Bittremieux — quod vox « promerere » interdum sensu lato accipiatur; at ex toto contextu, ut videbimus, et ex debilitate rationum adductarum, minime sensu lato accipi *debet*. Meritum enim Mariae *opponitur* merito Christi, quod fuit *verum* meritum. Insuper, verbum *de congruo* addi-

tum verbo *promeret*, sat evidenter manifestat verbum *promeret* in sensu stricto accipi, prout nempe significat *opus praemio* dignum.[1] *De facto*, tandem, theologi omnes, usque ad P. Lennerz, i. e. per viginti circiter annos, tale tempus *praesens* pro *praeterito* acceperunt, et etiam hodie a plerisque pro *praeterito* accipitur.

Alius est enim valor *meritorius* et alius omnino valor *impetratorius* (*S. Th.*, 2-2, q. 83, a. 15). Semper autem praesumendum est, donec contrarium probetur, RR. Pontifices in usu terminorum, significationem fixam et communem ipsorum intendisse.

2) Diversitas temporis (promeruit — promeret) est *insufficiens* ad clare stabiliendam diversitatem actionis. Malitiose, at acute, contra Lennerz animadvertit P. Carol: « Etiam Scriptura sacra asserit: "Erat autem hora tertia et *crucifixerunt* eum ... et cum eo *crucifigunt* duos latrones ..." (Marc., 15, 35-37). Numquid ex hoc concludet P. Lennerz hic sermonem esse de *actuali* latronum in Calvario crucifixione? » (*Marianum*, t. 1, 1939, p. 238). Agitur ergo de praesente, uti aiunt, historico qui valorem praeteriti habet. Insuper pluribus modis illa diversitas temporis (promeruit-promeret) ab auctoribus de facto rationabiliter explicatur.[2]

[1] Goossens asserit quod haec animadversio, quae ab ipso *obiectio* vocatur, « facile solvitur ». Et ita faciliter (nimium sane!) illam solvit: « Supra ostendimus *quam obvie* explicetur usus terminologiae antitheticae "de congruo – de condigno" etiam admisso sensu latiore vocis "promeret". Sed, etiamsi admittendus esset sensus theologicus vocis "promeret" nondum inde licet concludere Mariae meritum contulisse ad redemptionem obiectivam, cum huic conclusioni obstet contextus » (p. 67). At facile respondetur: 1) interpretatio de qua loquitur Goossens est tam *obvia* pro ipso, non vero pro aliis, prout iam demonstravimus eiusdem auctoris animadversiones, non iam simpliciter negando, sed — ut putamus — solvendo; 2) *contextus* vero, prout statim videbimus, nostrae conclusioni minime obstat. Ceterum, nullum hucusque adductum fuit exemplum in quo modus dicendi: « *de congruo promereri* » significet: « *obtinere per intercessionem* ».

[2] Sic, e. g., Bittremieux respondet quod tempus praesens verbi frequenter usurpatur ad exprimendam actionem praeteritam, et in hoc casu eo facilior fieri potuit quod meritum Mariae semper valeat (*Doctrina Mariana Leonis XIII*, pp. 31-32; *Marialia*, p. 104). Explicatio haec, iuxta Goossens, « haud sufficit », quia « non solum explicandum est tempus praesens, sed etiam ac praecipue differentia temporum « promeret – promeruit ». Attamen, posito quod agatur, prout putamus, de *praesente historico*, differentia temporum iam sublata est, ideoque nihil remanet explicandum.

Mettens (art. cit., pp. 356-357) duplex proposuit responsum, videlicet: Rom. Pontifex, de merito Christi agens, adhibet tempus praeteritum verbi, quia agitur de veritate inconcussa atque ab omnibus admissa; sed cum meritum Mariae actu consideret, hocque affirmare velit contra quosdam dubitantes, utitur tempore praesenti; 2) R. Pontifex hac differentia temporum exprimere intendit naturae prioritatem meritorum Christi relate ad merita Virginis. Contra hoc duplex responsum, animadvertit Goossens: « Utraque explicatio, praesertim prior, est parum obvia; adeoque neutra est admittenda, cum adsit valde simplex (*pro illo!*) textui ac contextui undequaque conformis (*rursus, pro illo*) ». Philips, e contra, secundo responso adhaeret (l. c., p. 298).

Nos vero putamus differentiam temporum (*promeruit - promeret*) ita explicari posse: R. Pontifex, ad perfectam *omophoniam* vitandam (*promeruit - promeruit*), eleganter loco perfecti (*promeruit*), praesentem historicum, eiusdem valoris (*promeret*) adhibuit.

3) Concedendum omnino est in contextu immediato et etiam in integro documento sermonem esse de *distributione gratiarum*. At, negari nequit quod ibi exponantur etiam *fundamenta* officii dispensationis omnium gratiarum. In documento enim, explicite asseritur quod B. Virgo non solum *meruit* fieri dispensatrix gratiarum sed etiam *meruit* fieri *Reparatrix perditi orbis*, seu corredemptrix; immo, officium dispensandi gratias exhibetur ibi tamquam *sequela* seu *effectus* officii Reparatricis perditi orbis. Dicit enim Pontifex: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis *promeruit* illa ut Reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque *ideo* [en sequela meriti Reparatricis] universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit. [1] Bene insuper notentur verba: « universorum munerum *quae* nobis Iesus ... comparavit », in quibus Pontifex clare asserit B. Virginem meruisse *eadem munera* ac Christus, hac differentia quod Christus meruit de condigno, Maria vero de congruo. Obiectum igitur meriti Christi non fuit tantum distributio seu applicatio gratiarum sed etiam earumdem acquisitio; ergo et obiectum meriti B. Virginis fuit nedum gratiarum distributio sed etiam acquisitio. *Directe* igitur et solemniter distributio omnium gratiarum effertur, et *indirecte*, sufficienter tamen (tamquam *fundamentum*) cooperatio immediata redemptioni, vi associationis per *modum meriti*, iuxta *commune* theologorum effatum.

4) Negamus quod in contextu immediato inveniantur effata quae cooperationem Virginis ad redemptionem obiectivam *aperte excludant*. Effata ista essent:

a) « Dicitur enim « erogationem munerum [quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit], privato proprioque iure esse Christi, siquidem et *illa eius unus morte nobis sunt parta* ».

Respondetur: sed immediate Pontifex adiungere curat: « et Ipse pro *potestate* mediator Dei atque hominum est. Attamen, pro ea quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae *datum est*, ut sit totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum Mediatrix et conciliatrix ».

Pontifex igitur, — si attendatur ad sensum obvium verborum — statuere intendit discrimen, in *erogatione munerum*, inter Christum et Deiparam. Discrimen vero in hoc est quod Christo talis erogatio competit *pro potestate*, iure *privato* et *proprio*, eo quod munera illa nece et sanguine suo nobis, de condigno, et ideo stricto iure, *simpliciter*, comparavit; Deiparae vero talis erogatio munerum competit tantum *pro concessione* (« datum est ») et quidem « *pro communione* dolorum atque aerumnarum cum Filio » (i. e. ratione cooperationis immediatae redemptioni obiectivae) et ideo non stricto iure sed *congrue*, *secundario* et *secundum quid tantum*. Non excluditur ergo B. Virgo ab acquisitione gratiarum, sed tantummodo *natura* actionis illius (quae totam vim trahit a Christo) determinatur. Praeter haec, nihil aliud verba Pontificis exprimere videntur. Statuitur nempe diversus modus quo Christo et Deiparae titulus *Mediatrix* tribui debet:

[1] Ipsemet Philips contra Goossens animadvertit: « Particula *et ideo* nequit verti: *in hunc finem* (ita W. Goossens, l. c., 1937, p. 274), sed servare debet suum sensum consecutivum: *et propterea*. Propter suam compassionem, qua promerita sibi collegit universalia, facta est dispensatrix Dei munerum » (l. c., p. 303).

Christo naturaliter et principaliter; Deiparae vero participative et secundario. Haec igitur difficultas affinis est difficultati de *unicitate Mediatoris* (1 Tim. 2, 15).

b) « Etiam determinatur — prosequitur Goossens, — duabus propositionibus quoad ideas parallelis, quid Maria, ex sua communione cum Filio in passione obtinuerit: « promeruit illa ut reparatrix perditi orbis dignissima fieret, atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit », seu; « hoc Virgini augustae datum est ut sit totius terrarum orbis potentissima apud Filium suum mediatrix et conciliatrix ». Sensus prioris ex his affirmationibus parallelis ex contextu est obvius: Maria promeruit ut partem habeat in reparatione generis humani atque propterea — nempe *ut* habeat huiusmodi partem — nobis constituta est distributrix gratiarum quas Christus nobis comparavit ».

Respondetur. Attente et absque praeconcepta opinione verba Pontificis legenti, apparet violenta detorsio verborum eius a Goossens peracta. Pontifex enim apertissime affirmat quod B. Virgo, ex sua communione cum Filio in passione, *duo promeruit*, videlicet: 1) ut reparatrix perditi orbis dignissima fieret (et ideo socia Christi in redemptione obiectiva immediata seu in acquisitione munerum redemptionis), et *consequenter* (« et ideo ») 2) promeruit ut fieret « universorum munerum dispensatrix ». Apertissime igitur Pontifex *munus acquirendi* gratias (per cooperationem immediatam redemptioni obiectivae) *a munere distribuendi* easdem gratias distinguit, et docet quod secundum munus (distributio gratiarum) est *effectus et sequela* primi muneris (i. e. acquisitionis gratiarum). Non promeruit ergo — ex sua communione cum Filio in passione — ut haberet partem in distributione gratiarum (seu in redemptione subiectiva) tantummodo, prout vellet Goossens, sed promeruit etiam ut haberet partem in acquisitione gratiarum seu in redemptione obiectiva, ratione cuius facta est « universorum munerum dispensatrix ». Frustra igitur Goossens violenter identificando *Reparatricem* cum *Dispensatrice* (quae sunt duo *bene distincta* sive in Encycl. Pii X sive in pluribus aliis documentis Pontificiis),[1] exludere conatur a verbis Pontificis immediatam cooperationem Virginis redemptioni obiectivae; etenim, *nimis aperte* ibi affirmatur.[2]

[1] Cfr Bittremieux, art. cit., pp. 758-59.

[2] Frustra igitur animadvertit: « Compassionem Mariae cum Christo hic extolli non diffitemur. Sed quaerendum est, — et haec quaestio est essentialis, — *quemnam effectum* R. Pontifex Mariae compassioni adscribat. Porro iam ostendimus hunc effectum nullatenus esse cooperationem immediatam cum Christo ad redemptionem obiectivam, — huiusmodi enim partes *ex contextu* excluduntur — sed solum in distribuendis gratiis interventum ». At responderi potest: 1) contextus, prout iam vidimus, minime excludit cooperationem immediatam B. Virginis ad redemptionem obiectivam; 2) quod R. Pontifex talem cooperationem intendat, et ideo quod *talem effectum* Mariae compassioni adscribat, apertissime patet ex verbis illis — quae a Goossens, consulto, ut videtur, minime curantur: — « *a Christo ascita in humanae salutis opus* »; quibus verbis apertissime principium consortii exprimitur, vi cuius compassioni Deiparae iidem effectus (i. e. idem *fructus*, prout asserit Pius XI) ac passioni Redemptoris immediate tribui debent. Quid hoc clarius?...

Frustra etiam obicitur a Goossens: « verba: " promeruit ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret ", desumpta sunt ex opere Eadmeri († 1142), *De excellentia Virginis Mariae*, cap. 9,

c) « Tandem, ex eo quod in secunda propositione Maria dicitur « *apud unigenitum suum Filium* Mediatrix », — dum in contextu Christus vocatur « Mediator *Dei* atque hominum », — sufficienter elucet hic agi de Mariae interventu in opere redemptionis subiectivae seu in actu secundo spectato ».

Respondetur. Concedendum est verba « apud Filium Mediatrix », accipienda esse de distributione gratiarum seu de redemptione *subiectiva*. At, ex hoc minime sequitur exclusio cooperationis ad redemptionem obiectivam, quinimmo supponitur, tamquam fundamentum, in verbis immediate praecedentibus. « Attamen, pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione [cooperatio ad red. ob.], hoc Virgini Augustae datum est ut sit totius terrarum orbis *potentissima apud Filium suum mediatrix et conciliatrix* » (coop. ad red. sub.).

Insuper, cum Christus sit Deus, modus dicendi « mediatrix apud Christum » substantialiter correspondet modo dicendi « mediatrix apud Deum » vel « inter Deum et homines ». [1] Ceterum, modus iste dicendi « Mediatrix apud Christum » adhibetur etiam ab illis (e. g. Card. Lépicier) qui cooperationem immediatam B. Virginis redemptioni obiectivae ultro profitentur. Numquid ex hoc deducet Goossens eos cooperationem illam negare? ...

Tandem, quod effatum Pii X: « De congruo, *uti aiunt*, promeret nobis (B. Virgo) *quae* Christus de condigno promeruit » intelligendum sit de vero proprioque merito B. Virginis in redemptione obiectiva, ex hoc patet quod Pius X effatum illud iuxta

ubi dictum fuse explicatur et quidem per cooperationem remotam Deiparae ad redemptionem, quatenus nempe B. Virgo facta est Mater Redemptoris ». Etenim, concedi potest quod Eadmerus ita verba illa explicet; at ex hoc minime sequitur quod etiam a Pontifice in tali sensu explicentur. Pontifex enim, ut iam vidimus, non arguit (sicut Eadmerus) ex eo quod B. Virgo est Mater Redemptoris, sed ex « communione cum Filio in passione », et ideo ex cooperatione *immediata* ad redemptionem obiectivam, et quidem, vi principii consortii, seu, quia « *a Christo ascita in humanae salutis opus* ».

Si titulus « Reparatrix perditi orbis » idem diceret ac titulus « dispensatrix gratiarum », species quaedam tautologiae in Encyclica haberetur, videlicet: « Quia Maria fieri meruit Reparatrix perditi orbis (ob applicationem gratiarum Redemptionis), Ipsa meruit etiam consequenter (ideo) fieri dispensatrix omnium gratiarum a Iesu acquisitarum »: quod nullatenus admitti potest.

Quia vero hic de verbis Eadmeri (a Pio X relatis) agimus, notetur *aperta contradictio* in quam incidit Goossens asserendo quod B. Virgo, per suam compassionem, non meruisset fieri *Reparatrix perditi orbis*, seu Corredemptrix (et ideo cooperatrix immediatae redemptioni *obiectivae*) sed tantummodo meruisset fieri *dispensatrix* gratiarum et ideo cooperatrix *redemptioni subiectivae* (pp. 65, 69, 70). Eadmerus evidenter agit de cooperatione (utrum proxima vel remota, pro nunc nihil refert) redemptioni *obiectivae* (vi cuius « promeruit ut *Reparatrix* perditi orbis dignissime fieret ») non vero de cooperatione redemptioni *subiectivae* prout alibi (pp. 65, 69, 70) Goossens explicare conatur. Haec aperta contradictio vim ratiocinii Goossens in *concatenatione* idearum Encyclicae Pianae (p. 65) sat evidenter subvertit.

[1] Nec deest in documentis Pontificiis titulus *Mediatrix apud Deum*. Cfr e. g. Leo XIII in Encycl. *Supremi Apostolatus* et *Iucunda semper*; Benedictus XV in Litt. Ap. *Illustriores inter*; Pius XI in Litt. Ap. *Cognitum sane*.

sensum adhibere intendit quo a Theologis *communiter* intellectum iam erat. Dicit enim: « uti aiunt » (Theologi), quemadmodum S. Alphonsus, cuius verba fere repetuntur, iam dixerat: « *come dicono i teologi con s. Bonaventura* » (*Glorie di Maria*, Op. asc., 5, 1, pp. 167-168).[1] Pontifex igitur non iam aliquod novum effatum seu principium mariologicum condebat, sed effatum repetebat, identicis verbis, iam a Theologis ante ipsum adhibitum. Ita SEDLMAYR scholastice propositionem hanc exponebat et defendebat: « Dico: Quidquid nobis Christus meruit de condigno, etiam beata Virgo nobis promeruit de congruo ». Et adiungit: « Ita, teste illustrissimo Guerra, *communis Theologorum* ». Et in favorem huius propositionis, citat GUERRA,[2] VEGA,[3] GARAU,[4] SALAZAR,[5] GUEVARA,[6] URRUTIGOYTI,[7] MORAL,[8] GONZALES,[9] (Apud BOURASSÉ, *Summa aurea de laudibus beatissimae Virginis Mariae*, t. 8, coll. 59-63).[10] His adiungi possunt GEORGIUS DE RHODES (Disp. Theol. Schol., Tract. 7, disp. unica, Lugduni, 1671, pp. 265-266),

[1] Illogice vero verba *uti aiunt* ad verbum *de congruo* tantummodo referuntur. Etenim, modus dicendi « de congruo » non minus quam modus dicendi « de condigno » est theologorum *proprius*, et ideo *eadem ratione* verba « uti aiunt » referri debent, ex intentione Pontificis, sive ad « de congruo », sive ad « de condigno », et consequenter ad universum et notissimum effatum. Eo vel magis quod, si verba illa intelligenda essent de sola voce « de congruo », *inutilia* essent, cum omnes cognoscant divisionem meriti in meritum *de condigno* et meritum *de congruo*.

[2] Cfr FRANCISCUS GUERRA, O. F. M., Episc. Placentinus, in op. *Majestas gratiarum ac virtutum omnium Deiparae Virginis Mariae*, Hispali, 1659, p. II, 556.

[3] Cfr CHRISTOPHORUS DE VEGA S. I., in op. *Theologia Mariana*, t. 2, p. 395, n. 1714 et 1722, ed. 1ª Neapoli, 1866.

[4] Cfr FRANCISCUS GARAU S. I., in op. *Elucidarium Deiparae*, Barcinonae, 1868.

[5] Cfr SALAZAR F. A., S. I., in op. *Pro Immaculata Deiparae Conceptione defensio*, Coloniae, 1622, cap. 21, nn. 7-10.

[6] Cfr HIERONYMUS DE GUEVARA, S. I., in op. *Commentarium in cap. I Matthaei*, Matriti, 1634, vol. 2, n. 2, fol. 77, col. 1.

[7] Cfr THOMAS URRUTIGOYTI, O. F. M., in op. *Certamen scholasticum, expositivum argumentum pro Deipara*, Lugduni, 1660, p. 509.

[8] CAROLUS DEL MORAL, O. F. M. († 1731), insignis mariologus scholae scotisticae, docet B. Virginem meruisse *de condigno* (non vero *de congruo*) quidquid Christus meruit *de condigno*. (Cfr BALIĆ, O. F. M., *Die sekundäre Mittlerschaft der Gottesmutter*, in Ephem. *Wissenschaft und Weisheit*, t. 4, 1937, Sonderdruck, Freiburg im Br., Herder in-8°, 22 pp.). Idem tenet CHRIST. DE ORTEGA, S. I., in op. *De Incarnatione*, Lugduni, 1664, cert. 3, et DOMINICUS LOSSADA, O. F. M., in sua approbatione operis Caroli del Moral (Matriti, 1730, p. IX).

[9] « Satis communis est theologorum sententia asserens SS. Deiparam *meruisse de congruo quidquid nobis Christus meruit de condigno* » (*Mystica Civitas Dei vindicata*, Matriti, 1747, n. 409).

[10] Relate ad testimonium SEDLMAYR, dicendum est ipsum non fuisse sibi iugiter cohaerentem. Alibi enim meritum Deiparae ad solam applicationem meritorum Christi reducere videtur (Cfr BOURASSÉ, *Summa aurea*, t. VII, col. 60 ss. — Cfr etiam DILLENSCHNEIDER, *Marie au service de notre Rédemption*, p. 106-112).

S. Alphonsus M. De Ligorio,[1] P. Segneri,[2] P. Poiré,[3] Novati,[4] Bart. de Los

[1] S. Alphonsus aperte docuit: « È noto già quanto comunemente dai teologi e SS. Padri venga attribuito a Maria questo titolo di *Mediatrice*, per aver ella colla sua potente intercessione e *merito di congruità* ottenuta a tutti la salute, procurando al mondo perduto il gran beneficio della redenzione. Dicesi merito di congruità, perchè solo Gesù Cristo è nostro Mediatore per via di giustizia e per merito *de condigno*, come parlano le scuole, avendo egli offerto i suoi meriti all'Eterno Padre che gli ha accettati per la nostra salute. Maria all'incontro è Mediatrice di grazia per via di semplice intercessione e di *merito de congruo*, avendo ella offerto a Dio, come dicono i Teologi con S. Bonaventura, i suoi meriti per la salute di tutti gli uomini: e Dio per grazia gli ha accettati co' meriti di Gesù Cristo » (*Glorie di Maria*, op. ascet., vol. 1, pp. 167-168).

[2] P. Segneri, in opere *Il devoto di Maria Vergine*, quod opus in omnes Europae linguas conversum est, haec habet: « Audeo dicere: Ipsius meritis salutem humani generis *de congruo* a Deo donatam esse, quae *de condigno* debetur sanguini nostri Redemptoris » (*Devotus Mariae Virginis*, in linguam latinam translatum ab Adriano Wilhelmo Fabritio, ed. 1, Coloniae Agr., p. 141). Contra hoc testimonium P. Segneri, frustra obicit Goossens aliud aiusdem auctoris testimonium, videlicet: « In praemium tam generosae resolutionis (i. e. consensus Virginis in mortem Filii) concessum est Virgini, ex parte saltem aliqua, participare vim applicando merita pretiosi huius sacrificii, et divinae misericordiae fieri instrumentum, in elargitione bonorum, ad humani generis salutem destinatorum, sicut fuerat instrumentum quoque huius sacrificii quod est prae omnibus summum et maximum » (ibid., pp. 138-139). Frustra, dico, asserit Goossens verba haec « solum significare Mariam, ob suam cooperationem ad Incarnationem Christi et ob suam passionem cum Filio, obtinuisse facultatem succurrendi nobis » (pag. 136 in nota). Etenim, sensus obvius verborum P. Segneri, prout ex toto contextu evidenter apparet, est B. Virginem, ob suam cooperationem immediatam redemptioni obiectivae, seu acquisitioni omnium gratiarum, de congruo, factam fuisse *dispensatricem* bonorum ad humani generis salutem destinatorum. Addit enim: « Congruebat sane ut Pater aeternus diceret Virgini: Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito Filio Tuo, nihil erit quod amore Tui non faciam. Tu affectibus Tuis statuisti normam et regulam, non naturae propensionem, sed meam voluntatem; cui, ut Te perfectissime conformares, Filium Tuum in sacrificium obtulisti; et ideo in praemium tam generosi et magnanimi operis, reddam Tibi prolem electorum innumerabilem. *Tu Mater eris viventium*, *Tu Thesauraria meae Liberalitatis*, *Tu gratiarum mearum Dispensatrix*, *Iustitiae moderatrix*, *Cordis mei arbitra* » (ibidem, p. 140). Meruisse distributionem gratiarum, ex se non excludit meritum ipsarum gratiarum; quinimmo meritum omnium gratiarum est titulus fundatissimus pro concursu in dispensatione illarum.

[3] P. Poiré scribit: « Quoi, ce que j'ai fait voir, à deux diverses occasions, qu'elle a mérité par droit de bienséance toutes les grâces que le Sauveur a emportées par titre de justice, exceptées celles de sa première sanctification, doit-il pas entrer en considération pour nous faire avouer que son très honoré Fils s'en remet à elle de la distribution de toutes ses faveurs? » (*La triple couronne*, Paris, 1858, t. 2, p. 68).

[4] Novatus scribit: « Sicut Christus meruit *de condigno* omnibus hominibus sufficienter remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem et omnia alia bona, quae inde consequuntur... ita dici debet quod B. Virgo *de congruo eadem promeruit*, omnibus hominibus, ut salvetur quod fuerit ea meliori ratione, quae puram creaturam redemptam decebat, *adiutorium simile* filio Dei Incarnato, simile inquam non simpliciter, sed secundum quid, scilicet in cooperando Redemptioni humanae ».

Rios [1] Priuli, [2] Plac. M. Frangipane, [3] Petrus de Tevar y Aldana, [4] Robertus a Crypta Minervae, [5] Gabriel de Morales, [6] De Convelt, [7] Celada, [8] Reichenberger, [9] Sedlmayr, [10] Martinez a Barrio, [11] Tausch, [12] Dassier [13] etc.

Notatu digna sunt etiam verba P. Bello: « Ea enim munera quae Christus de condigno promeruit, Regia Virgo de congruo saltem acquisivit. Ita censent *omnes e Schola nostra Doctores* mariani iam inde a saeculo XVII » (o. c., p. 37). [14]

Inde ergo a temporibus Sedlmayr et s. Alphonsi, prout ipsi fatentur, effatum illud theologorum iam *commune* erat. Anno 1868, Auctor anonymus Tractatus theologici *de B. Maria Virgine* (Taurini, 1868) scribebat: « Docent theologi, et praesertim de Rhodes (quaest. 5, sect, 3, § 1) Suarez, s. Ligorius, Ipsam congrue meruisse, petendo et compatiendo, quidquid condigne meruit Christus moriendo » (p. 213). Quinimmo, immediate ante promulgationem Encyclicae *Ad diem illum*, Card. Lépicier, in suo iam vulgatissimo tractatu de Beatissima Virgine (Parisiis, anno 1901, p. 390) hoc principium, tamquam communiter acceptum ponebat: « B. Virgo de congruo meruit quod Christus de condigno ». Et post Encyclicam, in opere l'*Immacolata Madre di Dio, Corredentrice del genere umano*, Roma, 1910, p. 103, scribebat: « essendo solenne assioma che la Madre di Dio ha meritato *de congruo* tutto ciò che Cristo ha meritato *de condigno* ». In nota vero adiungit: « Il nostro S. Padre Pio X esprimeva, non ha guari, questa verità nei seguenti termini: *Quoniam universis* ...».

P. Hugon, in suo opere « *La Mère de Grâce* », Paris, 1904, p. 227, scribebat: « Nous retiendrons désormais *comme incontestable le principe*: *B. Virgo de congruo meruit quod*

[1] « Ideo humanitati meae te similem feci, similem in doloribus, similem in patientia, similem in affectu, ut *omnia quae ego de condigno, tu de congruo merueris* » (*Hierarchia Mariana*, p. 68).

[2] « ... Havendo meritato al genere humano *de congruo* tutto ciò che il Salvatore nostro meritò *de condigno* » (*Delle grandezze di Maria V.*, Venezia, 1677, t. 1, p. 411).

[3] Cfr *Blasones de la Virgen Madre de Dios y Señora nuestra*, Zaragoza, 1635, pp. 65-66.

[4] Cfr *De las excelencias de Dios, su Madre y sus Sanctos*, Barcelona, 1623, cap. 3, col. 351.

[5] Cfr *Itenerarium animae ad palmam virgineam*, Neapoli, 1647, p. 7.

[6] Cfr *Complacencias gozosas de la concepción purísima de la Santísima Madre de Dios, María concebida sin mancha de pecado original*, Madrid, 1655, cap. 7, p. 290.

[7] Cfr *Theatrum excellentiarum SS. Deiparae ex consociatione excellentiarum sui Filii*, Antuerpiae, 1655, 2, 437.

[8] Cfr *In Estherem commentarii litterales et morales*, Lugduni, 168 (sic), pp. 724 s.

[9] Cfr *Mariani cultus vindiciae*, Pragae, 1677, p. 120.

[10] *Scholastica mariana*, ap. Bourassé, *Summa Aurea*, vol. 7, col. 1275 s.

[11] *Manualis misticusque marianus liber*, Pampelonae, 1777, p. XXIV.

[12] *De SS. Matre Dolorosa*, Coloniae Agripp. 1645, p. 180.

[13] *L'Evangile de la grâce*, Lyon, 1685, p. 370.

[14] Ad assertionem suam confirmandam, P. Bello laudat in nota sequentes auctores: Th. Frances de Urrutigoyti, *Certamen scholasticum*, sect. 46, n. 1400, 495; sect. 47, n. 1432, 509; Diego Gonzalez Matheo, O. F. M., *Mystica civitas Dei vindicata*, Matriti, 1747, n. 409 et 435; Carolus del Moral, *Theologia Scotico-Mariana*, etc., tract, q. 3, a. 1, II, 377-384.

Semel pro semper notetur auctores asserere B. Virginem IDEM, de congruo, ac Christus, meruisse: quod evidenter ad redemptionem *obiectivam* pertinet, et ad quod adversarii minime attendere videntur.

Christus de condigno. En Marie, le mérite de convenance est aussi étendu que le mérite de condignité en Jésus-Christ ». Et p. 222: « C'est là un axiome admis communément par les théologiens ». Et in fine praefationis testatur: « Ce travail était déjà livré à l'impression lorsque a paru l'Encyclique de S. S. Pie X sur le Jubilé de l'Immaculée Conception. Tout en régrettant de n'avoir pu utiliser pour notre sujet ce magnifique enseignement du Docteur suprême de l'Eglise, nous avons été profondément consolés d'y trouver *la confirmation* de nos principales thèses sur le rôle de Marie dans l'acquisition et la distribution des grâces. Le document pontificale signale ... le rôle méritoire: Elle a été associées par Jésus-Christ à l'œuvre de la rédemption, elle nous mérite *de congruo*, comme disent les théologiens, ce que Jésus-Christ nous a mérité *de condigno* ».

« L'Encyclique fait valoir les raisons fondamentales que nous avons essayé de mettre en lumière: ... Elle est indissolublement unie à son Fils *pour mériter*, *satisfaire* et intercéder » In tractatu tandem de *Verbo Incarnato* (Paris, 1920, p. 469) scribebat: « Theologi hoc axioma communiter afferunt; ac novissime Pius P. X sancivit ». Tali modo theologi omnes, usque ad P. Lennerz, *per viginti circiter annos*,[1] verba Pii X interpretati sunt; et haec communis, obvia interpretatio *indicium* saltem est talem esse sensum verborum Pii X. Admitti ne rationabiliter potest Theologos *omnes*, per tot annos (i. e. usque ad P. Lennerz) in errore versatos esse et uni P. Lennerz veritatis solem tandem aliquando affulsisse? ...

Si igitur ad hunc *contextum historicum* — ut ita dicam — attendatur, nulla seria quaestio circa significationem verborum Pii X oriri potest. Ad hunc historicum contextum, tamen, auctores quidam parum vel nullimode attenderunt. Consideratis igitur sive contextu logico sive contextu historico verborum Pontificis, haec nobis videtur vera, obvia et plena illorum verborum significatio: « Quamvis B. Virgini non competat *potestative* distributio gratiarum (eo quod hoc est proprium Christi qui stricto iure, seu *de condigno* illas meruit), et quamvis B. Virgini non possit tribui *vis efficiendae gratiae* (eo quod est proprium Dei), tamen, ipsa est *princeps ministra* largiendarum gratiarum, quia universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, et quia a Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo, iuxta commune theologorum effatum, promeruit nobis gratias illas quas Christus de condigno promeruit ».

Cum igitur Pontifex effatum repetat apud Theologos iam sufficienter cognitum, praesumendum omnino est illud in sensu *communiter* a Theologis recepto adhibere velle. Et ideo rursus vani apparent conatus ad genuinam significationem illius effati obnubilandam. Ex dictis patet quaenam responsio danda sit interrogationi Goossens: « Sed quaeri potest num huiusmodi sententiam anno 1904 adeo vulgata fuerit? » (p. 68). Frustra tandem idem auctor obicit, quin probet: « Additamentum " ut aiunt " *manifeste* solam locutionem " de congruo " afficit, ut ex supra dictis sufficienter patet ». Etenim, Theologi, prout vidimus, locutionem illam « de congruo » non divisim, sed simul cum integro effatu adhibent. Violenter igitur — a praeiudicata sua opinione coactus — Goossens vocem illam a toto effatu separare conatur. Ope talis peregrinae exegeseos, quis facile obtinere poterit ut auctores prout quisque vult, loquantur.

[1] Cfr Bittremieux, *Adnotationes circa doctrinam B. M. Virginis Corredemptricis in documentis RR. Pontificum*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 16 (1939) 748 s.

Quae cum ita sint, concatenationi idearum Encyclicae Pianae quam Goossens proposuit, praeferenda omnino est concatenatio idearum a Bittremieux sic proposita:

« Sic nempe docet et ratiocinatur Summus Pontifex: Maria non tantum Redemptori carnis suae materiam ministravit, qua saluti hominum compararetur hostia, verum etiam hanc ostiam custodivit, nutrivitque, atque stato tempore ad aram crucis constituit. Hinc numquam Matris et Filii dissociata consuetudo vitae et laborum, praecipue quando stabat Maria sub Cruce, in qua Christus, Mariae Filius, pro salute generis humani offerebatur. Ex illa communione dolorum et voluntatis Christum inter et Mariam, promeruit haec ut fieret Reparatrix perditi orbis (i. e. corredemptrix), et consequenter etiam dispensatrix omnium munerum, quae Iesus morte sua nobis comparavit. Profecto ius proprium has gratias dispensandi ad Christum pertinet, siquidem et ille solus morte sua has nobis gratias comparavit atque est pro potestate Mediator Dei et hominum. Nihilominus, propter communionem dolorum et aerumnarum Matris cum Filio, datum est Mariae ut sit Mediatrix et conciliatrix apud Filium suum. Fons gratiarum est ergo Christus, sed Maria est aquaeductus, sive etiam collum, per quem gratiae omnes transeunt.

« Non ergo contendimus Deiparam habere vim supernaturalem efficiendi gratiam: quod solius Dei est. Nihilominus dicere possumus Mariam (et hic vertit Pontifex se ad praeteritum), quia sanctitate et coniunctione cum Christo praestat et quia a Christo est ascita in humanae salutis opus, de congruo *mereri gratias easdem quas Christus de condigno promeruit*, propter quod constituta est princeps largiendarum gratiarum ministra.

« Sane in tali expositione nihil violentum, sed omnia inter se cohaerent et sensum habent obvium et naturalem. Non itaque admittendum concatenationem idearum apud Summum Pontificem excludere cooperationem B. Virginis in opere redemptionis » (art. cit., p. 762 s.).

D) Verba Benedicti XV

Benedictus XV in Litteris *Inter sodalicia*, diei 22 martii 1918, haec habet:

« Quod ... Virgo perdolens bonae mortis patrona deligitur atque invocatur, id cum mirifice doctrinae catholicae pioque Ecclesiae sensui respondet, tum spe innititur recte feliciterque collocata. Etenim vero tradunt communiter Ecclesiae Doctores, B. Mariam Virginem, quae a vita Iesu Christi publica veluti abesse visa est, si Ipsi mortem oppetenti et cruci suffixo adfuit, *non sine divino consilio adfuisse*. Scilicet ita cum Filio patiente ac moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito

queat, *Ipsam cum Christo humanum genus redemisse*. Quod si hac plane de causa, quas e redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur, nemo non videt, sanctum hominum decessum ab Ea ipsa expectandum esse, quandoquidem praecipuo hoc dono redemptionis opus in unoquoque homine efficienter perpetuumque in modum completur » (*Acta Ap. Sed.*, 1918, t. 10, p. 181 s.).

Goossens, relatis verbis Pontificis, asserit: « Strenue quidem affirmat Benedictus XV cooperationem Mariae ad redemptionem, et quidem, etiam ad redemptionem obiectivam. *Nullo tamen modo* haec cooperatio declaratur *immediata*. Nam verba: " *ut dici merito queat*, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse " nonnisi formula quadam generali seu synthetica exprimunt ea quae in verbis immediate praecedentibus magis determinate descripta sunt, nempe B. Virginem " cum Filio suo patiente ac moriente passam esse et paene commortuam, materna in Filium iura pro hominum salute abdicasse, placandaeque iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolasse ". Quare, ex hoc textu cooperatio immediata Mariae ad redemptionem obiectivam *gratuito et immerito* in R. Pontificis assertum introducunt ».

Respondetur: Verba Pontificis ita sunt clara ut opus non sit insistere in confutanda hac gratuita assertione Prof. Goossens. Quaeri tantummodo ab ipso potest: quibusnam verbis uti debuisset Benectictus XV ad cooperationem *immediatam* B. Virginis magis explicite significandam ?... Nonne talis cooperatio apertissime significatur ex eo quod dicitur B. Virgo « non sine divino consilio adfuisse » morti Christi in monte Calvariae, ubi, « materna in Filium iura pro hominum salute » abdicando, illum « immolavit » *ad hoc ut* placaretur divina iustitia? ... Nonne asserit quod « hac de causa » omnes gratiae e manibus veluti Virginis ministrantur? ... Quapropter iure concludimus cooperationem talem ex textu Benedicti XV erui non posse nisi a paucis illis Theologis qui sibi, a priori, demonstrare proposuerunt *nullum* argumentum afferri posse pro immediata cooperatione B. Virginis ad redemptionem obiectivam.

Nec valet obicere talia Pontificis verba non esse stricte accipienda, ex eo quod ipsemet Pontifex illorum sensum restringit per alia verba, nempe: « *quantum ad se pertinebat* ». Etenim, prout iure animadvertit Bittremieux, « per haec verba non significatur restrictio quae excludat cooperationem immediatam, sed restrictio quae ipsam hanc cooperationem immediatam definiat ac determinet. Significatio enim locutionis " quantum ad se pertinebat " est haec: *quantum possibile erat*. Asseritur ex una parte cooperatio immediata, sed ex alia parte haec formula limites statuit intra quos haec cooperatio fuit possibilis. Nimirum non fuit possibilis B. Virgini nisi in unione cum Christo, nisi per virtutem Christi, dependenter a Christo, subordinato modo sub Christo; non fuit talis cooperatio quae fuerit necessaria, sed quam Deus libere decrevit, non fuit ad complendam insufficientem redemptionem Christi, sed ad bene esse tantum, ad pulchritudinem operis redemptivi » (art. cit., p. 772 s.).

E) Verba Pii XI

Goossens citat imprimis verba quae inveniuntur in Litteris Apostolicis *Explorata res est* (2 febr. 1923): « ... neque is mortem oppetat sempiternam, cui Beatissima Virgo, praesertim in discrimine ultimo, adfuerit. Quae Doctorum Ecclesiae sententia, christiani populi sensui congruens perpetuoque comprobata experimento, ea potissimum causa innititur quod Virgo Perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit, et, constituta hominum Mater, eos, sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos, amplexa sit filios amantissimeque tueatur ».

Quibus verbis relatis, Goossens simpliciter quaerit: « Verum quonam iure haec Mariae participatio cum Christo dicitur intelligenda de cooperatione immediata ad redemptionem obiectivam? ». At pari iure quaerere possumus a Goossens: « Quonam iure hoc negatur? ». Ibi enim agitur de Virgine *Perdolente*, et quidem ut tali, et de ipsa dicitur quod « redemptionis opus cum Ipsa participavit ». Sed ulterius animadvertendum est quod Pius XI, in iisdem Litt. Ap. *Explorata res est*, quoad Virginis cooperationem in opere salutis eamdem doctrinam ac Benedictus XV professus est, cum testatus sit talem doctrinam *aptissimis verbis* Benedictum XV docuisse (*Acta Ap. Sed.*, t. 10, 1918, p. 182). Iamvero Benedictus XV apertissime, ut vidimus, immediatam cooperationem Virginis ad redemptionem obiectivam docuit. Textus iste, proinde, a textu Benedicti XV separari non debet, ad hoc ut tota eius vis percipi possit.

Refert secundo loco verba Pii XI in Litteris Encyclicis *Miserentissimus Redemptor* (8 maii 1928) « de communi expiatione sacratissimo Cordi Iesu debita »: « Hisce denique votis inceptisque nostris praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem Reparatrix item exstitit pieque appellatur. Cuius Nos confisi apud Christum deprecatione, qui unus cum sit "mediator Dei et hominum", suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem vobis ... apostolicam benedictionem peramanter impertimus ».

Verbis istis relatis, Goossens, more solito, quaerit: « Rursus querimus: quonam iure asseritur titulum ac munus reparatricis hic audiedum esse de cooperatione immediata ad redemptionem obiectivam? » (p. 80).

Respondemus: ius hoc affirmandi ex obvia analysi verborum Pontificis patet. Pontifex enim aperte, praeter cooperationem *remotam* ad redemptionem obiectivam (« Redemptorem ediderit, aluerit », admittit etiam cooperationem *immediatam* ad redemptionem obiectivam (« apud crucem hostiam *obtulerit*, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem »).

Refert, tertio, verba Epistolae *Auspicatus profecto* (28 ian. 1933) ad E.mum Cardinalem Binet, « legatum ad solemnia Lourdensia LXXV a manifestatione B. Mariae Virginis exeunte anno »: « Siquidem augusta Virgo, sine primaeva labe concepta, ideo Christi mater delecta est, ut redimendi generis humani consors efficeretur; ex quo sane tantam apud Filium gratiam potentiamque adepta est, ut maiorem nec humana nec angelica natura assequi unquam possit ».

Et asserit: « Cuique patet nihil esse in textu quo munus " consortis redimendi generis humani " exhibeatur esse cooperatio immediata ad redemptionem obiectivam ».

Respondetur: In textu *simpliciter*, absque ulla restrictione, enuntiatur consortium Mariae cum Christo in redemptione generis humani, in tota sua amplitudine, et propterea etiam in redemptione obiectiva immediata. Et haec est ratio *potentiae* qua B. Virgo apud Filium gaudet.

Refert tandem verba a Pio XI prolata in fine anni Iubilaei (28 apr. 1935): « O Mater pietatis et misericordiae quae dulcissimo Filio tuo humani generis redemptionem in ara crucis consummanti compatiens et corredemptrix adstitisti ... conserva in nobis quaesumus atque adauge in dies pretiosos redemptionis et tuae compassionis fructus...». Et asserit: « Mariam, compatiendo cum Christo, immediate cooperatam esse ad redemptionem obiectivam, nullatenus deduci potest ex eo quod dicatur " corredemptrix ". Nam " corredemptrix " vocari potest ratione cooperationis remotae ad redemptionem obiectivam, necnon ratione interventus in applicatione ac distributione gratiarum. Hic notare iuvat quam lato sensu ipse Pius XI vocem " corredemptor " adhibuerit, et quidem in phrasi in qua B. Maria Virgo " corredemptrix " nuncupata sit. Pontifex enim congregationistis dixit: " Quei giovani dovevano seguire il pensiero e il desiderio di Maria Santissima, che è nostra Madre e corredentrice nostra; dovevano sforzarsi ad essere, anch'essi, corredentori ed apostoli, secondo lo spirito dell'Azione Cattolica ". Nec dicatur locutionem: " conserva ... atque adauge ... pretiosos redemptionis et tuae compassionis fructus ", gratias non minus immediate compassioni Mariae quam redemptioni a Christo peractae adscribere. Quomodo gratiae tribuantur hinc operi redemptorio Christi, illinc compassioni Mariae ipse textus non exprimit. Manifeste mens R. Pontificis nequit esse ut utrique eodem prorsus titulo adscribantur. Unde nihil impedit quominus, et, uti ex supra dictis liquet, omnia suadent, ut gratiae dicantur vocari " fructus redemptionis " quatenus Christus per passionem suam eas immediate acquisivit, et " fructus compassionis Mariae " quatenus Maria, compatiendo cum Filio suo, a Deo obtinuerit partes in applicando ac distribuendo illas ».

Respondemus: *De facto*, tamen, Pius XI Mariam vocat *Corredemptricem* ratione cooperationis *immediatae* ad redemptionem obiectivam. Alludit enim ad Virginem iuxta crucem *compatientem*, et aperte asserit *redemptionis fructus* non minus immediate ad passionem Filii quam ad compassionem Matris pertinere.[1] Verum est quod « mens

[1] PHILIPS asserit quod, iuxta Pium XI, « *aeque late* panduntur fructus redemptionis Iesu et compassionis Mariae, alio tamen ac alio modo » (l. c., p. 304). At, nedum *aeque late*, sed etiam *aeque immediate* tales fructus panduntur.

Praeter textus a Goossens relatos, alii etiam eiusdem Pontificis afferri possunt in quibus non minus aperte cooperatio immediata B. Virginis redemptioni obiectivae significatur (cfr

R. Pontificis nequit esse ut utrique *eodem prorsus titulo* adscribantur », sed ex hoc minime sequitur quod fructus illi a Pontifice non *immediate* compassioni Matris (sicut et Passioni Filii) tribuantur. Aliquid enim *immediate* pluribus adscribi potest, diverso tamen titulo. Immerito igitur et violentissimam vim verbis inferendo, acquisitio fructus passionis a Virgine, per suam compassionem peracta, intelligitur a Goossens de obtentione partium « in applicando ac distribuendo illas ». Vana vero est animadversio: « Notare iuvat quam lato sensu ipse Pius XI vocem " corredemptor " adhibuerit, et quidem in phrasi in qua B. Maria Virgo " corredemptrix " nuncupata est ». Sensus enim alicuius vocis ex contextu determinari debet; et ex ipso contextu aperte patet quomodo sensu omnino diverso vox « corredemptor » dicatur de Virgine et de aliis: *proprie* de Virgine, *analogice* de aliis, qui sequi debent non iam *exemplum* sed « il pensiero e il desiderio di Maria ».

Quaerere liceat: sunt ne haec « principia maxime essentialia rectae exegeseos » (p. 82), quae servari vult Goossens in interpretatione documentorum RR. Pontificum?...

F) Verba Pii XII[1]

In Encyclica *Mystici Corporis Christi*, Pius XII scribebat: « Ipsa fuit quae, vel propriae, vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit; ita quidem ut quae corpore erat nostri Capitis Mater, spiritu facta esset, ob novum etiam doloris gloriaeque titulum, eius membrorum omnium mater » (*AAS*, XXXV, 247 s.). Et in nuntio radiophonico ad populum Lusitanum, ob Marianas celebrationes Fatimae, die 13 maii 1946 aiebat:

Roschini, *La Mariologia di Pio XI*, p. 46). Sic, e. g., in sermone habito die 30 nov. 1933 ad peregrinos Vicetinos aiebat: « Il Redentore non poteva, per necessità di cose, non associare la Madre sua alla sua opera, e per questo noi la invochiamo col titolo di Corredentrice. Essa ci ha dato il Salvatore, l'ha allevato all'opera della Redenzione fino sotto la Croce dividendo con Lui i dolori dell'agonia e della morte in cui Gesù consumava la Redenzione di tutti gli uomini » (cfr *L'Osservatore Romano*, 1-12-33). In sermone ad sponsos, habito die 30 octobris 1933 asserebat quod B. Virgo « ha unito i suoi dolori a quelli del Redentore per la salvezza dei suoi figli ». (Cfr *L'Osservatore Romano* 1-11-33). In sermone habito ad Mulieres catholicas asserebat quod B. Virgo « donna, volle riparare al fallo della prima donna, e perciò Corredentrice condivise l'opera del suo Figliolo, Redentore divino ». (Cfr *L'Osservatore Romano*, 22, 23-12-1923).

[1] Opportune hic adiungere possumus Pium XII, antequam Petri cathedram ascenderet, cooperationem immediatam Deiparae ad redemptionem obiectivam professum esse. In sermone enim Lapurdii habito die 28 aprilis 1935 asserebat quod B. Virgo fuerat « in monte Golgotha cruenti sacrificii intime particeps » (*Discorsi e panegirici 1931-1935*, Milano, 1936, p. 370). Asseruit etiam quod animae nostrae fuerunt « *redente* dal sangue e dai dolori del Redentore e della sua Vergine Madre » (Ibid., p. 370). Cfr Carol, *Pio XII y la Corredención de María* in *Seminario Católico*, 1 (1939) 28-29.

« Egli, il Figlio di Dio riflette sulla Madre celeste la gloria, la maestà, l'impero della sua regalità; perchè associata, come madre e ministra al Re dei Martiri, nell'opera ineffabile dell'umana redenzione, gli è per sempre associata, con un potere quasi immenso, nella distribuzione delle grazie che dalla Redenzione derivano » (*Osserv. Rom.*, 19-5-1946).

Circa valorem vero assertorum RR. Pontificum, haec iure animadvertit Keuppens (non obstante sua evidenti benignitate pro sententia contraria): « Asserta RR. Pontificum qui, quandoque a fautoribus nostrae sententiae nimis praemuntur, *adeo clara sunt* ut saltem possint in sensu de immediata cooperatione ad Redemptionem obiectivam intellegi, imo in uno vel altero textu probabilius debeant in hoc sensu interpretari, v. g. in textu classico Pii X de merito B. Virginis, vel ubi distincta officia enumerat B. V.: *officium* divinae Maternitatis, officium gratiarum dispensationis ac "vere etiam *officium* eiusdem hostiae custodiendae, nutriendae, atque adeo, statuto tempore, sistendae ad aram".

« Haec ratio valde roboratur ex consideratione muneris Custodis supremi fidei quo inalienabiliter ac divinitus S. Pontifex est insignitus. *Vix credibile videtur* RR. Pontifices non statim cohibuisse divulgationem doctrinae quae tam intime cum Redemptionis mysterio ac unicitate mediationis Christi connectitur, praesertim si sic dictus error *a longe maiore parte theologorum* ex ipsis S. Pontificis assertis proponitur. Vel si controversiam statim dirimere non volunt, ad minus abstinere debuissent in scriptis ac allocutionibus ab ambiguo illo dicendi modo, qui tam facile occasionem praebet errores spargendi. Iamvero non modo non abstinent ab illa "ambigua" terminologia, sed iterum et saepius eamdem doctrinam variis in circumstantiis inculcare satagunt. Non mirum proinde est tot theologos sententiae de immediato concursu B. Virginis in Redemptione obiectiva firmiter adhaerere, ita ut pauci tantum, ipsis adversariis fatentibus, hanc doctrinam aggrediantur » (*Mariologiae compendium*, p. 127 s.).

Conclusio. Ex hucusque expositis sufficienter, saltem, patere videtur, Romanos Pontifices recentiores cooperationem *immediatam* Deiparae ad redemptionem obiectivam non semel tantum, sed iteratis vicibus et terminis semper clarioribus docuisse. Utuntur enim talibus dicendi modis qui ad corredemptionem subiectivam (i. e. ad solam gratiarum dispensationem) aut ad solam corredemptionem obiectivam remotam coarctari non possunt, quin verbis ipsis magna vis inferatur. Asserunt enim B. Virginem una *cum* Filio (non vero indirecte tantum, seu *per* Filium) diabolum devicisse (*Pius IX*). Asserunt quod in mysteriis Rosarii « elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra », « reminiscimur singularia merita quibus illa cum Filio Iesu, Redemptionis humanae facta est particeps », quippe quae mysteriis redemptionis nostrae « non adfuit tantum sed interfuit », ideoque factam esse « reparandi humani generis consor-

tem » (*Leo XIII*). Asserunt « Matris et Filii numquam dissociatam consuetudinem vitae et laborum », eamque « a Christo ascitam sese in humanae salutis opus », et « ex hac Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruisse ut reparatrix (seu Corredemptrix) perditi orbis dignissime fieret » (*Pius X*). Asserunt B. Virginem « sic placandae divinae iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat ipsam *cum* Christo humanum genus redemisse. Quod *hac plane de causa* (i. e., quia Maria cum Christo humanum genus redemit) quas e redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur » (*Benedictus XV*). Asserunt quod « Virgo *perdolens* redemptionis opus cum Iesu Christo participavit ... », quod « ... per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item exstitit pieque appellatur » et gratiae sunt simul effectus tum Passionis Christi tum compassionis Deiparae (*Pius XI*).

Eadem plus minusve docuerunt et docent Episcopi per orbem dispersi, prout aperte apparet ex studio quodam a P. Carol O. F. M., peracto et publici iuris facto in *Ephem. Theol. Lov.*, 16 (1939) 801-829.

Haec autem Magisterii ordinarii Ecclesiastici doctrina in *S. Scriptura* et in *Traditione*, prout statim videbimus, fundatur.

II. Argumenta ex S. Scriptura [1]

In libris sive Veteris Testamenti sive Novi Testamenti, B. Virgo tamquam *Corredemptrix*, et quidem in sensu stricto, designata invenitur. In libris quidem V. T. *promissa* et *praefigurata* exhibetur; in libris vero N. T. adimpletum invenitur id quod in V. T. promissum et praefiguratum fuerat.

A) **In Veteri Testamento**, igitur, invenitur *promissio* et *praefiguratio* Corredemptricis.

I. *Promissio* invenitur in percelebri illo vaticinio quod *Protoevangelium* appellatum est, ubi protoparentibus lapsis, statim post culpam, Redemptor et Corredemptrix promittuntur per verba illa: « Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius » (Gen., 3, 15).

De hoc percelebri vaticinio fuse iam egimus alibi, ubi probavimus: 1) *serpentem*, de quo ibi agitur, fuisse serpentem diabolicum seu diabolum; 2) *mulierem* fuisse, et quidem in sensu litterali, B. Virginem; 3) *semen serpentis* fuisse aut daemones, tentatoris socios, aut homines malos, aut sive daemones sive malos homines qui Christum occiderunt; 4) *semen mulieris*, saltem principaliter et directe, Messiam Redemptorem fuisse, « factum ex muliere » (Ad Gal., 4, 4).

[1] Cfr Rabanos Ricardo, C. M., *La Corredención de María en la Sagrada Escritura*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 9-51.

Hisce omnibus praemissis et praesuppositis, duo hic quaeri possunt, videlicet: 1) in celebri oraculo genesiaco exprimiturne *associatio B. Virginis Christo in opere redemptionis nostrae obiectivae* (prouti aiunt)? 2) *Haec associatio* Virginis Christo in opere redemptionis obiectivae estne dicenda *immediata, directa* vel potius mediata et indirecta? ...

Responsio affirmativa ad hanc duplicem quaestionem, nobis evidens esse videtur. Evidens enim est affirmativa responsio *ad primam quaestionem*, seu associatio, in genere, Virginis Christo in opere redemptionis nostrae obiectivae, prout concedunt, de cetero, ipsimet adversarii. (Cfr GOOSSENS, o. c., p. 88).

At non minus evidens, nobis saltem, videtur affirmativa responsio secundae quaestioni. Goossens e contra, aliique, tenent cooperationem Virginis, prout in Protoevangelio expressa invenitur, esse tantummodo *remotam* et *indirectam*, hoc nempe sensu quod B. Virgo, libere *genuit Redemptorem*, qui postea, *solus* operaturus est redemptionem nostram serpentis caput conterendo, diaboli dominium subvertendo.

At, ad hanc *circumscriptionem* associationis (universaliter enunciatae) probandam, nullum prorsus argumentum ab adversariis affertur, si excipias solitum effugium *impossibilitatis cooperationis* immediatae, sub luce cuius omnia testimonia Scripturae et Traditionis ab ipsis interpretantur. (Cfr GOOSSENS, o. c., p. 87 s.).

Nos, e contra, talem associationem immediatam et asserimus et probamus. Etenim, ex verbis ipsis Protoevangelii, mulier illa coniuncta apparet Redemptori nedum vinculo *maternitatis* sed etiam vinculo *participationis luctae et triumpho*. Agitur ergo de cooperatione immediata redemptioni obiectivae.

Insuper, Pius IX, in Bulla *Ineffabilis Deus*, quattuor asserit, nempe: 1) quod *Patres Ecclesiaeque Scriptores*, in divino hoc oraculo genesiaco, significatos viderunt Redemptorem eiusque SS. Matrem; [1] 2) eosdem Patres et Scriptores insigniter expressas vidisse, in illo eodem textu, simul *ipsissimas utriusque contra diabolum sempiternas inimicitias*; [2] 3) determinat in quanam re *in concreto*, huiusmodi triumphales inimicitiae repositae fuerunt, videlicet *in contritione capitis serpentis infernalis*, ob quam contritionem deletum est decretum mortis, id est,

[1] En verba Bullae: « Patres Ecclesiaeque scriptores... docuere divino hoc oraculo (Gen., 3, 15) clare aperteque praemonstratum fuisse... Redemptorem... ac designatam Virginem Mariam ».

[2] « Patres Ecclesiaeque scriptores... docuere hoc divino oraculo... *simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas* ». Et Pontificia Commissio pro definitione Immaculatae *unanimiter* concludebat: « Clarum est ibi stabiliri eamdem relationem inimicitiae atque dissidii inter serpentem et mulierem, ac illa quae ponitur inter semen serpentis et semen mulieris, quum eadem verba *inimicitias ponam* ad utrumque incisum referantur ». (Cfr SARDI, *L'Immacolato Concepimento...*, vol. 1, p. 796).

homines redempti fuerunt; [1] 4) aperte asserit talem contritionem capitis serpentini effectum communem fuisse Christi et Mariae, id est, operatam fuisse non a *Christo tantummodo*, sed *simul a Christo et ab eius sanctissima Matre*. Aliis verbis: Virgo SS. contrivit caput serpentis infernalis nedum *per Christum* (seu mediante Christo, et ideo indirecte, remote), prout vellet Goossens, sed etiam « UNA CUM CHRISTO », id est immediate et proxime. Contritio ista capitis serpentis infernalis, id est, redemptio nostra obiectiva, [2] exhibetur a Patribus et Scriptoribus Ecclesiae tamquam *terminus immediatus* et *communis* inimicitiarum triumphalium a Deo positarum inter Mariam et Christum, ex una parte, et serpentem infernalem ex alia parte. [3]

[1] « Quocirca, *sicut Christus*, Dei hominumque Mediator, humana assumpa natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud Cruci triumphator affixit, *sic sanctissima Virgo*, arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta [principium associationis Mariae Redemptori in opere redemptionis], *una cum Illo* et per Illum, *sempiternas* contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, *illius caput immaculato pede contrivit* ». Et alibi: « Sed quasi haec, liceat splendidissima, satis non forent, ... professi sunt (Patres Ecclesiaeque scriptores) gloriosissimam Virginem parentum REPARATRICEM, posterorum vivificatricem..., a Deo, quando ad serpentem ait: *inimicitias ponam inter te et mulierem*, praedictam, quae procul dubio venenatum eiusdem serpentis caput contrivit ». Appellativum *Reparatrix* seu Redemptrix est in Bulla Pontificia *logicum consectarium* textus genesiaci attribuentis Virgini, *simul cum* Christo, contritionem capitis serpentis, seu redemptionem obiectivam.

[2] Identificatio contritionis serpentini capitis cum ipsa redemptione obiectiva, praeterquam ex liturgia et ex unanimi Theologorum consensu, evidenter apparet praesertim ex Ioan., 12, 31-33; ex Coloss., 2, 14; ex Hebr., 2, 14-15. (Cfr CAROL, *Utrum B. Virginis Corredemptio sit in S. Scriptura formaliter revelata*, in *Marianum*, 1 [1939] 319).

[3] Goossens enervare conatur hanc nostram conclusionem asserendo quod inimicitiae Mariae cum diabolo eiusque supra ipsum triumphus, referri debent — iuxta Bullam *Ineffabilis* — ad primum momentum existentiae Deiparae seu ad *immaculatam Virginis Conceptionem*, non vero ad eius *immediatam* cooperationem ad universum redemptionis opus. At, facili negotio contra Goossens animadvertere possumus quod triumphus supra diabolum a Maria in suo immaculato conceptu relatus, exhibetur in Bulla tamquam logica *conclusio* associationis B. Virginis Christo in sempiternis inimicitiis contra diabolum, id est luctae et triumpho Deiparae (simul cum Christo) supra diabolum. Posita igitur hac associatione Christi et Deiparae in perpetuis et triumphalibus inimicitiis erga diabolum (*principium*), logice *deducitur quod* neque per unum temporis momentum Virgo SS. potuit esse amica (et ideo in statu culpae) diaboli (*conclusio*). Obiectio igitur Goossens nedum infirmat sed roborat et confirmat argumentationem nostram. Eo vel magis quod haud pauci Mariologi hodierni (Bittremieux, Bover, Müller, Flunk, Carol etc.) in protoevangelio clariori modo contentam vident *associationem* Mariae Christo in opere nostrae redemptionis quam alia privilegia mariana, id est, spiritualem Maternitatem, Assumptionem ipsamque Immaculatam Conceptionem. Ita ratiocinabantur 113 Patres qui subscripserunt *Postulatum* Concilii Vaticani pro definitione Assumptionis: « Cum iuxta apostolicam doctrinam, Rom., 5-8; 1 Cor., 15, 24, 26, 54, 57; Hebr., 2, 14-15 aliisque locis traditam, triplici victoria de peccato et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, veluti ex partibus integrantibus, constituatur ille triumphus, quem de Satana, antiquo serpente, Christus retulit; cumque Gen. 3, 15, DEIPARA EXHIBEATUR SINGULARITER ASSOCIATA FILIO SUO IN HOC TRIUMPHO; accedente unanimi SS. Patrum suffragio, non dubitamus quin in prae-

Crescit autem vis huius argumenti si consideretur valor *dogmaticus* (non vero *scripturisticus*) versionis Vulgatae in qua, loco: « *ipse* (Christus) conteret caput tuum », legitur: « *ipsa* (Maria) conteret caput tuum ». In Vulgata enim, contritio capitis serpentis, id est redemptio nostra obiectiva, *immediate* tribuitur Deiparae, quemadmodum in Textu Massoretico *immediate* tribuitur Filio eius, id est Christo. Iamvero omnes probe norunt Vulgatam, utpote *vocis traditionalis testem*, authenticum fontem revelationis esse,[1] ex quo licet argumenta desumere *ab omnibus* admittenda.[2] Iure igitur ex lectione Vulgatae cooperatio *immediata* Deiparae ad redemptionem obiectivam deducitur.

II. Praeter *promissionem*, continetur etiam in V. T. multiplex *praefiguratio* B. M. Virginis tamquam Corredemptricis. Plura enim *figurae* et *symbola* nobis B. Virginem exhibent *immediate et proxime* cooperantem ad opus redemptionis nostrae.

Inter *figuras* Mariae *Corredemptricis*, a Patribus et Scriptoribus Ecclesiae communiter receptas (Cfr MARRACCI H., *Polyanthea Mariana*, Coloniae, 1710), eminent: Debbora, Iaël, Abigail, Iudith, Esther. Inter symbola vero eminent *Arca Noë* et *Iris pacis*.[3]

A) Figurae: *a*) DEBBORA (Iud.,). Sicut Debora, una cum Baruch, immediate et directe profligavit hostes Israël, id est Cananaeos eorumque caput Sisaram, ita B. Virgo una cum Christo immediate et directe profligavit hostes nostrae salutis, finem ponens eorum oppressioni per plura saecula productae.

b) IAËL (Iud., 4, 17-22). Sicut Iaël clavo transfixit cerebrum Sisarae, hostis populi Israël, ita B. Virgo, clavo qui corpus Christi et animam propriam transfixit, daemonem vicit, directe a servitute eius humanum genus liberando.

c) ABIGAIL (1 Reg., 25). Sicut Nabal, caput familiae Abigail, a morte salvus factus est ab Abigail quae Davidis iustam iram donis suis pretiosissimis placavit; ita Adam, caput humanae familiae, salvus factus est a morte peccati a Virgine benedicta quae iustam iram Dei meritis suis pretiosissimis directe placavit.

fato oraculo eadem beata Virgo triplici victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus de peccato per Immaculatam conceptionem, et de concupiscentia per virginalem Maternitatem, sic etiam de inimica morte singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem praenuntiata fuerit ». (Cfr *Acta et Decreta SS. Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis*, vol. 7, Frib. B., 1882, cc. 869-870[a]).

[1] Scite scribit P. VOSTÉ, O. P.: « Hinc et Vulgata iure meritoque habetur ceu authenticus fons revelationis » (*De latina Bibliorum versione quae dicitur « Vulgata »*, Romae, 1927, p. 27).

[2] Recolantur verba Concilii Tridentini: « Sacrosancta Synodus... statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, *disputationibus*, praedicationibus *pro authentica habeatur, et quod nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat* » (*Enchir. Bibl.*, 46).

[3] Cfr ROSCHINI, *La Corredentrice degli uomini*, in *Regina dei Cuori*, 27 (1940), 222-226, ubi sat ampla expositio invenitur figurarum et symbolorum Corredemptricis.

d) Iudith. Est illustratio omnium fulgidissima illorum verborum Protoevangelii: « Inimicitias ponam ... Ipsa conteret caput tuum » (Gen., 3, 15). Daemon, enim, sicut Olophernes, protoparentes nostros superans, gratiae divinae aquaeductum praeciderat et omnes homines, sicut habitatores Bethuliae, ad sitim reduxerat. At B. Virgo, gladio proprii doloris, caput daemonis — sicut Iudith caput Olophernis — directe praecidit, et ab omnibus exaltata est tamquam populi salvatrix.

e) Esther. Sicut Esther, sua intercessione apud Assuerum regem populum Israël directe ab interitu temporali salvum fecit, ita B. Virgo, suis meritis apud Regem Regum, directe spiritualem Israëlem ab interitu spirituali liberavit.

B) Symbola. *a*) *Arca Noë*. Sicut arca humanam familiam ab aquarum diluvio directe liberavit, ita B. Virgo directe genus humanum ab inundatione aquarum lutulentium peccati universam terram subvertentium directe liberavit.

b) *Iris pacis* (Gen., 9, 11). Sicut iris, veluti pons, caelum cum terra coniungit, et fuit signum foederis inter Deum et Noë, ita B. Virgo Deum cum homine, tamquam Corredemptrix, coniunxit.

II. **In Novo Testamento** aperte adimpleta inveniuntur quae in V. T. *promissa* et *praefigurata* fuerant. B. Virgo, enim, ex ipsis Evangeliis tamquam Corredemptrix nobis apparet, seu tamquam *directa* et *immediata* cooperatrix sive *ad initium* (in Incarnatione redemptiva Verbi), sive *ad consummationem* operis redemptivi (in Passione et morte Redemptoris).

A) De cooperatione Deiparae ad initium operis redemptivi, seu ad Incarnationem Verbi redemptivam.

Dubitari non potest quod redemptio obiectiva generis humani *initium* sumpsit et veluti *virtualiter* operata fuit ipso Incarnationis actu. Nedum enim nativitas sed etiam Verbi conceptio « extitit salutis exordium ». S. Beda, commentarium in Evangelium Annuntiationis hisce verbis inchoabat: « *Exordium nostrae redemptionis* ... hodierna nobis sancti Evangelii lectio commendat » (PL 94, 9).

Ad hoc probandum sufficit recolere verba quae in ore Verbi Incarnati, mundum ingredientis, S. Paulus ponebat: « Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias, et oblationes et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quae secundum legem offeruntur. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel* ».

In hisce verbis duo animadvertit Apostolus: *a*) nihil eorum omnium quae secundum Veterem Legem Deo offerebantur, Ipsi erat acceptum; *b*) oblatio a Christo Deo Patri facta, ad faciendam voluntatem eius. Prioribus verbis vetera omnia sacrificia abrogat; posterioribus vero, sacrificiis illis ineptis, sacrificium proprium substituit.

Et ob hanc *voluntatem* Christi qui, *inde a primo Eius in hunc mundum ingressu*, voluntati Patris sese subiecerat, nos sanctificati sumus, videlicet, *redempti* sumus unica oblatione (cum subsequenti necessaria immolatione) corporis D. N. I. Christi. Ex verbis igitur Apostoli evidenter apparet *praecipuum* et veluti fundamentale elementum redemptionis nostrae fuisse *voluntatem* Christi adimplendi quoad omnia voluntatem Patris, seu *voluntatem sese sacrificandi*, inde ab ipso initio suae existentiae expressam, et numquam postea retractatam, pro salute generis humani. Quapropter, inde a primo instanti existentiae Christi reapse *initium habuit*, quin immo, iam *virtualiter* operata est nostra salus. Inde enim ab illo primo instanti, Christus in statu victimae seipsum posuit, et sacrificium suimetipsius inchoabat. Posuit, enim, ut ita dicam, *praemissas*, et quidem necessarias; *conclusio* necessario sequi debebat. Per Incarnationem, Verbum, *mortale* effectum, viam mortis iam tunc percurrere coepit. Incarnatio, igitur, iam in seipsa Redemptionem includebat. Iure S. Grignion de Montfort scribebat quod Incarnatio est « le premier mystère de Jésus-Christ, le plus caché, le plus relevé et le moins commun; que c'est en ce mystère que Jésus, de concert avec Marie, dans son sein, qui est pour cela appelé des saints *aula sacramentorum*, la salle des secrets de Dieu, a choisi tous les élus; *que c'est en ce mystère qu'il a opéré tous les mistères de sa vie qui ont suivi, par l'acceptation qu'il en fit: Iesus ingrediens mundum dicit: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam* » (*Traité* ..., n. 248).

Fundamentali hac veritate in tuto posita, facili negotio thesis nostra ex Evangelio probatur. S. Lucas enim (1, 26-39) aperte nos docet B. Virginem, libero suo assensu, cooperatam fuisse ad Incarnationem redemptivam. Angelus enim exponit B. Virgini consilium Dei reparandi genus humanum, et petit ab ea, nomine Dei, consensum ad hoc ut tale consilium executioni demandetur. B. Virgo libera manet: absolute loquendo, ipsa consensum dare potest vel denegare. Videt, ex una parte, oceanum doloris sibimetipsi reservatum; videt etiam, ex alia parte, generationes omnes humanas, praeteritas praesentes et futuras salutem anxie attendentes.[1] Ipsa in medio stat, veluti reconciliationis *Mediatrix*, inter Deum et homines. Ipsi igitur libera electio relinquitur inter missionem

[1] Riviere aliquatenus dubitare videtur num B. Virgo, consensum in Incarnationem praestando, perfectam cognitionem habuerit muneris sui ita ut ex tunc pati cum Filio suo, pro nostra salute, acceptaverit. (Cfr *Questions Mariales d'actualité*, in *Rev. de Sciences Religieuses*, 12 (1932), 97. Ita etiam, plus minusve Bartmann qui Deiparae fere solum maternitatem physicam concedere videtur (*Christus ein Gegner des Marienkultus*?, p. 166). — Attamen, positio haec nullimode nobis sustineri posse videtur, sive a priori, sive a posteriori. A priori: Dei enim sapientiae et iustitiae repugnare videtur admittere B. Virgini missionem suam dolorosissimam abscondisse. A posteriori, vero, repugnat cum iis omnibus quae de Deipara ex ipso Evangelio cognoscimus. Ex ipso enim Cantico *Magnificat* aperte patet B. Virginem familiaritatem quamdam cum Sacris Litteris habuisse: plures enim reminiscentiae scripturisticae — prout omnes concedunt — in cantico illo inveniuntur. Sufficienter igitur S. Scripturam cognoscebat. Iamvero, in S. Scriptura aperte describitur Passio Messiae (Is., 52, 13; 53, 12).

ineffabilibus doloribus plenam et perditionem generis humani.[1] Ipsa autem dolorosissimam missionem, sibi propositam, generosissime acceptat ad hoc ut humanum genus salvetur, et suum « Fiat » pronuntiat, ianuam Incarnationi Verbi Dei veluti aperiens, qua redemptio nostra obiectiva veluti *initium sumit*, imo iam *virtualiter* completur. Haec bene exprimit Leo XIII in Encycl. *Iucunda semper*: « Quum enim se Deo vel *ancillam* ad matris officium exhibuit, vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto, iam tunc *consors* cum Eo exstitit *laboriosae pro humano genere expiationis* » (*Acta Ap. Sed.*, t. 27, p. 178). Et haec nobis videtur ratio cur Patres antiquiores magis in Incarnatione Christi quam in morte eius redemptrice insistere videntur.[2]

Hisce positis, quaeritur: consensus Virginis dici ne potest *vera cooperatio* ad opus nostrae salutis? Affirmativa responsio patet omnino, et de facto ab omnibus datur. At, si ulterius quaeratur utrum cooperatio haec sit *immediata et proxima* vel potius mediata et remota, non una est Theologorum responsio. Fautores Corredemptionis in sensu stricto affirmative respondent; adversarii vero talis corredemptionis negative. (Cfr LENNERZ, o. c., n. 276; GOOSSENS, o. c., p. 102). Auctores enim isti tenent cooperationem a Virgine per consensum praestitam fuisse remotam, indirectam, mediatam, quia suo libero assensu nobis Redemptorem dedit qui, *solus*, morte crucis, nos redemit. Universa igitur cooperatio Virginis ad *solam physicam maternitatem Redemptoris* fere a Theologis istis reduci videtur.

Sententia ista nobis omnino reicienda videtur. Etenim, bene considerandae sunt conditiones requisitae ad hoc ut actio quaedam *moralis* (de qua hic agitur, cum redemptio sit actio in ordine *morali* ad *merendam* gratiam ordinata), dici possit *directe* et *immediate* in effectum influere.[3] Conditiones istae duae sunt, videlicet: *efficacia* et *intentio*; requiritur, nempe: *a*) quod actio *efficaciter influat*

[1] Obici posset: Incongruum est Deum, Redemptoris incarnationem, nonnisi *dependenter* a libero Virginis consensu complere voluisse; nam, si B. Virgo consensum praestare noluisset, totum redemptionis opus frustratum fuisset.

Sed respondetur quod Deus, *infallibiliter*, quamvis *libere*, voluntatem creatam ad quodcumque flectere potest. Et hoc ab omnibus admittitur, quidquid sit de diversis oppositisque sententiis quibus haec Dei motio, infallibilis et libera, a Theologis explicata fuit. Hinc ex libertate Virginis nihil erat timendum. Deus, enim, ut ait S. Thomas, ab aeterno et infallibiliter decrevit non solum *opus* faciendum, sed etiam tali vel tali *modo* faciendum. Efficacissima Dei voluntas nedum ad substantiam actus sed etiam ad eius modum (i. e. cum dependentia a causis liberis secundis) se extendit. Potuit ergo Deus magnum redemptionis opus in eius manibus et in corde eius virginali, absque metu, reponere. Iesus ergo, Redemptor noster, nedum Patris sed etiam *Mariae donum* dici potest.

[2] Ita, e. g., iuxta S. Hyppolitum Romanum, redemptio nostra in ipso Virginis utero operata est. (Cfr ed. *Achelis*, 83, 121; 267, 61). A S. Anastasio I, Patr. Antioch., dies Annuntiationis vocatur « *mundi universi natalitius dies*: quippe quae universa suo quaeque ordine asserta sunt; priorque deformitas decorem accepit ». (*In Annuntiat. Deip.*, PG 89, 1383).

[3] Cfr BOVER, *Singulari tuo assensu mundo succurristi perdito*, in *Marianum*, 2 (1940) 24-27.

in effectum; *b*) quod actio *intendat* (seu *tendat* in) talem effectum. Ratione prioris conditionis (i. e. *efficaciae*) habetur verus *influxus* actionis moralis in effectum; ratione vero secundae conditionis (i. e. *intentionis*), influxus iste actionis moralis in effectum *immediatus* redditur, id est, pertingit, ex seipsa, usque ad effectum, eo quod influere pergit usque dum effectus producatur. Ad hoc autem ut plene intelligatur quomodo *intentio effectus* reddere possit *immediatum* alicuius actionis moralis influxum, necesse omnino est ut bene attendatur ad *essentiale discrimen* quod habetur inter actionem *physicam* et actionem *moralem*. Actio enim *physica*, cum (antequam pertingat ad effectum) per varia stadia pertranseat, nequit ad talem effectum pertingere nisi modo tantum *mediato* et *indirecto*. Actio *moralis*, e contra (quae actibus intellectus et voluntatis exercetur), potest *directe et immediate*, uno ictu, ad effectum seu ad extremum pertingere, quin varia stadia intermedia gradatim percurrat. Praeterea, proprium est *intentionis* immediate respicere *finem* quin sistat in *mediis*.[1] Ceterum, sensus ipse communis nobis testatur quod, cum effectus, sive bonus sive malus, ab agente morali *intenditur*, ipsi imputari debet, etiam si influxus eius physicus esset tantummodo remotus. Cum, e contra, de causis *tantummodo physicis* agitur, effectus ultimae tantummodo causae tribuitur. E. g.: terrae motus (causa physica) e rupe magnum saxum evellit, qui saxus (causa physica) domum aliquam subvertit, quae domus (causa physica) integram familiam occidit. Huius familiae occisio (effectus), solummodo domui subversae *immediate* et directe tribuitur, et tantummodo *mediate* et indirecte terrae motui aut saxo tribuitur. At, diversus omnino dicendus est casus in quo non iam de causis physicis sed de causis *moralibus*, id est de causis intellectivis et volitivis agitur. Sic, e. g., Antonius servus, occidere vult dominum suum; attamen, pravum suum consilium exequi non vult absque Petri, conservi sui, consensu. Petrus occisioni domini sui consentit, et Antonius dominum suum occidit. Quibusnam imputari debet directe et *immediate* domini occisio? ... Evidenter, utrisque. Et quidem, Antonio imputari debet tamquam causae *proximae physicae et morali*; Petro vero tamquam causae *proximae morali*, eo quod consensus eius (quae erat conditio sine qua non occisionis domini sui) in effectum ipsum (i. e. in occisionem domini sui) *immediate* ferebatur.

Hisce omnibus rite praemissis, facili negotio intelligitur quomodo consensus Virginis (qui est actio *moralis*, id est, personalis et libera) duplicem illam conditionem habuit quae requiritur ad hoc ut actio aliqua moralis *directe* et *immediate* in effectum (i. e. in redemptionem nostram) influat, videlicet: *efficaciam* et *intentionem*. Etenim: *a*) Actio moralis seu consensus Virginis fuit *efficax*, id est verum exercuit influxum in effectum, eo quod ab Evangelio (et magis adhuc diserte

[1] « Intentio est actus voluntatis respectu finis » (*S. Th.*, 1-2, q. 12, a. 1, ad 4). « Intentio respicit finem, secundum quod est terminus motus voluntatis » (Ibid., a. 2, c.). Cfr etiam SUAREZ, *In I-II D. Th.*, tract. 1, disp. 6., sec. 1, nn. 3 et 6.

a constanti et unanimi traditione) nobis exhibetur tamquam a Deo requisitus pro nostra redemptione. Eo ipso enim quod Deus consensum illum per Angelum *petiit*, et Incarnationem redemptivam perficere noluit antequam talis consensus a Virgine praestitus esset, sat evidenter apparet Deum Incarnationem redemptricem absque Virginis libero assensu exequi noluisse, qui assensus, idcirco, realem habuit influxum in Redemptionem ipsam ad quam perficiendam Verbum carnem assumebat. Ratio vero sapientissimae huius dispositionis divinae facili negotio invenitur in hoc quod, sicut humani generis *ruina*, ab Evae consensu angelo malo praestito, initium, de facto, acceperat, ita humani generis *reparatio*, a Mariae consensu angelo bono praestito initium, de facto, accipere debebat. (Cfr. *S. Th.*, 3, q. 30, a. 2).

At, actio moralis seu consensus Virginis nedum fuit *efficax* in effectum (seu in redemptionem) sed etiam *b*) *intendit* effectum, seu Redemptionem, ad quam peragendam Verbum Dei carnem sumebat. Ipsa enim, ex ipsis Angeli verbis: « vocabis nomen eius *Iesum* » (id est *Salvatorem*) bene intelligere debuit a Deo invitatam fuisse ad Redemptorem libere dandum et cum Redemptore redemptionem ipsam, supra quam idcirco *intentio* eius necessario ferebatur. Crescit vero vis huius argumenti si consideretur quod consensus postulabatur a Deo non tantum pro Incarnatione *in semetipsa inspecta*, sed potius pro Incarnatione considerata *quatenus redemptiva*. Incarnatio enim *in semetipsa* inspecta in maximam Virginis gloriam cedebat, absque ullo ipsius Virginis sacrificio. Dum e contra Incarnatio considerata *quatenus redemptiva*, nedum in maximam Virginis gloriam sed etiam in maximum eiusdem Virginis dolorem vergebat, cuius acceptatio libere omnino fieri debebat. Hoc posito, bene intelligitur quomodo Deus, antequam futurae Matri suae tam magnum sacrificium imponeret, liberum eiusdem consensum expostulare voluerit.

Animadvertendum etiam est Virginem SS. nedum scivisse et simpliciter, suo consensu, Incarnationem redemptivam seu redemptionem ipsam intendisse, sed etiam redemptionem ipsam *desiderasse*, prout aperte apparet ex verbo ipso quo consensum elicuit: *Fiat* (γένοιτο). Verbum enim graecum γένοιτο « Fiat » est in modo optativo qui (absque ἄν) in sermone absoluto seu primario, desiderium semper designat. Redemptor, igitur, et quidem, *qua talis*, Dei voluntate, *donum* fuit *Mariae*.

Beata Virgo, igitur, singulari suo consensu, ad opus redemptionis generis humani *directe* et *immediate* cooperata est, ita ut nobis dicere liceat: « Singulari tuo assensu mundo succurristi perdito » (Ps. Augustinus, *De Annuntiatione*, PL 39, 2014-2107). Etiam Mariae, tamquam *causae morali proximae*, redemptio generis humani tribui debet. [1] Nil mirum igitur si Patres et Scriptores Ecclesiae,

[1] Contra hanc conclusionem, cl. P. Lennerz haec scribebat: « Cooperatio ad opus alterius potest esse *immediata*, vel *mediata*, prout scilicet actio cooperantis pro immediato obiecto habet

B. Virgini *redemptionem mundi* cum omnibus suis effectibus — prout inferius videbimus — *simpliciter* tribuant: quod logice facere non potuissent si B. Virgo modo tantum remoto et indirecto Redemptioni cooperata fuisset. [1]

Animadvertendum bene est maternitatem B. Virginis, a qualibet alia maternitate omnino distingui. Dum enim quaelibet alia mater nihil scit quid facturum sit filius qui ex illa nascitur, et ideo *existentia* tantum non vero *operationes* eiusdem ei directe imputantur; Beata Virgo, e contra, probe noverat ex verbis Angeli, quid facturus esset filius ex ipsa nasciturus, et ideo Incarnationi redemptivae *consentiens*, nedum *existentia sed etiam operationes* eiusdem, seu *redemptio* ipsa, ei directe imputabantur.

Nuper tamen, P. Lennerz, primus omnium, prout videtur, consequentem necessitatem consensus B. Virginis negavit. Asserit enim quod B. Virgo « libere consensum dedit ut Mater Redemptoris fieret; NULLUM *autem habetur* ARGUMENTUM, Deum ipsam Incarnationem et Redemptionem ita a consensu Beatae Virginis dependentem voluisse, ut sine hoc consensu Incarnatio et Redemptio futura non fuissent » (l. c., n. 275).

Assertio ista valde audax et incredibilis nobis videtur. Necessitas enim consensus virginei *ex ipsa narratione evangelica* — prout iam ostendimus — sat evidenter apparet. [2]

ipsum opus alterius, vel aliquid, quod mediate se habet ad illud opus, aliquid quod illud opus antecedit, media ad illud perficiendum praestat, illud possibile reddit, praeparat. Mediata cooperatio potest esse formalis vel materialis. Exemplum: Aliquis praeparat venenum, quod ex sua intentione servire debeat ad componendam aliquam medicinam; hoc venenum ipsi ab alio aufertur, qui eo utitur ad interficiendum hominem; ille qui venenum praeparavit, de facto aliquid fecit, quod alterum iuvit ad patrandum homicidium, et ita mediate cooperatus est ad homicidium; sed patet hanc cooperationem fuisse mere materialem. Si autem venenum praeparavit ex intentione, ut inserviat alteri ad perficiendum homicidium, cooperatus est mediate quidem, sed formaliter ad homicidium. Hoc exemplum servire potest ad illustrandum cooperationem per *ipsam intentionem non fieri necessario immediatam.* Intentio praeparantis venenum erat homicidium, sed homicidium ab altero immediate efficiendum. Revera intendit homicidium, et ex hac intentione procedit ad praeparandum venenum. Sed id quod ex hac intentione immediatae operatur, non est ipsum homicidium, sed praeparatio veneni; ita alteri parat medium, quo ei possibile sit homicidium; sua autem operatio non attingit immediate actum homicidii, quem alter posuit, et sic cooperatur ad homicidium formaliter quidem, sed mediate. Simili modo, si ipse homicida praeparat venenum ad interficiendum hominem, hac actione praeparandi venenum non immediate operatus est homicidium » (in *Gregorianum*, 1941, pp. 311-312). At cl. Professor confundere videtur, ut patet, *operationem* homicidii cum *cooperatione* ad homicidium.

[1] Ex hac idea ad ideam *meriti universalis* Deiparae relate ad *omnia* beneficia redemptionis, facilis est transitus. Et de facto S. Bernardinus Senensis scribere non dubitavit: « Virgo Beata in conceptionis Filii Dei *consensu* plus *meruit* quam omnes creaturae, sive Angeli sive homines, in cunctis suis actibus, motibus et cogitationibus » (*De Immaculata Concept.*, sermo 4, a. 3, c. 1, IV, 87[a]). Et quidem iure. Ab illo enim consensu, sicut et a morte Redemptoris, omnia redemptionis beneficia Deus pendere voluit.

[2] Cfr FRÉNAUD G., *Maternité divine et Maternité de grâce*, in *Rev. Thom.* 45 (1939) 683.

Insuper *universa christiana traditio* talem necessitatem admittit. Patres enim Ecclesiaeque Scriptores, a primis Ecclesiae saeculis usque ad dies nostros, unanimiter docent[1] consensum Virginis necessarium fuisse ad Incarnationem et Redemptionem executioni mandandam. Quidam textus tantummodo hic afferuntur:

S. Irenaeus: « *Necesse* et dignum erat, rursus perficere Adam in Christo ... et Evam in Maria: ut Virgo ... solveret et destrueret virgineam obedientiam per virgineum obsequium » (*Demonstratio apostolicae praedicationis*, 33. Ex Armeno vertit S. Weber, Frib. Brisg., 1917, pp. 59-60).

S. Ephraem, verba haec in ore Angeli ponit: « Mulierum benedictissima ... Stupefaciet tua agendi ratio, si tuo responso *irritum facias* nuntium quod tibi affero ... » (ed. Lamy, vol. 2, 600).

S. Proclus Constantinopolitanus haec in ore Verbi ponit. « Adhuc animi pendes... Non vis ut... homo in terris hominum causa fiam? Non vis ut per uterum tuum patrum tuorum promissa impleantur? Non vis inobedientiam mulieris, mulieris vicissim obedientia compensari? » (PG 65, 746 s.).

S. Petrus Chrysologus. « Audistis hodie ... angelum cum muliere de hominibus reparatione tractantem. Audistis agi, *ut* homo cursibus eisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, *quia* cum Eva angelus egerat de ruina » (PL 52, 579). « Particulae, *ut*, *quia* — animadvertit P. Bover — significant Dei voluntatem adhibendi principium *recirculationis*: ad quod Dei consilium exequendum necessarius erat Virginis consensus. In eumdem sensum poterant nota verba Tertulliani afferri, quibus *recirculationis* principium significanti illa formula effert: " Deus imaginem ... suam ... *aemula operatione recuperavit* "; quod principium dicit fuisse applicandum, « ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem » (l. c., p. 20 s.).

S. Eleutherius Tornacensis: « Quia periclitabamur per primae mulieris inoboedientiam, *oportebat* ut salvaremur per feminam » (PL 65, 94).

Pseudo-Augustinus: « Responde iam, Virgo sacra: vitam quid tricas mundo? Assensum tuum angelus praestolatur ... Est nobis [in caelum] aditus, si assensus tuus fuerit commodatus .... Fides tua modo aut aperit caelum aut claudit » (PL 39, 1896).

S. Petrus Damianus: « Evocatur statim caelestis ille conventus, et iuxta prophetam init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum angelis, de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus et mirantibus prae gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur, et *per ipsam et in ipsa et de ipsa et cum ipsa totum hoc faciendum* decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit... Traditur epistola Gabrieli ... » (PL 144, 558-559).

[1] Permulti textus circa hoc argumentum collecti fuerunt nuper a cl. P. Bover in art. *Cooperatio remota in ordine physico ad obiectivam redemptionem*, in *Analecta sacra Tarraconensia*, vol. 13, 1937-1940, fasc. 1, pp. 20-29. Non omnes tamen textus ibi adducti nobis probativi videntur. Plures alii textus, insuper, adduci potuissent.

S. Bernardus, Virginem ita alloquitur: « Expectat angelus responsum, tempus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce *offertur tibi pretium redemptionis nostrae*; statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur; in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc ceteri flagitant Sancti Patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi. Ipse quoque omnium rex et Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum, in quo nimirum proposuit salvare mundum » (PL 183, 83-84).

Auctor Bibliae Marianae: « Deus nonnisi consensu Mariae nostrae salutis opus operatur: quem consensum angelus praeparavit » (*Ev. sec. Luc.*, n. 1).

Raymundus Iordanus: « Bene dixisti: *Fiat mihi secundum verbum tuum*... Nec incarnatum in te fuisset Verbum Patris, nisi verbis angelicis consensisses » (*Contempl. de B. Virgine*, p. 8, contempl. 7, n. 3).

Nicolaus Cabasilas: « Si vero [Virgo] non credidisset vel non consensisset, voluntas Dei pro nobis ad effectum prodire non potuisset. Quemadmodum enim sine illis tribus [Trinitatis personis] consilium hoc prodire non poterat, ita etiam, Immaculata consensum et fidem denegante, propositum ad effectum adduci impossibile erat ... » (*Patrol. Orient.* Graffin-Nau, 19, 487 s.).

Isidorus Thessalonicensis: « Cum enim Deus, quandoquidem lapsurum Adam non ignorabat, numquam eum creaturus fuisset, nisi simul eiusdem reparationem praeordinasset; haec autem medela ab illa prorsus Immaculata *penderet* ... » (PG 139, 103).

Item tenent B. Fidatus de Cassia (*in Evangelia*, l. 2, c. 11), S. Laurentius Iustinianus (Serm. *In Annunt. B. M. V.*), S. Antoninus (*Summa*, p. 4, tit. 15, c. 8, § 2), Dionysius Carthusianus (*De praecon. et dignit. Mariae*, 1, 27), S. Thomas a Villanova (*In Annunt. B. M. V.*, conc. 4), S. Bernardinus Senensis (cfr Folgarait, *La Vergine bella in S. Bernardino da Siena*, pp. 316-320), Ambrosius Spiera, O. S. M. (*Quadragesimale de floribus sapientiae*, serm. 6; serm. 14), S. Petrus Canisius (*De Maria Virg. incomparabili*... 33, 1), S. Alfonsus M. de Ligorio (*Le glorie di Maria*, p. 2, serm. 4, punct. 1).

Inter Theologos recenseri merentur I. B. Novati (*De Eminentia Deip.*, t. 1, c. 8, q. 38, 189), Theophylus Raynaud (*Dypticha Mariana*, p. 1, punct. 4, n. 3), Contenson (*Theol. mentis et cordis*, l. 10, diss. 6, c. 10), Billuart (*De myst. Chr.*, diss. 1, art. 6), Trombelli (*Mariae SS. vita ac gesta*, diss. 11, q. 1, n. 9), Sedlmayr (*Scholastica Mariana*, p. 2, q. 2, n. 1005), Salmeron (*Comm. in Evang. hist. et Act.*, t. 3, tract. 9, Col. Agripp., 1612, p. 75), Maldonatus (*In Luc.* 1, 38, n. 149), Toletus (*In Luc.* 1, annot. 112), Del Rio (*In Cant.*, c. 8, sect. 9, vers. 13), Card. Lépicier (*Tractatus de B. M. V.*, ed. 5, p. 4, n. 1), Janssens Laur. (*Summa Theol.*, t. 5, p. 2, sec. 1, membr. 1,

q. 30, a 6, 1), MUNCUNILL (*Tract. de Verbi div. Incarn.*, n. 1250), BILLOT (*De Verbo Incarn.*, thes. 45), HURTER (*Theol. dogm. comp.*, 22, n. 578), LERCHER (*Instit. Theol. Dogm.*, 3, n. 383) etc.

Ex hac expositione, quamvis incompleta, evidenter apparet falsitas assertionis P. Lennerz: « NULLUM HABETUR ARGUMENTUM ... » (ad probandam necessitatem consequentem consensus Deiparae).

Sed insistit P. Lennerz: « Nullum porro habetur indicium affirmandi Deum B. Virgini solum proposuisse, ut si ei placeret et si vellet, fieret Mater Christi; sed Deus voluit, ut libere Mater Dei fieret, et B. Virgo huic voluntati divinae sese subiicere debuit, humiliter sese subiecit et oboedivit. Propterea Patres hanc Virginis oboedientiam adeo celebrant » (n. 275). Consensus igitur B. Virginis, iuxta P. Lennerz, nihil aliud fuit nisi *actus oboedientiae*, Deo *debitae*, cuius actus sufficiens ratio non iam in fine quodam a Virgine intento (seu, in redemptione mundi) sed in *praecepto* a Deo imposito inveniri debet. Consequenter, consensus Virginis, non fuit cooperatio moralis, neque remota ad redemptionem obiectivam.

At, contra hanc obiectionem plura dici possunt, videlicet:

1) Deus — prout ex ipsa narratione S. Lucae et ex universa Traditione apparet — B. Virgini, per angelum nullimode *praeceptum* aliquod imposuit, sed *beneplacitum suum* solummodo manifestavit.

2) Etiam dato et non concesso quod Deus B. Virgini verum *praeceptum* imposuisset, oboedientia praecepto debita nullimode impedit quod finis (in casu nostro redemptio generis humani) a Superiore intentus, a subdito etiam intendatur, quinimmo, perfecta obedientia hoc postulat. De cetero, Christus etiam, iuxta plures gravesque Theologos, verum *praeceptum* a Patre habuit relate ad opus redemptionis nostrae, quin ex hoc valor moralis seu redemptionis meritum in discrimen revocetur. Ex hoc igitur quod consensus Virginis sit *actus oboedientiae*, nihil deduci potest contra cooperationem eiusdem ad opus redemptionis, deduci potest potius contrarium, videlicet: eatenus consensus Virginis ad opus Redemptionis est cooperatio moralis ad redemptionem obiectivam, quatenus est *actus oboedentiae*. Non docet, forsan, Apostolus, de Christo agens, quod « per unius oboeditionem, iusti constituentur multi? » (Rom. 5, 19). A pari de Virgine dici potest; et de facto Patres oboedientiam Virginis inoboedientiae Evae opponere solent, quemadmodum Apostolus oboedientiam Christi inoboedientiae Adae opposuerat.

Praecipua vero ratio necessitatis consensus B. Virginis, ex hoc deduci solet quod consensus erat *repraesentativus*, seu a Virgine exhibitus tamquam a repraesentante naturae humanae dum haec, tamquam sponsa (et ideo in actu ipso in quo redimebatur) a Verbo ipso assumeretur. Audiatur Angelicus: « Congruum fuit B. Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura ... ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam: et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae » (III, q. 30, a. 1, c.). Frequenter (non vero *interdum*, prout vellet P. Lennerz) tali modo consensus Virginis exhibetur. Ita enim exhibetur a S. Ephraem (ed. Lamy, c. 5, 974-978), a. S. Bonaventura (Serm. 4 *De Annuntiat.*, Op. 9, 669 ss.), a S. Thoma (l. c.), a S. Roberto Bellarmino (Super *Missus est*, q. 30, a. 1), a Novato (*De Eminentia Deip.*, t. 1, c. 8, p. 189), a S. Laurentio

a Brundusio (*Mariale*, Patavii, 1928, p. 109) etc. Iure igitur Leo XIII, Angelici sententiam de Virginis consensu repraesentativo « illustrem verissimamque » appellabat (Encycl. *Octobri mense*, 22 sept. 1891, *AAS*, 24, 195). [1]

At, ex hac etiam sententia, nulla Virginis cooperatio ad redemptionem, iuxta P. Lennerz, sequeretur. « Si ita res concipitur — inquit — vix habetur opus *mediationis* proprie dictum. Sed Maria ut repraesentans alterius partis extremae consensum dedisset, ut reconciliatio per mediatorem fieret. Sicuti Deus volendo reconciliationem cum genere humano per mediatorem Christum non est mediator, ita neque B. Virgo nomine generis humani consentiens, ut tali modo reconciliatio fiat, sensu proprio dici potest Mediatrix: Utraque pars extrema et unienda consentiret in eo quod per Christum mediatorem reconciliatio fieret » (n. 275).

Duplici ergo ratione, iuxta P. Lennerz, consensus repraesentativus B. Virginis non posset dici cooperatio ad redemptionem, videlicet: 1) quia B. Virgo, genus humanum repraesentans, non esset *media* inter duo extrema, sed esset (sicut Deus) unum ex duobus extremis; deficeret ergo medietas *ontologica*; 2) quia in tali casu non ipsa B. Virgo perfecisset reconciliationem nostram cum Deo, sed consensum tantummodo dedisset ad hoc ut reconciliatio nostra cum Deo a Christo perfecta fuisset.

At prima ratio a P. Lennerz adducta non videtur valere. Si enim valida fuisset, neque Christus Mediator appellari posset, cum, utpote verus Deus et verus homo, identificetur aliquo modo nedum cum una sed cum utraque parte seu cum duobus extremis coniungendis. Et tamen, hoc minime impedit quin *Mediator* reconciliationis dici valeat.

Secunda etiam ratio minime valere videtur. Si enim ratio illa valeret, negare deberemus B. Virginem vocari posse Mediatricem quatenus gratias omnes distribuit, inter quas habetur etiam gratia actualis reconciliationis hominis cum Deo, quae non efficitur a Deipara sed ab ipsa tantummodo impetratur. Et tamen, etiam in hoc casu, B. Virgo, ab ipso P. Lennerz, et iure quidem, vera Mediatrix appellatur. Quapropter, quemadmodum ob cooperationem efficacem (per impetrationem) elargitioni omnium gratiarum B. Virgo *Mediatrix appellatur*, ita etiam ob cooperationem efficacem (per necessarium *consensum* in Redemptorem *qua talem* seu in ipsam redemptionem), vera *Mediatrix* reconciliationis nostrae cum Deo appellari potest.

B) De cooperatione Deiparae ad consummationem operis Redemptivi (in Passione et Morte Redemptoris).

Actiones omnes Verbi Incarnati, a primo usque ad ultimum vitae momentum, ad redemptionem generis humani ordinatae fuerunt, non tamen, ob liberam Dei dispositionem, independenter a morte in Cruce. Sic, e. g., quamvis omnia et singula consecrationis verba a Sacerdote prolata in transubstantiationem specierum eucaristicarum influant, transubstantiatio tamen non peragitur nisi cum Sacerdos ultimum formulae verbum iam pronuntiaverit. Ita, quamvis omnes et singulae actiones Verbi Incarnati in redemptionem nostram influxum exercuerint, ipsa

[1] Cfr Bover I., « *Tamquam sponsus procedens de talamo suo* » (Ps. 18, 6), in *Estudios Eclesiásticos*, 4 (1925) 59-73.

tamen redemptio, ex libera Dei dispositione, antequam Christi mors haberetur, perfecta non fuit. Mors igitur Christi in cruce, fuit, ex Dei decreto, necessarium complementum pro reconciliatione nostra. Bene tamen, animadvertendum est, mortem in cruce, seu hunc ultimum actum Redemptionis nostrae ex ipso primo actu eiusdem, seu ex Incarnatione redemptiva logice et necessario fluxisse. Iamvero, sicut B. Virgo cooperata erat *initio* redemptionis nostrae, per suum hypothetice necessarium consensum in Incarnationem redemptivam ut talem, ita cooperata etiam est *consummationi* redemptionis seu sacrificio Crucis et Victimae immolationi.[1] Cooperatio haec ex ipso consensu in Incarnationem redemptivam et consequenter in ipsam redemptionem nostram exhibito, logice et necessario fluebat. Consensus enim eius usque ad *crucis sacrificium*, inclusive, sese extendebat, eo quod Verbum — prout iam vidimus — noluit pro nostra salute hunc mundum ingredi ad semetipsum sacrificandum absque praevio et libero futurae suae Matris consensu. Voluit proinde ut ex illo Virginis consensu ipsum eius crucis sacrificium, in ordine executionis, penderet, iuxta illud S. Bernardini Senensis: « hoc fuit consentire in Crucifixum seu crucifigendum et in pretium superabundae satisfactionis omnium peccatorum, et in meritum et impetrationem ac mediationem reparationis omnium electorum, ex se et intra se formandum et suscipiendum» (*De consensu Virginis*, sermo 8, a. 1, c. 1, 4, 102).[2]

Cooperatio haec seu activa Virginis participatio sacrificio crucis et immolationi Victimae redemptricis, sobrie quidem at sufficienter exprimitur verbis illis S. Ioannis: « *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius ... Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua* » (Io., 19, 25-27).

[1] Animadvertendum est quod consensus a Virgine praestitus in die annuntiationis, vi cuius *interne* Filium suum morti obtulit, renovatus est et quidem *publice* ab ipsa Virgine in die purificationis cum Filium suum Deo in Templo obtulit (Lc., 2, 23-32). Publica illa *obla tio* in templo peracta, *immolationem* Victimae in Golgotha peragendam praecedebat, tamquam Offertorium magnae Missae ibidem celebrandae. Inter oblationem illam et immolationem crucis nexus intimus aderat, quem bene perspexit Simeon cum ad Mariam conversus, antequam ipsa Filium offerret, dixit: « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius » (Lc. 2, 34-35). In *oblatione* (sive *privata*, seu in momento Incarnationis, sive *publica*, seu in momento mortis) socii, Iesus et Maria, Redemptor et Corredemptrix socii etiam in *immolatione* esse debebant. Tali modo, una cum pluribus Ecclesiae Scriptoribus, interpretatus est ritum purificationis Leo XIII in Encycl. *Iucunda semper*: « Ut semel *hostiam* Deo Patri *ritu publico* tradat, vult ipse in templum afferri; *ministerio autem Matris ibi sistitur Domino* ».

[2] Hoc explicite docuit S. Laurentius Iustiniani scribens: « Ante crucem adstans, caelesti Patri divinum Filium offert enimvero auctoritate materna, cuius Deus consensum exigit. Iesus, pro nobis moriens, nos fratres adoptat; Maria suum Filium pro nobis immolans, nos Filio Iesu fratres donat, suosque filios adoptat. Hoc igitur *Fiat* immolationis, quod Virgo ex toto corde supra Golgotham pronuntiat, alteri *Fiat* incarnationis respondet, illudque quodammodo complet » (*De triumphali Christi agone*, c. 18, ad fin., et sermo *In Annuntiat.*, ad med.).

« *Stabat iuxta crucem Iesu* ». Duo hic bene animadvertenda veniunt, videlicet: ipsa Virginis *praesentia* iuxta crucem, et *modus* ipsius praesentiae. *a*) *Praesentia Virginis*. Cur enim B. V. iuxta Crucem stetit? ... Ut *levaret*, forsan, Filii sui ineffabiles cruciatus? ... Minime! Quin immo, suis ineffabilibus cruciatibus Ipsa — ut bene noverat — cruciatus Filii sui quam maxime augebat. Ut Illi, forsan, quoddam *auxilium* in illa hora tenebrarum ferret? ... Neque hoc: sciebat enim, persecutorum atrocitate, se Illi nullum afferre posse auxilium ... Quare ergo? ... Stetit ibi officio coacta (spinta dal dovere) i. e., ut Filium suum pro salute totius mundi, quantum ad se pertinebat, immolaret, sicut pro salute totius mundi illum in lucem ediderat; ut sacrificium suum sacrificio Filii sui coniungeret.

b) Et ipse *modus* suae praesentiae iuxta Crucem hoc confirmat. Quamvis, enim, iuxta Crucem Filii ineffabili dolore fuerit oppressa, ipsa tamen, ut ait Evangelista, *stabat!* ... *Stabat* veluti Sacerdos sacrificium pro tota humanitate Deo offerens! ... « *Stabat* — ait S. Antoninus — *beata Maria, firma, voluntati Dei conformans se* ». Hinc etiam Ipsa, Mater Iesu terrestris — sicut Pater eius caelestis — tunc « *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit* » (i. e. immolavit) *illum* » (Rom., 8, 32).

Duo igitur, in verbis S. Ioannis exprimuntur: *praesentia* iuxta crucem et *modus* praesentiae. Sed ulterius dicitur:

« *Mater eius* ». Verba haec rationem reddunt sive Virginis iuxta crucem *praesentiae*, sive *modi* praesentiae. In Victima enim quae pro totius mundi salute immolabatur, aliquid ipsius Virginis inveniebatur, sanguis nempe qui effundebatur in remissionem peccatorum, quique ex purissimo corde eius, ipsa sciente et volente, olim profluxerat. Relate ad Victimam illam infiniti valoris, B. Virgo vera *iura materna* habebat.[1] Deus enim, B. Virginem *Matrem Redemptoris qua talis* constituens, libere ei conferebat, relate ad illum, illa eadem *iura realia* quae a qualibet matre relate ad proprium filium habentur. Constituens igitur Deus tamquam pretium Redemptionis, Incarnationem et mortem Redemptoris *prout illum nobis dare voluit*, quatenus nempe *Mariae filium*, salutem nostram ex immolatione Victimae derivare disponebat erga quam duo, Iesus nempe et Maria, realia iura, indissolubiliter coniuncta, habebant;[2] iuribus istis (i. e. vitae humanae Filii sui) libere abdicando (inde a primo instanti Incarnationis redemptivae) sicut Iesus propriis iuribus (in propriam suam vitam humanam) abdicando (inde a primo eius ingressu in hunc mundum), B. Virgo partem quodammodo habebat in constitutione perfecta victimae sacrificii redemptivi, aliquid sui quo-

[1] Hoc fuse et perpulchre exposuit cl. LEBON in op. *La Doctrine de la Médiation Mariale*, Extrait des *Ephem. Theol. Lov.*, 1939, t. 16, fasc. 4, pp. 655-744.

[2] Ita Benedictus XV: « Ita cum Filio patiente ac moriente passa est et pene commortua, *sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit...* » (*Inter Sodalicia*).

dammodo praebens, et ita acquisitioni meriti redemptivi realiter aliquid conferens. Unitas Victimae, unitatem sacrificii et ideo meriti redemptivi constituit. Uterque abdicationis actus (Christi nempe et Deiparae) est procul dubio *distinctus*, utpote personalis; intime tamen et indissolubiliter connectitur dupliciter, videlicet: *a*) *ratione unius eiusdemque decreti divini* utrumque actum sapientissime exigentis; *b*) *ratione unius eiusdemque finis* ad quem uterque actus fuit ordinatus, gloriam nempe Dei per redemptionem mundi. Et ita, maternitas divina fuit veluti *medium* a Deo electum et in actum deductum quo Iesum et Virginem univit ad efformandum *unicum principium totale* nostrae salutis. Ita etiam, maternitas divina fit veluti *signum* certissimum quo associatio Christi et Deiparae in opere nostrae salutis, nobis aperte innotescit.[1] B. Virgo, igitur, stans iuxta crucem tamquam *Mater Victimae*, et materna sua iura erga Victimam abdicans (seu melius, abdicationem in ipso instanti Incarnationis iam peractam, sua praesentia confirmans) pro aeterna salute generis humani, Filium suum, quantum ad se pertinebat, immolabat, et consequenter generis humani *Corredemptrix* fiebat.

Quae hucusque commentati sumus, ex verbis subsequentibus Evangelistae confirmationem accipiunt, videlicet:

« *Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulus quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua* » (Io., 19, 25-27).

Hisce enim verbis, iuxta interpretationem magisterii ecclesiastici — prout infra plene videbimus — solemnis *promulgatio* maternitatis spiritualis B. Virginis continetur, et consequenter solemnis *promulgatio* cooperationis immediatae B. Virginis redemptioni obiectivae, quae cooperatio, *quoad naturam*, cum spirituali maternitate identificatur, eo quod utraque *in prima collatione vitae supernaturalis*, seu in prima acquisitione gratiae conveniunt. In illo igitur eodem instanti in quo hominum redemptio a Christo et Maria operabatur, eorum etiam regeneratio vitae supernaturali gratiae, per Adae et Evae peccatum amissae, operabatur.[2]

Ex hucusque dictis sat clare, ni fallimur, apparet quomodo in S. Scriptura sive Veteris sive Novi Testamenti, rite interpretata, B. Virgo tamquam cooperatrix immediata exhibeatur operi redemptionis, seu tamquam vere et proprie *Corredemptrix*.

[1] Hisce positis, sufficienter apparet quomodo munus Corredemptricis non iam simplici *convenientia* sed *necessitate consequente* a maternitate divina in concreto sumpta derivetur.

[2] Intimum necessariumque nexum inter spiritualem Virginis maternitatem et cooperationem immediatam ad opus redemptionis aperte exprimit Leo XIII in Encycl. *Iucunda semper* ubi ait: « Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, quae tacta in nos caritate immensa, *ut susciperet filios*, Filium suum *ultro obtulit iustitiae divinae* cum eo commoriens corde doloris gladio transfixa ».

III. Argumenta ex Traditione [1]

Traditio circa hanc quaestionem, nobis luculentissima apparet, et constituitur: 1) ex testimoniis Patrum; 2) ex testimoniis Theologorum.

I. **Testimonia Patrum.** B. Virgo exhibetur a Patribus *A*) tamquam *nova Eva*, eidemque *B*) *omnes redemptionis effectus immediate tribuuntur.*

A) B. Virgo ab antiquissimis Patribus, inde a primis Ecclesiae saeculis, exhibetur tamquam nova Eva seu Corredemptrix, prioris Evae restauratrix.

Haec, imo, fuit prima idea quam de B. Virgine primitiva Ecclesia habuit. Idea haec sat probabiliter orta est ex Protoevangelio in quo mulieri a diabolo victae, substituitur a Deo mulier diaboli victrix. Orta etiam est, sat probabiliter haec idea ex noto parallelismo Paulino inter veterem Adam in quo omnes mortui sunt et novum Adam (Christum) in quo omnes vivificati sunt. At, Adam non fuit solus in opere nostrae ruinae, et sociam peccati habuit Evam. Parallelismum igitur Apostoli veluti complentes, veteres Ecclesiae Patres scripserunt: «Sicut in Adam et Eva omnes moriuntur, ita in Christo et in Maria omnes vivificantur».

Primus, inter Patres, qui antithesim instituit inter Evam et Mariam, fuit S. Iustinus (103-165).

En eius verba: «Et cum eum Filium Dei esse ... legamus, et Filium Dei dicimus illum et esse intelligimus ... et ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim cum Virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti Angelo Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum, et virtutem Altissimi ei obumbraturam, ideoque id quod nasceretur ex ea sanctum esse Filium Dei, respondit: "Fiat mihi secundum verbum tuum". Ex hac ille genitus est, ... per quem Deus serpentem, eique assimilatos angelos et homines profligat» (*Dialog. cum Tryphone*; n. 100, PG 6, 709-712).

In verbis istis, varia elementa parallelismi antithetici patent: 1) Eva Virgo — Maria Virgo; 2) Eva credit et obedit serpenti — Maria credit et obedit Angelo Gabrieli; 3) Eva, vi suae incredulitatis et inobedientiae, fit mater peccati et mortis pro omnibus — Maria, vi suae fidei et obedientiae fit mater eius qui serpentis opus destruxit et credentes a morte liberavit.

Parallelismum hunc magis evolvit S. Irenaeus Ep. Lugdunensis (120-200), aequalis S. Iustini, discipulus S. Polycarpi qui, sua vice, discipulus fuerat

[1] Cfr Sola F., S. I., *La Corredención de María en la Tradición Patristica*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 61-69.

S. Ioannis. Est igitur testis Ecclesiae Orientalis ex qua provenit, Romanae, in qua commoravit et Gallicae cuius fuit apostolus. In libro *Adversus Haereses* scribit: « Consequenter autem et Maria Virgo obediens inventa est, dicens: Ecce Ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum. Eva vero inobediens: non obedivit enim adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens... *inobediens* facta, et sibi et universo generi humano *causa facta est mortis*; sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen Virgo, *obediens* et sibi et universo generi humano *causa facta est salutis*... Sic autem et Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit Virgo Eva, per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem » (*Contr. haer.*, l. 3, 22; HARVEY, 2, 123-124).

Et in libro 5 eiusdem operis, capite 19, scribit: « Quemadmodum enim illa per angeli sermonem seducta est ut effugeret Deum, praevaricata verbum eius, ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et si ea inobedierat Deo, sed haec suasa est obedire Deo, uti *virginis Evae Virgo Maria fieret advocata*. Et *quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur* per Virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam » (l. c. l. 5, 19, 375-376). Affinis ideae *recapitulationis* a S. Irenaeo propositae, est idea *aemulae operationis* a Tertulliano illustrata.

TERTULLIANUS (160-240), priusquam Montanista fieret, Ecclesiae Africanae et Romanae testis, in libro « De carne Christi, 17 », scripsit: « Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam, *aemula operatione* recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis. In virginem aeque introducendum erat Dei Verbum extructorium vitae, ut quod per huiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur ad salutem. Crediderat Eva serpenti; credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit » (PL 2, 782). [1]

[1] Ideae *recapitulationis* et *aemulae operationis* ex ipso Protoevangelio eruuntur. « Attende perfidiam serpentis, et vide qualiter se habuerit innodatio eius. Non mulierem, sed virum suis retibus illaqueare intendebat; quippe solus vir constitutus erat totius suae progeniei caput in ordine ad conservanda naturae innocentis dona. Non tamen recta perrexerat diabolus ad scopum, sed quaesierat *mediatricem* mulierem, quam sciebat deceptioni magis obnoxiam, viro item suo familiarissimam, ac per hoc magis idoneam quae eum sin minus seductione, at certe precibus et blanditiis in peccatum attraheret. Mulierem igitur adulatione et simulata benevolentia adierat, promittens ei consortium et communicationem cum superioribus spiritibus (nam, deorum nomine hic veniunt spiritus scientia praepollentes), si modo vetitum pomum ederet. Tum deinde, per seductam mulierem, suggestionem suam extenderat usque ad Adam, in quo peccante omnes peccaverunt. — Vide nunc, qualiter huic calliditati e regione opponatur consilium Dei reparantis: *Quia*, inquit, *fecisti hoc..., inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum*. Quid est, *quia fecisti hoc*? Id est: quia fallacem cum muliere Eva simulasti *amicitiam*, societatemque inivisti ex qua fausta accepisti auspicia

Post S. Iustinum, S. Irenaeum et Tertullianum, Patres scriptoresque Ecclesiastici qui in B. Virgine *novam Evam* vident, veteris Evae restauratricem, numerari non possunt.

Ex textibus hucusque allatis evidenter apparet B. Virginem, in ordine reparationis a Dei sapientia aeternaliter statuto, locum illum tenere quem tenuit Eva in ordine praevaricationis a diabolo callidissime statuto, ita ut totius redemptionis nostrae ratio in quadam recirculatione contra satanam et in quadam aemula Dei operatione consistere dicenda sit. Maria — iuxta unanimem consensum Patrum — est *secunda Eva*, priori totaliter opposita. Ex hoc autem principio triplex derivatur conclusio ab omnibus admissa, videlicet:

1) Quemadmodum prima Eva *partem* habuit *activam* in opere praevaricationis, ita nova Eva, Maria, *partem* habuit *activam* in opere redemptionis: socia praevaricationis prima, socia restaurationis secunda.

2) Quemadmodum pars activa Evae in opere praevaricationis fuit *secundaria* et *subordinata* activitati Adae, ita ut sine opere Adae inutilis omnino evasisset opera Evae, ita pars activa Mariae, novae Evae, in opere restaurationis, fuit *secundaria* et *subordinata* activitati Christi, ita ut sine opere Christi omnino inutilis evasisset opera Mariae.

triumphi, ideo ego alteram suscitabo mulierem, mulierem prae omnibus eminentem, quam inter et te verissimas firmabo inimicitias, ut quantum tibi prima extitit favorabilis et propitia, tantum altera infesta sit ac funesta, et quanto facilius per mulierem unam adeptus es victoriam, tanto ignominiosius per mulierem alteram profligeris. Quid est iterum, *quia fecisti hoc*? Id est: Quia per mulierem deceptam tamquam per instrumentum et opportunam mediatricem, humanum genus in suo capite Adam semen tuum effecisti, ideo ego per mulierem alteram alterum suscitabo semen, hominum redemptorem nec non et caput in ordine gratiae; ipse factus ex muliere et mediante muliere mundo datus, conteret tibi caput, hoc est, plenum de te et de portis inferi et de iis qui in semine tuo propter neglectum redemptionis beneficium remanebunt, triumphum reportabit. Haec igitur vis est, haec ratio sententiae a Deo in diabolum latae ». Ita Billot, *De Verbo Inc.*, pp. 357-58, ed. 3, 1900.

Eadem, igitur, ordine inverso, in praevaricatione et in redemptione habentur. In praevaricatione enim haec habemus: 1) *Angelus* malus Evam veluti instigat consensum in malum postulando; 2) *Eva*, libere consentiendo inobedienter, deducit virum suum (amore erga Sociam captum) in ruinam et sic dat mundo *Auctorem* ruinae (i. e. peccati et poenae peccati, videlicet, mortis); insuper 3) *Adam*, socia cooperante in ipso ruinae opere, perdit genus humanum eo quia peccatum originale in omnes eius posteros, per carnalem generationem, cum ipsa humana natura traducitur. Et ita tandem 4) diabolus *victor* fuit.

In redemptione vero, haec eadem, ex opposito, inveniuntur, videlicet: 1) *Angelus* bonus B. Virginem veluti instigat, consensum in incarnationem redemptivam postulando; 2) B. Virgo libere consentiendo obedienter, Verbum Dei (amore sui veluti captum) e coelo deducit, et ita dat mundo Redemptorem, seu reparationis auctorem (i. e. gratiae et resurrectionis); insuper 3) novus Adam, Socia cooperante in ipso reparationis opere, salvat genus humanum per eiusdem regenerationem. Et ita tandem 4) diabolus *victus* est. Attamen sicut vetus Adam sine socia victus non fuit, ita novus Adam, sine socia, diaboli victor esse noluit.

3) Quemadmodum pars activa Evae non fuit tantummodo physica et materialis sed *moralis* et *formalis*, eo quod libere consensum praestitit suggestioni serpentis, *sciens* et *volens* nostram ruinam, ita pars activa Mariae non fuit tantum physica et materialis, sed etiam *moralis* et *formalis*, eo quod libere consensum praestitit angelo, redemptionem generis humani proponenti, *sciens* et *volens* nostram salutem.

Triplex haec conclusio negari omnino nequit, et de facto, prout nobis videtur, minime negatur. Dissensus inter theologos incipit cum quaeritur: Pars activa Mariae (secundaria et subordinata, moralis et formalis) dici ne potest cooperatio *immediata* ad opus redemptionis obiectivae?... Huic quaestioni, quidam *negative* respondent. Ratio vero quam afferunt, semper eadem esse videtur, videlicet: *ex contextu* verborum SS. Patrum evidenter apparet cooperationem Mariae ad opus redemptionis ad *donum Redemptoris* circumscribi (qui postea *solus*, absque ulla dependentia a cooperatione sive antecedente sive concomitante Deiparae, nos redemit). « Eo quod libere facta est Mater Redemptoris donavit nobis vitam, facta est vere mater viventium. Ulterius autem ipsi Patres comparando Mariam cum Eva progressi non sunt; si quis ergo putat, ex hac comparatione ulteriores fieri posse deductiones, istae dici non possunt doctrina ipsorum Patrum ». Ita P. Lennerz,[1] Rivière, Goossens etc.

At plures alii (inter quos Lebon, Bover, Bittremieux etc.) *affirmative* respondent. Et iure quidem. Celeberrimus enim parallelismus inter Adam — Evam et Christum — Mariam sat aperte exprimere videtur cooperationem *directam* et *immediatam* in secundis (Christus-Maria). Sicut enim Adam et Eva — iuxta notum parallelismum — *unum* (moraliter) *totale principium* constituunt nostrae ruinae, ita ut ruina nostra, de facto, quamvis modo diverso, ab utroque *immediate* procedat; ita, a pari, Christus et Maria, *unum* (moraliter) *totale principium* constituunt nostrae salutis, ita ut salus nostra, de facto, quamvis modo diverso, ab utroque immediate procedat. Sicut Adam et Eva, de facto (et non iam Adam tantum) *immediate* et *directe* nos perdiderunt, ita Christus et Maria immediate et directe nos salvaverunt.

Ratio vero cur etiam activa cooperatio Mariae ad redemptionem (sicut Evae ad ruinam) *directa et immediata* dici potest et debet, desumitur ex conditionibus requisitis (de quibus iam egimus) ad hoc ut *moralis actio* (qualis est consensus) dici possit influere *directe* et *immediate* in aliquem effectum. Actio enim *moralis* (differenter ab actione physica) *directe et immediate* fertur in effectum *praevisum* et *intentum*, etiamsi effectus iste tempore sit valde distans. Iamvero, sive Eva (in praevaricatione), sive Maria (in redemptione) effectum ipsum (i. e. ruinam et redemptionem nostram) et *praeviderunt* et *intenderunt*.[2]

[1] *De B. Virgine*, ed. 2, 1935, p. 164, n. 220.

[2] Notatu digna sunt etiam verba I. Lebon in expositione textuum S. Irenaei: « Tout d'abord... l'action salutaire du Christ et celle de Marie apparaissent étroitement unies et

Nil mirum igitur si Patres, sicut *immediate* tribuerunt ruinam nostram Adae et reparationem nostram Christo, ita pariter *immediate* tribuerunt ipsam ruinam nostram Evae et ipsam reparationem nostram, cum omnibus suis effectibus, Mariae, prout statim, scripta Patrum percurrendo, ostendemus.

B) Patres immediate tribuunt Virgini redemptionem ipsam omnesque redemptionis effectus.

Praecipuos videamus.

S. EPHRAEM (306-373) asserit quod Deus B. Virginem « ex universo caetu virginum elegit *ut nostrae esset salutis instrumentum* » (*Op. Omnia*, ed. Assemani, 3, 607). « Due vergini — ebbe l'umanità — una, cagion della vita, — l'altra cagion della morte: — da Eva spuntò la morte, — ma la vita da Maria ». (Cfr RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, p. 15). « Eva e il serpente scavarono la fossa e vi fecero cadere Adamo: — ma si oppose Maria insieme col Re (suo figlio); — ed estrassero (il caduto), facendolo risalire dal baratro, — per mezzo di un ascoso mistero, che quando fu rivelato die' vita ad Adamo » (l. c., p. 13). B. Virgo dicitur « causa omnium bonorum » (ed. LAMY, 2, 526). « Pro amaro illo fructu quem Eva ex arbore decerpsit, Maria dulcem dedit hominibus fructum. Ecce totus mundus Maria delectatur » (l. c., 522). « Soror vestra Maria evertit arborem, quae mortem intulerat, et dedit fructum omnes vivificantem » (l. c., 530). « Per Evam homo invenit sepulcrum: per Mariam in caelum vocatus est » (l. c., 3, 986). « Gladius... qui sepivit paradisum, tollebatur per Mariam » (Ed. MOESINGER, pp. 28-29). Appellatur, insuper, Deipara: « peccatorum meorum redemptio » (Ed. ASSEMANI, 3, 530), « pretium redemptionis captivorum » (l. c., 546), « revocatio Adami, Evae pretium redemptionis » (l. c., 3, 547), « delictorum remissio » (l. c., 530), « moeroris remissio, captivitatis liberatio » (l. c., 525 et 529), « delictorum solutio » (l. c., 547-548), « propitiatio aberrantium et libera-

associées, comme apparaissent étroitement unies et associées l'action pernicieuse d'Adam et celle d'Eve... Il y eut, de la mort du genre humain, *un seul principe total*, constitué par Adam et Eve; il y a de même, de la vie rendue au genre humain, *un seul principe total*, constitué par le Christ et Marie... Il est un second trait à noter soigneusement... L'efficacité de l'action de Marie, comme celle de l'action d'Eve, est *immédiate* et *universelle*, puisque ces actions sont présentées comme aboutissant directement et sans intermédiaire à la vie ou à la mort de toute l'humanité... Il faut dire que Marie a collaboré immédiatement et parfaitement à la réparation complète operée par le Christ pour tout le genre humain... » (art cit., pp. 140-143).

Frustra conclusionem hanc negat Rivière obiciendo *obedientiam Christi*, quae opponitur inobedientiae Adae, spectare *liberam crucis susceptionem*, id est mysterium salvificum, et *obedientiam Mariae*, e contra, quae opponitur inobedientiae Evae, spectare *liberam susceptionem nuntii* Angeli Gabrielis (art. cit., pp. 99-100). Etenim, obiectum nuntii nonne erat, etiam pro ipsa, Incarnatio *redemptiva* et ideo *crucis susceptio* seu mysterium?... Actiones ergo Christi et Mariae, fuerunt intime unitae ac consociatae *sub eodem respectu*. Conclusioni I. Lebon adhaeret etiam PRZYBYLSKI in op. *De Mariologia sancti Irenaei Lugdunensis*, Romae, 1937, pp. 55-57.

Illa corrupta secuta est seductorem; haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari » (PL 40, 656).

In libro *De Agone Christi* (24) S. Augustinus scribit: « Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur ». « Per mulierem in interitum missi eramus, per mulierem nobis *reddita est salus* » (PL 38, 1308).

S. Epiphanius († 403): « Aliud vero praeterea in utraque, Eva scilicet et Maria, considerari potest, et quidem admiratione dignum: siquidem Eva generi humano causam mortis attulit, *per quam mors est in orbem terrarum invecta*; *Maria vitae causam praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta* » (*Advers. haeres.*, lib. 3, PG 42, 728-729).

S. Proclus († 446): « Natus porro ex muliere est, Deus non nudus, at nec homo purus: natusque eam quae olim peccati porta fuerat, salutis ianuam effecit. Nam, ubi serpens per inoboedientiam ingressus virus effuderat, ibi Verbum per oboedientiam ingressum, vivum sibi aedificavit templum » (Or. I. *de laudibus S. Mariae*, n. 11, PG 65, 682).

Et alibi: « Accurrant matres, eo quod Virgo mater inoboedientiae arborem vitae arbore emendavit. Concurrant filiae, quod inoboedientiae maternae (i. e. Evae) iniuriam, filiae (i. e. Mariae) oboedientia vindicavit » (*Or. in natalem diem Domini*, l. c. coll. 711-712, n. 11).

Moyses Chorenensis († in. saec. v) ita Virginem alloquitur: « O flos mirabilissime, odorem immortalitatis ex Eden fragrans nobis filiis Evae, qua mors per orbem diffusa est; ... te ianuam caeli et viam regni, quae *maledictionem abstulisti*, Seraphim terrestrem magnificamus » (*Laudes et hymni ad SS. Mariae Virginis honorem ex Armeno Breviario excerpta*, ed. Venetiis, 1877, p. 54). Et alibi: « Per *te* sententia condemnationis *deleta est*, et per te peccatrix mater lapsa iterum se erexit » (l. c., p. 19). Unde B. Virgo Maria est revera « *Servatrix* generis humani » (Ibid., p. 56), « *peccati expiatrix* » (l. c., p. 58). Animadvertendum est laudes istas in Ecclesiis sive a pastoribus sive a fidelibus publice recitatas esse.

Theodotus Ancyrensis († ante a. 446): « Pro ea quae ad mortem ministra extiterat virgo Eva, Deo gratissima ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium eligitur: virgo muliebri comprehensa sexu, at muliebris exors nequitiae... Propter te enim cessaverunt Evae tristia; per te perierunt mala; per te abscessit error; per te maledictio abolita; Eva per te redempta » (PG 77, 1427-1428).

Basilius Seulecensis († p. a. 458): « *Ave, gratia plena*, Dei hominumque sequestra constituta, ut inimicitiarum parietes integerrimi convellantur, et caelestia

tio » (l. c., 534). Tandem, B. Virgo, iuxta S. Ephraem, est *Sponsa Dei* in regeneratione, per *reconciliationem*, filiorum Dei: « Domina mea sanctissima Dei genitrix et gratia plena... *Sponsa Dei, per quam ipsi reconciliati sumus* » (l. c., 528).

S. Ioannes Chrysostomus (354-407): « Per quae diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus ipsum superavit. Ea ipsa arma accepit, ac per eadem ipsum prostravit: quomodo autem audi. Virgo, lignum et mors nostrae cladis symbola erant... Iam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriae causa sint. Pro Eva Maria, pro ligno scientiae boni et mali, lignum crucis, pro morte Adami, mors Domini » (*In S. Pascha*, PG 52, 767-768).

In *Exposit. in Ps.* 44 haec habet: « Virgo nos paradiso expulit, per virginem vitam aeternam invenimus. Per quam condemnati sumus, per eam fuimus coronati » (PG 55, 193).

Severianus Gabalitanus († in saec. v): B. Virginem « Matrem Redemptionis » appellat, et asserit Matrem Domini stirpem suam iustificasse et dolorem abstulisse (PG 56, 498).

Aurelius Prudentius († p. a. 405) canit: « cernua femineis — vipera proteritur pedibus... — Omnia Virgo venena domat ». (Cfr Bourassé, *Summa aurea*, t. 5, col. 780).

S. Ambrosius: « Per mulierem stultitia: per Virginem sapientia » (PL 15, 1698). « Per virum atque mulierem caro eiecta est de Paradiso. Per Virginem iuncta est Deo » (PL 16, 1249-1250). B. Virgo concepit « Redemptionem universorum ».

Cirillonas Syrus (saec. iv-vi) modo valde singulari asserit: « Quando apparve la santa Maria, essa restituì il primitivo splendore di quella (Eva)... Il serpente senza piedi paralizzò il passo di Eva. Ma ecco che Maria servì di piede alla sua madre (Eva). La più giovane portò quella più anziana, affinchè questa aspirasse la vita nella sua primitiva dimora. Eva invecchiò e si paralizzò allorchè Maria la generò e divenne di nuovo giovane; poichè la nascita della sua figlia fu quella che riparò la colpa della sua nonna. Eva aveva nascosto nella nostra massa il lievito della morte e del dolore: ma ecco che apparve Maria e lo cacciò via, affinchè non si corrompesse tutta la creazione. Dio nascose le sue onde nella Vergine, la vita scaturì dalla gloriosa (= Vergine); le sue correnti salirono su sopra la montagna ed elevarono gli abissi e le valli di esse » (Ed. Bikell, *Zeitsch. d. Deutschen Morgenl. Ges.*, 27, 1873, pp. 591-592).

S. Hieronymus (331-420): « Mors per Evam, vita per Mariam » (Ep. 22, *De custodia virginitatis*, n. 105, PL 22, 408).

Ps. Augustinus († 430), in libro *de Symbolo ad Catechumenos* (3, c. 4) scribit: « Per feminam mors, per feminam vita: per Evam interitus, per Mariam salus.

terrenaque in unum coaeant » (*In SS. Deip. Annuntiat.*, PG 85, 443). Et post exclamat: « Alvum sanctam, Deique receptricem! In qua disruptum est peccati chirographum » (l. c., 438).

Esychius Hierosol. († 451 c.): « Secunda Virgo (Evae opposita) ex denominatione etiam angelica, miseriam omnem feminei sexus repulit, omnemque tristitiae fontem qui inter pariendum adesse solet, obstruxit...: et lumina laetitiae apud contribules coruscare fecit » (PG 93, 1454). Asserit insuper quod in purificatione B. Virgo « non pro se oblationem, se pro omni humano genere fecit » (l. c., 1470).

Antipater Bostrensis († c. a. 451): « Invenisti gratiam quam perdidit quae primo condita est. Ipsa, cum esset sola, deceptionem admisit; tu vero, dum sola manes, deceptionis solutionem obtinuisti » (PG 85, 1773). « Tu, inquit [Elisabeth], benedicta quae maledictionis portas solutionem » (Ibid.). « Altissimus ipse est, qui unigenitum Filium generavit, et constituit ut e Virgine quoque hic generaretur, quo is qui ab initio per Evam deceptus fuerat, ipse per conceptum Virginis salvaretur » (*In Annuntiat. Deip.*, 6, PG 85, 1781). Dicitur tandem « Virgo... virginis [Evae] lapsum reparans » (Ibid.).

S. Petrus Chrysologus († c. 450) exponit quomodo « Angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam » (Serm. 142, PL 52, 580).

Sedulius Caelius (saec. v) ita Virginis meritum in redemptione extollit: « Unius ob meritum cuncti periere minores, [i. e. posteri Adae] — patuit qua ianua letho: — et qua vita redit, sola fuit mulier » i. e. Maria. (*Elegia*, vv. 4-8, PL 19, 753).

Chrysippus Hierosol. († 479) aperte asserit imperium diaboli supra genus humanum subversum fuisse a Maria (Graffin, *Patrologia Orientalis*, t. 19, p. 428).

S. Romanus Melos († c. a. 550) in hymno *Akátistos* ipsi valde probabiliter tribuendo, haec inter alia asserit: « Ave, lapsi Adae revocatio »; « Ave, lacrimarum Evae redemptio », « Ave per quam renovatur creatura », « Ave, totius orbis propitiatio », « ianuarum paradisi reseratio », « Ave, per quam spoliatur infernus», « Ave, per quam induti sumus gloria », « Ave, hominum erectio, Ave, daemonum subversio », « Ave, quae fraudis errorem conculcasti », « Ave, per quam soluta est praevaricatio, Ave, per quam apertus est Paradisus », « Ave, auctrix spiritualis reformationis » (PG 92, 1305 ss.). Animadvertendum est quod hymnus iste, in tota Graecia celeberrimus, sive a clero sive a fidelibus frequentissime canitur.

S. Anastasius I, Patr. Antioch. († 599): « Sicut per feminam mors causata est, sic oportuit dispensari salutem per feminam. Per illam deceptam voluptate

omnes mortui sumus, per hanc vivificati sumus: non ea tantum accipientes a quibus excideramus, sed longe maiora ac pretiosiora, quae neque humanus intellectus possit concipere ... » (PG 89, 1383).

Venantius Fortunatus (c. 530-c. 601) B. Virginem ita salutat: « O Virgo insignis, nobisque medela monades [i. e. Evae] — quam Deus implevit totius orbis spe... » (PL 88, 284). B. Virgo illa est « per quam omnes fines terrae meruere salutem » (Ibid.).

S. Modestus Hierosol. († 634): « Mundi gubernatorem, qui per ipsam [Deiparam] ab impietatis et peccati diluvio servavit ac vivificavit genus humanum » (PG 86, 3287). « Deipara, per quam accepimus remissionem peccatorum nostrorum et a diaboli tyrannide redempti sumus... per quam mystice recreati sumus et facti templum Spiritus Sancti » (l. c., 3294). « Genus humanum in te servatum est, ac per te dona et sempiterna bona est adeptum ab eo [Deo] » (l. c., 3306). « O beatissima dormitio Deiparae, per quam accepimus remissionem peccatorum, et a diaboli tyrannide redempti sumus » (PG l. c., 3293 s.).

S. Sophronius Ep. Hierosol. († 638), ita Virginem salutat: « Vere " benedicta tu in mulieribus " quoniam Evae maledictionem in benedictionem commutasti; quoniam Adam, qui prius iacebat execratione perculsus, ut per te benediceretur, effecisti. Vere " benedicta tu in mulieribus " quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a vetere maledicto liberavit. Vere " benedicta tu in mulieribus " quia per te progenitores tui salutem inveniunt; tu siquidem generatura Servatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit » (PG 87, 3241).

S. Germanus Constantinop. († 733) exclamat: « Ave, quae gressuum tuorum concinnitate, serpentem truculentum mihi ad transgressionem ducem vaferrimum et scelestissimum diabolum, conculcasti; corruptam vero naturam quae ad labendum prona cernebatur, tecum per viam velut manu apprehendens, ad caeleste et sanctum non senescens tabernaculum rursus adduxisti » (PG 98, 306). B. Virgo, insuper, appellatur « salutis auctrix » (l. c., 300), « Coniunctrix olim dissidentium » (l. c., 318), « Christianorum omnium commune propitiatorium » (l. c., 330), « fermentum reformationis Adae, ... opprobriorum Evae liberatio... Illa mortis demoratio et sedes; tu, a morte translatio » (l. c., 349).

S. Andreas Cretensis († 740) asserit quod « Omnes nos per eam salutem consecuti » sumus (PG 97, 1307), et quod Deus voluit ut parentes eius « ad totius mundi regenerationem » illam « gignerent » (l. c., 1314). In Nativitate Mariae « Eva damnatione absoluta est; est et Adam absolutus antiquis diris; clamat mundus in tua, o intemerata, nativitate; in te siquidem sumus ab interitu redempti » (l. c., 1322). « Adam liberatus est, Evaque choros ducit, ac in spiritu ad te Deiparam clamant: in te sumus a veteri primaque maledictione redempti » (l. c.,

1325). Deipara appellatur « divina cum hominibus reconciliatio » (l. c., 896), « initium gaudii ac maledictionis finis » (l. c., 882), « communis reconciliationis officina » (l. c., 1095). « Nosque per Te [Christus] Deo et Patri reconciliavit » (l. c., 1098).

Ioannes Eubaeensis († c. a. 750) ad Adam haec verba dirigit: « Exulta itaque, o Adam, propter Mariam Dei Matrem. Quoniam per mulierem a serpente deceptus fuisti, et per mulierem serpentem conculcabis. Venit enim tempus ut *sagittae potentis acutae* ex eadem illa natura proveniant, unde inimicus nocendi sumpsit instrumenta. Lignum enim et mulier origo fuerunt in paradiso tui exilii; nunc autem lignum et mulier tibi sunt restitutio. Mulier quidem manu Dei aedificata te decepit; at mulier e lumbis Ioachim et Annae utero progenita, sine semine gignet mortis victorem, debellatoremque illius qui nos captivos abduxit... » (PG 96, 1495).

S. Ioannes Damascenus († 749), rationem ipsam essendi Deiparae, a redemptione desumit: « Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsa, quippe quae non tuiipsius causa genita sis: quocirca Deo bene habebis, cuius gratia in mundum prodiisti; ut orbis universi veluti obsequaris » (PG 96, 676 B). Beata Virgo illa est « per quam nos a maledicto redempti sumus » (l. c., 658), « per quam universum mortalium genus redintegratum est » (l. c., 662). « Ave, per quam nos e ianuis inferni ad caelum evecti sumus. Ave, per quam nos a maledictione redempti sumus » (l. c., 96, 657-658).

Ex hisce omnibus textibus evidenter apparet redemptionem mundi cum omnibus suis effectibus (reconciliationem nempe hominum cum Deo, meritum gratiae, per peccatum originale amissae, satisfactionem pro culpa originali, liberationem a servitute daemonis, aperitionem portae Paradisi etc.) a Patribus *immediate* B. Virgini tribui. Patres igitur verbis idem significantibus, cooperationem *immediatam* Deiparae ad opus redemptionis obiectivae sat aperte profiteri videntur. Absonum porro esset *immediate et directe* aliquid alicui tribuere quod tantummodo *mediate* et *indirecte* ipsi convenit. Sic, e. g., absonum esset matri Christophori Columbi Americae inventionem *directe* et *immediate* tribuere, cum id tantummodo indirecte et mediate, et quidem materialiter tantum eidem conveniat. Mater enim Columbi fuit causa causae (i. e. Columbi) *ut existentis* tantum, non vero *ut operantis*; dum e contra B. Virgo fuit causa causae (i. e. Christi Redemptoris) nedum ut *existentis*, sed etiam *ut operantis*, quia Deus Redemptionem mundi ex eius libero assensu — in ordine executionis — pendere voluit, prout supra fuse probavimus. Eo vel magis quod, iuxta mentem Patrum, maternitas divina B. Virginis et eius spiritualis maternitas gratiae respectu omnium hominum, sunt semper ita intime connexae, ut una in alia includatur.

II – Testimonia Theologorum et Scriptorum Ecclesiae

In triplicem classem dividi possunt, videlicet: *A*) Scriptores mediae aetatis; *B*) Scriptores aetatis modernae, et *C*) Scriptores aetatis nostrae.

A) Scriptores mediae aetatis (Saec. IV-XVI).

I – *SCRIPTORES ORIENTALES:*

S. Tarasius Patr. Constantin. († 806). Iuxta S. Tarasium, B. Virgo fuit « salutis mortalium conciliatrix » (PG 98, 1486), illa quae « beatos effecit omnes mortales » (l. c., 1490), « secundae regenerationis apud Deum conciliatio » (l. c., 1491), « totius orbis reparatio », « Adami maledicti expiatio, debiti Evae solutio » (l. c., 1491-1492). « Per mulierem mortem lucrati sumus, per mulierem universa rursus instaurabit » (l. c., 1494).

S. Theodorus Studita († 826). Maria data est a Deo « in splendidum et magnificum pro Eva pretium, Matris medicamentum filia effecta est: divinae reformationis nova conspersio » (PG 99, 696-687).

S. Ioseph Hymnographus († 833): « Cum voce archangeli ad te laetanter clamamus, o Virgo: Ave, maledictionis solutio; ave omnium malorum redemptio » (*Mariale*, PG 105, 1258), « peccantium expiatio » (l. c., 1118), « a primorum parentum maledictione nos liberasti ... o semper benedicta et peccantium propitiatio » (l. c., 1102).

Photius Patr. Constantin. († 891) aperte docuisse videtur cooperationem immediatam B. Virginis ad redemptionem. Asserit enim per ipsam diabolum victum et suis pedibus subiectum fuisse, ac amaram sententiam contra genus humanum latam, per ipsam ablatam fuisse (Aristarchis, *Sermones et homiliae Photii*, Constantinopoli 1901, t. 2, p. 224).

Georgius Patr. Nicomediensis (saec. ix), haec verba ad Ioachim et Annam dirigit: « O iustorum praeclare acceptam hostiam! O oblationem mundi factam redemptionis pretium! » (PG 100, 1451).

Nicetas David (saec. x) aperte asserit B. Virginem maledictionem protoparentum nostrorum fugasse (PG 105, 17).

Ioannes Geometra[1] (saec. x) ita Virginem alloquitur: « Ave, doloris solutio, destructio inimicitiae, captivitatis redemptio » (Ballerini, *Sylloge...*, 2, 205-206).

Ioannes Gabras (saec. xiv) pulchre exponit quomodo B. Virgo, iuxta aeternum Dei consilium, peccatricem humanitatem regenerare debebat. (Cfr Boissonade, *Anecdota graeca*, Paris, 1831, p. 100).

Nicholaus Cabasilas († 1371) fuse de cooperatione B. Virginis ad redemptionem agit. Ipsa enim fuit « *ad dispensationem tamquam adiutrix assumpta*, non simpliciter (ut) aliquid contribuat, velut cum ex iis, quae ab alio moventur, *sed ipsa seipsam conferat*, *Deique cooperatrix evadat* ad providendum humano generi; ita ut cum eo et socia et particeps sit gloriae, quae exinde provenit » (*In Annuntiat.*, par. 5, p. 488, *Patr. Or.* Gaffin-Nau). B. Virgo « poenas pro nobis doloresque, loco gaudii sibi propositi (Hebr., 12, 2) experta est. Et ignominiae opprobriorumque Filii particeps fuit... *ad meam salutem procurandam Filii socia effecta est* » (*In Dormit.*, 3, § 11, p. 507). Descriptis vero doloribus Passionis Filio matrique communibus, rationem huius rei ita exponit: « Oportebat enim eam sociam esse in omnibus quae ad providentiam quae circa nos erat, spectabant » (*In Dormit.*, pp. 507-508). Quare B. Virgo appellatur « salus hominum... et porta et vita, ceterisque digna appellationibus quas Salvator propter meam salutem audivit! Hic enim causa, tu mihi es *concausa* sanctitatis bonorumque, quae ex Salvatore per te et quae ex te percepit sola » (*In Dormit.*, § 13, p. 510).

Isidorus Glabas († 1394) pulchre exponit quomodo Deus illam tantummodo capacem invenit liberandi homines. B. Virgo est novus homo ad similitudinem Dei creatus, ad hoc ut cooperari valeat cum Deo ad salutem hominum (Ballerini, *Sylloge...* t. 2, pp. 428-429, 396-397).

Georgius Scholarios († p. a. 1472), asserit B. Virginem unitam semper Christo fuisse, tamquam eius cooperatricem, usque ad pedes Crucis, modo maxime intimo et maxime divino (*Hom. in dorm. B. Virginis*, in *Patrol. Or.* Graffin-Nau, t. 16, Paris, 1922, p. 579). B. Virgini titulos tribuit Redemptricis, Liberatricis nostrae, eo quod cooperata est saluti nostrae tamquam causa secundaria et ministerialis (*Or. ad Virginem*, t. 2, p. 366; t. 1, pp. 203-204).

II – *SCRIPTORES OCCIDENTALES:*

S. Ambrosius Autpertus († 778) haec inter alia scripsit: « Haec primae mortis damna resolvit, haec homini perdito redemptionem adduxit » (PL 89, 1277).

Alcuinus († 804): « Omnis mundus congaudet ut per *ipsam redemptus* » (PL 101, 1300).

S. Petrus Damiani (1007-1077), plura habet. En praecipua: « Per mulierem infusa est maledictio terrae, per mulierem redditur benedictio terrae. Per cuius manus potus mortis amarae porrigitur, per eam quoque dulcis vitae poculum exhibetur. Largissimum benedictionis novae fluentum detersit maledictionis antiquae contagium » (*Homil. in Nativ. V.*, PL 144, 758, 743). B. Virgo « caelum nobis aperuit » (PL 145, 33); in ipsa Redemptor condidit gladium, per quem hostem stravit (l. c., 940). In sermone quodam de Annuntiatione B. Virginis sic ait: « Evocatur statim coelestis ille conventus et iuxta prophetam init Deus consilium, facit sermonem cum angelis de restauratione eorum, de *redemp-*

tione hominum... ac illis stupentibus et mirantibus prae gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur et *per ipsam et in ipsa et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur*, ut sicut sine illo nihil factum ita *sine illa nihil refectum sit* » (PL 144, 558). Iure igitur concludit: «Hic, dilectissimi fratres mei, hic rogo, perpendite quam debitores simus huic beatissimae Dei Genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus » (PL 144, 743).

S. Anselmus Arch. Cant. (1033-1109) etiam quamplurima habet. Ipsa ratio essendi Deiparae eiusque maternitas ex officio Corredemptricis repetitur: « propter salutem peccatorum estis tu, filius, et tu, mater » (Or. 51, PL 158, 951). B. Virgo appellatur « Causa generalis reconciliationis » (Or. 52, PL 58, 957 B). Deus enim « fecit ut... nos per vitae restitutionem essemus filii matris eius » (Or. 52, PL 158, 957). « Qui potuit omnia facere de nihilo, noluit ea violata sine Maria reficere » (Or. 52, PL 956 B). Deipara appellatur « mundi reconciliatrix » (Or. 51, PL 158, 952) « per quam ... inferno remediantur, daemones conculcantur... » (Or 52, PL 158, 955 C).

Exponit quomodo B. Virgo, finem Passionis Christi (salutem nostram), bene sciens (PL 158, 648), elegit illam desiderare eamque cum illo subire potius quam ab ea liberari (l. c., 649 B); ideoque filium tamquam « suam hostiam » Deo Patri obtulit, cui oblationi adiunxit etiam suos proprios dolores. Iure igitur Deiparam deprecatur: « Exorabilem... te.... praebere, Domina, ne differas, ex qua... redemptio nobis venit » (PL 158, 945). « Per te accessum habeamus ad Filium tuum, *qui per te redemit mundum* » (PL 158, 961).

Eadmerus Cantuariensis († 1124) de Deipara asserit quod « promeruit ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret » (*Lib. de excell. Virg.*, c. 9, PL 159 573). Scribit insuper: « Utique cuncta quae Deus bona et utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerant, esse destiterunt et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt et restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta Pater est et Dominus omnium, ita Beata Maria *suis meritis* cuncta reparando Mater est et Domina rerum; Deus est enim Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione constituendo; et Maria est Domina rerum singula congenitae dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo » (l. c., c. 7, 578). Eadmerus primus esse videtur qui magis explicite de *meritis reparativis* Virginis loquitur.

S. Bernardus († 1153) sat aperte docet cooperationem immediatam B. Virginis redemptioni obiectivae. [1] Pro ipso enim — prout concludit P. Aubron —

[1] Cfr A. Raugel, *La doctrine mariale de saint Bernard*, Paris, 1935, pp. 133-144; D. Nogues, *Mariologie de Saint Bernard*. Paris-Tournai, 1935, pp. 103-158; P. Aubron, *La Mariologie de Saint Bernard*, in *Recherches de science religieuse*, 1934, t. 24, pp. 569-572; P. Aubron, *L'œuvre mariale de saint Bernard*, Iuvisy, 1935, pp. 28-35 et 192.

« Marie est la cooperatrice du Sauveur depuis l'Annonciation où tout dépendait de son fiat jusqu'à la consommation du Calvaire ». Goossens, ex omnibus textibus unum tantummodo affert *Sermonem III de purificatione Mariae*: « Offer Filium tuum, Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repraesenta. Offer *ad nostram omnium reconciliationem* hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam ». Animadvertit Goossens: « *Nullo enim modo* affirmat Mellifluus Doctor Mariae passionem et actionem offerendi Christum, immediate aliquid contulisse ad redemptionem obiectivam, et non tantum ad redemptionem subiectivam. Nonne martyres passi sunt in arcta unione cum Christo, nonne et sacerdotes in sacrificio Missae Christum Deo offerunt "ad nostram omnium reconciliationem", quin ad redemptionem obiectivam cooperari dici queant? » (o. c., pp. 125-126). Sed cuique patet omnino *nullam paritatem* adesse inter martyres sacerdotesque ex una parte et Mariam ex alia parte. B. Virgo enim, illa omnia praestabat — iuxta mentem S. Bernardi — tamquam *nova Eva*, et ideo titulo omnino singulari qui aliis nullimode competit.

Insuper S. Bernardus, primus omnium, ut videtur, de *satisfactione redemptiva* Virginis magis explicite locutus est: « Curre, Eva, ad Mariam: curre, mater ad filiam; filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa Patri pro matre *satisfaciat*: quia ecce si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam ... O feminam singulariter venerandam ... parentum reparatricem! » (PL 183, 62). « Merito in te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te et per te et de te benigna manus omnipotentis quidquid creaverat recreavit » (PL 183, 328).

Asserit insuper quod « nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus eius in hac reconciliatione » (PL 183, 429). Rationem huius rei invenit S. Doctor in cooperatione Evae cum veteri Adamo in opere praevaricationis: « Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere; sed gratias Deo, per unum nihilominus virum, et mulierem unam omnia restaurantur » (PL 183, 429-430). « Ecce, si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam ... O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem » (l. c., 62). Gratiam quam Deus Mariae contulit, fuit redemptio nostra: « Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem vitae reparationem » (l. c., 76). Iure igitur concludere potest: « In te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit » (l. c., 430). Quae verba immediatam et directam cooperationem exprimunt.

Arnoldus Carnotensis vel Bonaevallensis († 1160) haec praeclara reliquit: « Ipsaque (B. Virgo) sine strepitu seipsam mactans, in altari interiori, et ligna et flammas et latices congerebat. Nimirum in tabernaculo illo duo videres

altaria, aliud in pectore Mariae, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa ad sanguinem animae et carnis suae adolere sanguinem, ... et cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostrae consummare mysterium: sed hoc solius summi sacerdotis privilegium erat, ut de sanguine munus intra sancta inferret... Cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille matris affectus, cum tam propria quam matris vota caritas Christi perferret ad Patrem: cum quod mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret ... *Unumque erat... quod Pater bonus, quod Filius pius, quod mater sancta intendebat: quod in commune elaborabat dilectio, simulque se complectebantur pietas et caritas et bonitas*, Matre supplicante, Filio interpellante, Patre propitiante » (PL 189, 1694-1695). Et alibi: « *Dividunt coram Patre Mater et Filius pietatis officia*, et miris allegationibus muniunt redemptionis humanae negotium, *et condunt inter se reconciliationis nostrae inviolabile sacramentum. Maria Christo se spiritu immolat et pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat* ... Movebat enim eum (Christum) Matris affectio, et omnino tunc erat una Christi et Mariae voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: haec in sanguine cordis, hic in sanguine carnis... *ut cum Christo* (B. Virgo) COMMUNEM IN SALUTE MUNDI EFFECTUM OBTINEAT » (PL 189, 1726-27). [1]

GODEFRIDUS abbas Admontensis († 1165): « Beata Dei Genitrix Maria, causa eiusdem redemptionis exstitit utpote per quam et per cuius Filium complenda et perficienda fuit » (PL 174, 979). « In quibus verbis — animadvertit P. Carol — non tantum unificat causalitatem Christi cum causalitate Mariae, verum etiam non obscure videtur alludere ad redemptionem *praeteritam* seu obiectivam ». [2]

PHILIPPUS DE HARVENG († 1183): « Decebat namque ut virgo esset *quae redimebat*, quia virgo exstitit illa prima parens quae totum mundum perdiderat » (PL 203, 520).

ALANUS DE INSULIS († 1202): « De huius arboris radice, de qua processit Iesse... egressa est virga, id est, Virgo Maria. Haec virga sui fructus suavitate *redemit* amaritudinem radicis antiquae. Haec vitium quod erat in trunco, *redemit* in surculo » (PL 210, 246).

RICHARDUS A SANCTO LAURENTIO († 1230) sequentibus verbis modum corredemptionis Beatae Virginis explicat: « *Quod* ergo attulit mundo Filius *passione, hoc* et Mater mundo attulit conversatione, reos et peccatores reconcilians *compassione*, acquisita per partum ipsius totius mundi Redemptoris » (*De laud. B. M. V.*, lib. 2, c. 1, inter Op. S. Alberti M., ed. Vivès, t. 36, p. 158). « Ubi

[1] Verba haec omittuntur a P. Lennerz.

[2] *Doctrina de Beatae Virginis Co-redemptione ab ortu usque ad prolapsum aetatis Scholasticorum*, in *Miscellanea Francescana*, 41 (1941)251.

notandum — animadvertit P. Carol — quod Deiparae concursus ad nostram Redemptionem non videtur explicari posse per illam allusionem ad maternitatem divinam, quum auctor *compassionem* quoque Virginis explicite memoret et quidem ad ostendendum modum quo et Filius et Mater mundo attulerunt reconciliationem » (in *Miscellanea Francescana*, 41 [1941] 252).

S. Thomas Aquinas († 1274), praeter consequentem necessitatem consensus Deiparae ad Incarnationem redemptivam (3, q. 30, a. 1 et 4), explicite asserit B. Virginem, per talem consensum, Redemptioni cooperatam fuisse: « Quia ergo consensus B. Virginis, qui per annuntiationem requirebatur, actus singularis personae erat *in multitudinis salutem redundans, imo totius humani generis...*» (III *Sent.*, d. 3, q. 3, a. 2, qc. 2). Deipara, insuper, particeps fuit Passionis Christi: « habuit meritum martyris, mortem Crucis cum Filio patiendo » (Sermo 58, *In Assumpt. B. M. V.*). « Si dicit vir: propter te damnor, mulier potest respondere: per me salvaris » (Serm. 23). — Si haec aliaque testimonia simul sumantur, *aliquid* saltem de cooperatione immediata Deiparae apud Angelicum invenitur. [1]

S. Albertus M. († 1280), evidentissime, iuxta omnes, prout putamus, uno Goossens excepto, thesim nostram docet. [2] Inter plures textus qui laudari possent, sequentes sufficiant: « Beata Virgo non est assumpta in ministerium a Domino; sed *in consortium et adiutorium* iuxta illud: Faciamus ei adiutorium simile sibi » (*Mariale*, q. 42). Ipsa igitur non est simpliciter « vicaria », sed « coadiutrix et socia » (ibid.). Hic, prout omnibus patet, principium *consortii* non ad solam Verbi Incarnationem circumscribitur, sed ad totum opus Christi salvificum explicite extenditur. « Non enim *adiutorium simile sibi* diceretur, nisi in *omnibus* eosdem actus *participaret* ». (*In Matth.*, 1, 18). Et alibi: « Pro illa culpa (originali) beata Virgo *satisfecit* » (*Op. omn.*, ed. Bourgnet, 37, 80). [3]

Consortium hoc, ita est proprium Deiparae, ut cuilibet alteri creaturae denegari debeat; etenim: « [Beata Virgo] sola fuit cui datum est hoc privilegium, scilicet, communicatio passionis, cui Filius, ut dare posset praemium, voluit communicare passionis meritum, et ut ipsam participem faceret beneficii redemptionis, participem esse voluit et poenae passionis, quatenus sicut fuit *adiutrix*

[1] Non possumus igitur convenire cum cl. P. Carol haec scribente: « Quoad S. Thomam, dicendum est eum de nostra quaestione ne verbum unum scripsisse. Imo, si problema cognovisset sicuti hodie proponitur, haud improbabile videtur eum immediatam cooperationem ad opus obiectivum redemptionis, iuxta sua principia soteriologica reiectum fore » (l. c., pp. 254-255).

[2] Cfr M. Desmarais, *Saint Albert le Grand, docteur de la médiation mariale*, Paris-Ottawa, 1935, pp. 68-78; I. Bergmann, *Die stellung der seligsten Jungfrau im Werke der Erlösung nach dem Hl. Kirchenleher Albertus Magnus*, Freiburg im Breisgau, 1936, pp. 70-84.

[3] Verba haec sive a Goossens sive a Lennerz praetermittuntur. In alium vero sensum detorta fuerunt a P. Ignatio Coutino, O. P., in suo *Marial*, Madrid, 1647, p. 241.

redemptionis per compassionem, ita mater fieret omnium per recreationem; et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita et Dominae omnium *per compassionem* » (*Mariale*, q. 150). « [Beata Virgo] peperit totam gentem simul in Filii passione ubi facta fuit ei in adiutorium sibi simile, ubi ipsa mater misericordiae Patrem misericordiarum in summo opere misericordiae adiuvit et una secum omnes homines regeneravit » (Ib., q. 148). « [Beata Virgo] spontaneo eius consensu in eius [Christi] passione, pro nobis omnibus illum obtulit: per quam sufficientissimam et gratissimam hostiam semel oblatam, Deum toto generi humano reconciliavit » (Ib., q. 51).

Ex hisce manifeste apparet quomodo Goossens, hic, et etiam in aliis textibus excutiendis, praeiudicata ducatur opinione illosque a proprio et nativo sensu violenter detorqueat. Scribit enim: « Censemus vix unum dari S. Alberti textum qui dicendus sit certo affirmare compassionem cum Christo directe contulisse ad effectum redemptionis obiectivae » (l. c., p. 129).

S. Bonaventura idem docet ac S. Albertus Magnus, praesertim relate ad principium *consortii*.[1] Dicit enim: « Sed ille (Christus, debebat) ab Ipsa adiuvari, ut adimpleretur quod de Eo prophetice dictum fuit, Genesis secundo [v 18]: Faciamus ei adiutorium simile sibi ... » (Serm. *De Assumpt. B. M. V.*, op. 9, 704-705 a). Iuxta S. Bonaventuram, Christus et Maria « fuerunt reparatores (humani generis) » (Serm. 4 *De Assumpt. B. M. V.*, op. 9, 695 a). Christus communicavit cum Matre omnem honorem quem ipsemet habuit in caelo et in terra (Sermo 6 *De Assumpt. B. M. V.*, op. 9,705 a). Associatio ergo B. Virginis Christo est universalis. Plura insuper de principio retroversionis seu recirculationis, et quidem universaliter intellecto, scribit: « Illa mulier, scilicet Eva, nos a paradiso expellit et vendit, ista [Maria] nos reducit et emit » (Op. 5, 486, n. 16); « sicut Eva omnes nos genuit mundo, sic Domina nostra omnes nos genuit caelo » (Serm. 6 *De Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 706 b). « Ipsa etiam reconciliationem toti generi humano promeruit: et ideo erga eam ardere debet omnis christianorum devotio » (3 S., d. 4, a. 3, q. 3; Op. 3, 115 b). « Nullus autem est qui posset reddere honorem subtractum Deo nisi Christus. Et B. Virgo est venerativa et *restaurativa* honoris Deo subtracti et mater consentiens, quod Christus in pretium offerretur »[2] (*Collat.* 6 *de donis Sp. S.*, n. 17; Op. 5, 486 s.). Dicit Redemptionis pretium, ex Virgine fuisse « sumptum, per eam solutum et ab ea possessum; ex ea *sumptum* in *incarnatione* Verbi; per eam *solutum in redemptione generis hu-*

[1] Cfr Di Fonzo, O. F. M. Conv., *Doctrina Sancti Bonaventurae* de universali mediatione B. Virginis Mariae, Romae, 1938, pp. 95-121; Plesser P., O. F. M., *Die Lehre des hl. Bonaventura über die Mittlerschaft Mariens*, in *Franziskanische Studien* 23 (1936) 353-389.

[2] P. Lennerz sistit in verbis « Nullus est... nisi Christus », quin addat verba B. Virginem respicientia, et concludit quod iuxta S. Bonaventuram « Christus *solus* potuit satisfacere pro peccato originali »!... (o. c., p. 167, n. 218, ed. 3).

mani; et ab ea *possessum* in assecutione gloriae paradisi. Ipsa pretium illud protulit, *solvit* et possedit: ergo est eius ut *originantis*, ut *persolventis* et ut possidentis » (*Collat.* 6, *de donis Sp. S.*, n. 3; Op. 5, 484 a). In Calvario vero, «beata Virgo filium suum ad sacrificandum » obtulit (l. c., n. 17; Op. 5, 486 b). S. Bonaventura, igitur, apertissime, prout ex textibus ipsis patet, admittit cooperationem effectivam et immediatam Virginis redemptioni obiectivae. Et ideo falsa omnino videtur illa assertio Goossens: « Nec apud S. Bonaventuram colligi potest validum argumentum » (l. c., p. 129).

Auctor *Speculi humanae salvationis* (editi a. 1324) B. Virginem Perdolentem, tamquam novam Iudith, vestibus redemptricis Salvatoris indutam exhibet in actu proiciendi telum in diaboli guttur. In textu vero qui vividam hanc repraesentationem commentatur, ita legitur: « Sicut Christus superavit diabolum per suam passionem ita etiam superavit eum Maria per maternam compassionem » (Lutz et Perdrizet, *Speculum humanae salvationis*, Uebersetzung von Iean Mielot (1448): *Die Quellen des speculum und seine Bedeutung in der Ikonographie besonders in der elsässischen Kunst des* 14. *Ihts.*, 2 Bde., Leipzig 1907-1909. Bd. I. I. Teil, Tafel 59, vv. 13-14).

Iamvero, hic etiam character soteriologicus compassionis B. M. Virginis evidentissime exprimitur. Est veluti testimonium theologiae popularis magni momenti, praesertim si prae oculis habeatur mirabilis diffusio huius libri qui merito habetur tamquam Summa Theologiae popularis. Circa saeculum xvi liber iste iam pro trigesima vice editus erat. Ex quo evidenter elucet quomodo inter fideles saeculi xiv cooperatio immediata Deiparae redemptioni obiectivae sat communiter, nullo reclamante, profitebatur.[1]

Beatus Raymundus Lullius in op. « Horas de Nuestra Señora » (cfr *Obres de Ramon Lull*, Palma Mallorca 1906-1938, t. 19, p. 194), inter alia asserit vitam filiorum Dei, quae per sacramenta habetur, fructum esse Passionis Christi et compassionis B. Virginis quae, quia pati non debebat ob peccata personalia quae deerant, passa est propter nostra peccata.[2]

Beatus Ioannes Taulerus, O. P. († 1361) aperte docuit Beatam Virginem seipsam una cum Christo hostiam vivam obtulisse pro nostra omnium salute (Serm. *Pro festo Purific. B. M. V.*, Œuvres complètes, vol. 5, p. 61, Paris, 1915); « eiusdem [in Calvario] *oblationem in* gratum *suscepit* [Deus] sacrificium » *ad utilitatem et salutem totius humani generis...* quo *per afflictionum suarum merita iram Dei in misericordiam commutaret...* necnon infinitum quemdam hic *thesau-*

[1] Relate ad Scotum cfr P. Uribesalgo José, *La corredención Mariana a la luz de la Cristologia de Escoto*, in *Estudios Marianos*, a. 3, vol. 3, Madrid, 1944, pp. 219-230.

[2] Cfr Caldentey Miguel, T. O. E., *La Corredención de la Virgen a la luz del Doctor Iluminado B. Ramon Lull*, in *Estudios Marianos*, a. 3, vol. 3, Madrid, 1944, pp. 287-319.

rum comparet meritorum quibus miseris omnibus semper apud Deum subveniret... » (l. c., vol. 6, pp. 253-255). Et Beatam Virginem alloquens: « ... omnem suam tibi praedixit passionem quo *meritorum suorum omnium* et afflictionum *te participem faceret*, eique in salutem hominum reparando cooperareris... » (l. c., c. 19, p. 259). « Et sicut Eva, usurpans temere de arbore scientiae boni et mali homines in Adam perdidit, *ita tu de arbore crucis dolorem in te suscepisti, satiataque amaritudine, una cum Filio tuo homines redemisti* » (l. c., c. 18, p. 256). « Certe postea asserit — animadvertit P. Carol: — "Adam de Eva recepit quo nos interemit, et Christus ex te suscepit quo nos redemit"; quod proculdubio de concursu solummodo mediato intelligi valet. Sed quis sanus ex hoc iam arguere poterit verba quae praecedunt in eodem sensu sumenda esse? Si auctor, affirmata *in genere dumtaxat* Virginis ad opus redemptivum cooperatione, praedicta verba de concursu mediato addiderit, tunc utique consideranda ista essent tamquam per modum explicationis restrictivae dicta. Sed casus noster valde diversus est: additio enim illa nullo modo potest se habere ceu explicatio respectu contextus praecedentis, quum in eo *explicite* designentur *actus specifici* per quos Deipara ad nostram Redemptionem cooperata est. Auctoris mentem alio modo exponere nihil aliud esset nisi eam, contra leges sanae interpretationis, a sensu obvio detorquere » (l. c., p. 259).

Gerson († 1428) haec inter alia [1] habet: « Erigis cordis aures ad voces spiritus sui, dum proprium Filium, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum et votorum, *consensit crucifigi pro redemptione nostra*, dans nobis illum, utique cum gaudio et exultatione, quae summam superabat carnis angustiam... Exhilaresce ad haec et spera tu, qui perieras, miserande homo. Quid ultra negare tibi Mater misericordiae poterit, si proprium pro te filium consensit offerri tantae miseriae? Quid concedet beatifica in caelis, quae talia dabat in terris afflicta? Perdit miseriam: numquid et misericordiam? perdit passionem; sed numquid compassionem? » (*Opera omnia* Antwerpiae, 1706, t. 3, col. 671 D-672 A).

Ulterius: « Ultronea voluntate consensit, dilectum suum ex dilecto, et amicum per amorem, et filium talem, pro nostra redemptione crucifigi, cuius redemptionis post Filium fuit desideratrix maxime, fuit et zelatrix. Ideo donec compleretur, nedum sufficienter, *pretio passionis* soluto pro omnibus, sed etiam iugiter et efficaciter in singulis nondum damnatis, quoad vixit, amarissimis Deum sponsum et inenarrabilibus gemitibus postulabat, frequenter quoque cum clamore valido et lacrimis, exaudita est pro sua reverentia » (t. 4, col. 314 D-315 A). — Nec solummodo B. Virgo consensit ut Filius pro nobis immolaretur sed ulterius immolatam victimam in holocaustum Deo sponte obtulit: « Maria plus complacuit Deo, plus humano generi profuit post Christum benedictum fructum sive

[1] Cfr Bover, *Universalis B. Mariae V. mediatio in scriptis Iohannis Gerson*, in *Gregorianum*, 9. (1928) 254-259

Filium suum, offerendo ipsum spontanee in holocaustum in ara cordis sui, fervidissima caritate succensi » (t. 4, col 397 C). B. Virginem, tandem, salutat « perditorum Reparatricem, exulum Reductricem » (t. 3, col. 712 A), et magis explicite asserit: « Auscultate... quomodo Mater *particeps fuerit mortis Iesu Christi Filii sui, ratione redemptionis humani generis*... Audite..., quam pro nobis obtulerit oblationem » (t. 3, col. 1197 B). Cum hac oblatione arcte cohaeret eminens sacerdotium, quod B. Virgini agnoscit Gerson. « Non habet (Maria) characterem sacerdotalem: formaliter, fateor; habet autem eminentius ad reconciliationem peccatorum, ad aperitionem Paradisi » (t. 4, 272 D). Iamvero, asserere quod B. Virgo liberrime consensit ut Filius eius crucifigeretur et immolaretur pro redemptione nostra; quod illum sponte, tamquam eminens sacerdos, obtulit in holocaustum, et quod particeps fuit mortis Filii sui *ratione redemptionis humani generis*, idem est ac clarissime asserere immediatam cooperationem B. Virginis redemptioni obiectivae a Christo in ara crucis consummatae. Et ideo falso omnino asseritur de mente Gersonis, in hac re, « indicia insufficientia et admodum levia » haberi (Goossens, o. c., p. 130).

S. Antoninus († 1459): « Sola fuit (B. Virgo) cui datum est per privilegium communicatio passionis. Cui Filium, ut dare posset praemium, voluit communicare meritum passionis, et ut ipsam faceret participem beneficii redemptionis, quatenus, sicut fuit *adiutrix redemptionis* per compassionem, ita fieret mater omnium per recreationem » (*Summa*, p. 4, tit. 15, cap. 20, § 14, Veronae 1740, p. 1064). « Ipsa sola habuit omnes inferiores reducere, et reduxit tamquam mediatrix et *adiutrix redemptionis* » (ib., c. 44 § 2).

Et alibi: « Non decet... eum [Christum] esse solum, sed me matrem suam iuxta eum, datam sibi in adiutorium in redemptione per compassionem maximam » (Ibid., 4, tit. 15, c. 44, § 9). Etiam haec clarissima verba nequeunt sane dici « indicia insufficientia et admodum levia » (p. 130). Finis enim soteriologicus « compassionis » explicite omnino docetur. [1]

S. Bernardinus Senensis († 1444) asserit quod B. Virgo, in die annunciationis circa durissimam Filii sui missionem divinitus illustrata « cum Christo crucifixa est in hora huius conceptionis » (*De consensu Virginis*, Serm. VII, pp. 102-103), et per suum liberrimum consensum « omnium electorum salutem viscerosissime expetiit et procuravit, ita ut ex tunc omnes in suis visceribus baiularet tamquam verissima mater filios suos» (l. c., p. 103). Haec maternitas gratiae consummata est in Calvario, ubi B. Virgo nedum iuxta crucem stabat, « verum etiam in cruce pendebat; de se enim in se nihil remanserat » (*De passione Domini*, Sermo 51, Op. T. I, p. 257). « Tota commigraverat in dilectum » (Ibid.). Iuxta

[1] Cfr Brand E., *Die Mitwirkung der Seligsten Iungfrau Zur Erlösung nach dem hl. Antonin von Florenz*, Rom, 1945.

Crucem Iesu, omnium electorum « per dilectionem B. Virgo facta est mater » (Ibid.). Haec autem spiritualis B. Virginis maternitas fit actualis in singulis hominibus cum infunditur gratia: « Virgo mater est omnium amantium Christum per infusionem invisibilis gratiae » (Ibid.). De satisfactione vero mariana, S. Bernardinus haec habet: « Tu satisfactio digna coram largitore omnium bonorum » (*De Exalt. B. Virg.* sermo 13, a. 2, 4, 103).

Falso igitur Goossens asserit: « Cl. Dillenschneider... nonnisi *haesitanter* et absque *validis testimoniis* » adduxisse S. Bernardinum Senensem (sicut et Scolarion) (o. c., p. 130). Nullam enim haesitationem demonstrabat Cl. Dillenschneider, prout legenti textum ipsum apparet. Testimonia vero ab ipso Dillenschneider allata sat valida cuique apparent, si simpliciter et absque praeiudicata opinione legantur.

Relate ad mentem Dionysii Carthusiani († 1471), praeter textus a Dillenschneider et a Goossens citatos, attendi debet ad alios eiusdem Dionysii, et praesertim ad textum articuli 26 ubi quaerit: *Cur Christus, sapientia Patris, voluit suam dilectissimam Matrem passioni suae esse praesentem.* Et respondet: « Mirum videri potest cur Dominus et Salvator, sine cuius providentia nihil fit, sine cuius nutu nec folium arboris cadit, voluit innocentissimam atque piissimam Matrem suam suae adesse passioni, tamque gravissima afflictione torqueri. — At arbitror respondendum, quod, non *absque sublimi consilio*, nec sine multiplici ac rationabilissima causa, id voluit ac permisit. *Primo*, quoniam praestantissimam suam Genitricem voluit *nostrae salutis esse cooperatricem* praecipuam. Ideo voluit ut *sua fidelissima passione*, vehementissima ac materna, *mereretur* copiose exhaudiri pro multis, et illis obtinere fructum dominicae passionis qui eidem passioni sunt facti ingrati... Hinc scribit S. Albertus: Ut Christus suae matri daret praemium, voluit ei communicare passionis *meritum*; et ut ipsam participem faceret *beneficii* redemptionis, participem esse voluit et *poenae* passionis: quatenus, sicut fuit *adiutrix Redemptoris per compassionem*, ita mater fieret omnium per recreationem; et sicut totus mundus Deo obligatur ob passionem eius, ita et beatissimae Dominae omnium obligaretur ob eius compassionem ».

Ex hac expositione sat evidenter patet character *soteriologicus compassionis* Deiparae. Etenim: 1) non casu, vel materno tantum affectu ducta, B. Virgo fuit iuxta crucem Filii, sed *divino consilio*; 2) Dei consilium in hoc erat ut B. Virgo *cooperaretur* per suam vivissimam compassionem, *nostrae saluti*; 3) cooperando, et quidem *immediate* (i. e., per suam *compassionem corredemptivam*) nostrae saluti, ei communicavit Filius *meritum passionis* sicut illam participem esse voluit *poenae passionis*; et ideo 4) copiose exaudiri meretur pro multis. — Quare textus citati a Dillenschneider *minime excludunt* cooperationem immediatam Deiparae redemptioni obiectivae, sed illam potius *complent*. Quia enim ipsa cooperata erat, per suam compassionem corredemptivam, passioni redemptivae Christi, « excellenter promeruit ut per ipsam, hoc est per preces et merita, virtus et meritum

passionis Christi communicetur hominibus ». Paucis verbis: B. Virgo est dispensatrix omnium gratiarum redemptionis per intercessionem, quia meriti illarum omnium gratiarum *particeps* fuit ob suam immediatam participationem poenae redemptivae Christi, per suam compassionem corredemptivam. Frustra igitur asserit Dillenschneider, post allatum ultimum textum: « *Nulle trace* chez Denys d'un concours marial plus *direct* ». Si ita esset, ipsemet Dillenschneider negare etiam deberet (quod tamen non facit) S. Albertum M., a Dionysio citatum immediatam cooperationem B. Virginis redemptioni obiectivae docuisse.

Paulus de Heredia (fl. 1484) scripsit quod Beata Virgo exstitit « *Redemptrix peccati* [in] Incarnatione et *passione* Filii sui » (*Tract. de conceptione B. M. V.*, apud Marracci, *Polyanthea Mariana*, Coloniae Agripp., 1727, p. 575).

Hisce positis patet quisnam sit valor sequentis conclusionis W. Goossens circa scriptores mediae aetatis: « Quibus perpensis, vix addere oportet multum abesse quominus probatum sit adfuisse, medio aevo, consensum *moraliter unanimem* theologorum in exhibendo ut revelatam, vel saltem ut absolute certam, doctrinam de cooperatione immediata Mariae ad redemptionem obiectivam ». Et reapse nullus scriptor invenitur (et neque a Goossens indigitatur) qui talem doctrinam aut neget aut in dubium vertat. Qui de ipsa loquuntur, illam admittunt.

B) **Testimonia Theologorum aetatis modernae.**

Quoad Theologos aetatis modernae (i. e. a saeculo XVI ad periodum hodiernam) Goossens non admittit auctoritatem textuum S. Petri Canisii († 1597). Ita scribit: « Citat enim (Dillenschneider) plura asserta quae *manifeste* Mariae interventum immediatum in ipsa redemptione obiectiva *excludunt*, quin his dictis *ullum* opponere valeat textum qui talem interventum affirmet aut supponat ... ». Quam praepropere haec scripta sint *manifeste* apparet ex consideratione ipsorum textuum S. Petri Canisii.

Textus qui *manifeste excluderent* — iuxta Goossens — Mariae interventum immediatum in ipsa redemptione obiectiva, essent: *a*) « ... Mediator unicus redemptionis (Christus), ut in scholis loquuntur ... cui *soli* (Christo) acceptum ferre debeant omnes, quidquid tum gratiae, tum gloriae singulis hominibus divinitus collatum est, vel confertur, atque in posterum conferetur » (*De Maria Virgine incomparabili*, lib. 5, c. 12; Bourassé, *Summa aurea*, t. 9, col. 145). Attamen, statim explicat S. Doctor, quonam sensu Christus sit *unicus* mediator, subdens: « Qui (Christus) solus per se placet Deo, atque ad Deum cunctis placandum *natura est efficax*, caput idem et corona sanctorum omnium. Nullus vero catholicorum adeo desipit, ut Mariam ad hunc modum faciat Mediatricem... ». Verba illa « natura efficax » (quae omittuntur ab ipso Dillenschneider et quae probabilissime ignorata fuerunt a Goossens), discrimen explicant inter

mediationem Christi et Mediationem Deiparae, quin *ullo modo*, praesertim manifeste, mediationem seu cooperationem Virginis excludant. *b*) Alius textus esset: « Si quando Maria mundi Salvatrix dicatur, non id propter efficientiam, quia nec salutem nec gratiam ipsa efficit, sed propter subventionem dici; quoniam apud Deum gratiam et felicitatem nobis precatur atque procurat ». Certe hic sermo est de cooperatione ad redemptionem subiectivam per actualem intercessionem. Attamen, per significationem huius actualis intercessionis minime, et praesertim *manifeste*, *excluditur* immediata cooperatio Virginis ad redemptionem obiectivam. Bene enim exprimi potest una sine alia.

Contra vero hos duos textus qui viderentur excludere (quin de facto minime excludant) immediatam cooperationem Virginis ad redemptionem obiectivam, alii textus habentur in quibus sat evidenter cooperatio ista exprimitur. Dicit enim: « Christi vero sicuti parens, sic etiam socia, vel sectatrix coniunctissima, et humanae salutis cupidissima, fidissimaque semper procuratrix exsistit » (o. c., lib. 1, c. 1, Bourassé, t. 8, col. 637). Ulterius: « Christum, veram et vivam hostiam, pro mundi peccatis expiandis offeret » (o. c., l. 4, c. 26; Bourassé, t. 8, col. 1425). Et alibi haec verba Ruperti refert: « Proinde, quia vere ibi dolores ut parturientis, et in Passione Unigeniti, omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum Mater est » (ibid., col. 1434). Pariter: « Notat et Gerson, nobilis ille Cancellarius (Tract. 2 *De cant. decachordo*), Mariam non solum cum Iesu gaudente gavisam esse, sed et cum flente flevisse, ac tempore quidem Dominicae Passionis tam in Filio quam in Matre duplex quoddam canticum, profundissimae nimirum lamentationis et altissimae exultationis refertum esse. Summum enim luctum, nec minorem lamentationem sicut super morte Primogeniti haec pia Mater assumpsit, quae simul quoniam humanae redemptionis fuit singularis amatrix, suum Filium suaque viscera in crucem ac mortem dirissimam tradi *consensit*, neque sine gaudio *talem hostiam*, quae toti mundo purgationem et salutem afferret, *una cum ipso Filio* Patri caelesti obtulit in odorem suavitatis » (l. c., col. 1435). Refert tandem clarissima verba S. Bonaventurae (*In Lib. I Sent.*, dist. 48, quaest. ult.).

Iamvero quaerimus: Parere omnium nostrum salutem in doloribus; consentire ut Filius in crucem tradatur, et *una cum ipso* offerre Patri hostiam toti mundo salutem afferentem, nonne idem est ac dicere B. Virginem immediate cooperatam fuisse redemptioni obiectivae?

Eodem saeculo XVI digni sunt qui recenseantur sequentes qui, sufficienter saltem, thesim nostram docent.

Thomas Illyricus, O. F. M. Conv. († 1528-1529): « Beata igitur Virgo *fuit* adiutrix sive auxiliatrix nostrae redemptionis et est auxiliatrix nostrae iustificationis... Fuit auxiliatrix nostrae redemptionis quantum ad quatuor genera causarum [efficientis, materialis, formalis et finalis] ». Et inferius: « Ipsa est

restauratrix et reparatrix ac reconciliatrix nostra quia reparavit genus humanum », et sua facit verba AUGUSTINI dicentis Mariam esse auctricem meriti (Sermo 27 *de nomine Mariae*, in *Sermones*, Toulouse, 1521, fol. 136).

CLICHTOVEUS († 1543) docuit quod Beata Virgo, post Christum, potest suo modo appellari *Redemptrix* et *Reparatrix* generis humani *quia per suos dolores*, voluntarie susceptos, *ad nostram redemptionem cooperata est*. Passa est non quidem pro seipsa quae nullum habebat peccatum, sed pro nobis et propter nostram salutem (*De dolore B. M. V. in passione Filii sui*, 9 seq., Parisiis, 1517, pp. 70 s.).

ALPHONSUS SALMERÓN, S. I. († 1585) qui in Concilio Tridentino, legati pontificii munere functus est: « Ad hoc mater cruci astitit, ut humani generis reparatio ruinae mundi congrueret. Ut enim ruina ex eo est secuta quod mulier ad lignum scientiae boni et mali accedens comedit ac proinde mortua est et viro tradidit in mortem ad edendum, ita hic e contrario (siquidem contraria contrariis curantur) vir primo de ligno amaro crucis gustavit ac feminae gustandum praebuit. Et ut ibi a duobus, sed praecipue a viro, casus mundi profectus est, ita salus ac *Redemptio* A DUOBUS, sed praesertim a Christo, proficiscitur. Nam quidquid habet virtutis Maria a Christo accepit, non tantum propter decentem quamdam congruentiam, sed etiam propter excellentem Christi *in redimendo virtutem*, QUAM *Matri suae* (cuius opera minime indigebat) *tamquam* CORREDEMPTRICI *communicare voluit*, non solum sine dedecore suo, sed cum magna gloria ipsius Christi » (*Commentarii in Evangelicam historiam et in Acta Ap.*, tract. 41, Coloniae Agripp., 1604, t. 10, p. 339).

AMBROSIUS CATHARINUS, O. P. († 1553), archiepiscopus Compsanus: « Haec generatio ex utroque est, id est, ex viro et muliere, Christo et Maria, quia *ambo* licet fuerint innocentissimi, quamquam Maria per Christum talis fuerit, tamen *super seipsos peccata nostra reiicientes*, MERUERUNT NOBIS PROPTER SUAS POENAS SALUTEM, primo tamen et principaliter Christus, ut vir, deinde quasi mulier, Virgo ipsa » (*De Immac. Concept.*, disp. lib. 3, 14 persuasio; apud ALVA Y ASTORGA, Biblioth. Virg. Mariae, Matriti, 1648, vol. 2, p. 56). Et alibi Immaculatam Deiparae Conceptionem ex Corredemptione ita deducit: « Hanc quoque decentiam valde probat ac persuadet illud ad quod ipsa electa fuit, gloriosum redemptionis opus, ut esset adiutorium quodammodo Christo, non quod ipse Christus non sufficeret, sed quoniam et hoc bonum et decens fuit, ut haberet adiutorium simile. Nam sicut a muliere initium mortis fuit (Eccles., 25), ita et a muliere similiter initium vitae esse oportuit. Haec est enim omnium antiquorum constantissima sententia ... » (L. c., persuasio 5ª, p. 47).

PETRUS MORALES, S. I. († 1603): « Beata Virgo non solum adoptione et aliis multis titulis et rationibus est Mater nostra, ut in conclusione 2 praecedenti late probatum reliquimus, sed praecipue et peculiariter quia in passione Filii

incomparabilibus ut parturientis doloribus nos peperit et omnium effecta est mater » (*In cap. I Matth. libri quinque*, ed. Parisiis, 1869, l. 3, tr. 9, vol. 1, p. 390).

Et alibi, cum S. Bernardo, exclamat: « Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre Mater ad Filiam; Filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat; ipsa Patri pro matre *satisfaciat*, quia ecce si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam » (L. c., lib. I, tract. 9, vol. 1, p. 61).

Petrus de Oña, Episcopus Gaetanus « qui — prout exponit P. Carol [1] — non tantum generice asserit Christum et Beatam Virginem genus humanum reparasse (*Primera parte de las postrimerias del hombre*, Pamplona, 1608, p. 408), sed alio loco quodammodo specificat modalitatem reparationis virgineae quando affirmat Deiparam nullo sub peccato conceptam fuisse praecise quia a Deo electa fuerat *ut una cum Christo ipsum peccatum deleret* (Ibid., 354). Hoc vix explicaretur si auctor cooperationem indirectam et mediatam dumtaxat prae oculis habuisset ».

Pergit Goossens: « Ex saeculo xvii et xviii plures quidem a Cl. Dillenschneider indicantur testes, inter quos nonnulli auctores sat obscuri sunt nominis, alii vero magis noti: e. g. S. Laurentius a Brundusio († 1619), Novato († 1648), S. Ioannes Eudes († 1680), Nicole († 1695), Singlin, Crasset, Van Kethwigh, B. Grignion de Montfort († 1716) et S. Alphonsus M. de Ligorio († 1787). Verum testimonia a Cl. Dillenschneider allata *sunt insufficientia*. Affirmant quidem Mariam fuisse Christo intime unitam; compassam esse cum Ipso in Monte Calvariae; hanc suam compassionem ac suum Filium in cruce patientem ac morientem, Deo obtulisse ad salutem hominum; eam fuisse "spiritualem sacerdotem"; singulariter cooperatam esse cum Christo in opere redemptionis, in specie in efformanda Ecclesia; eam actus meritorios totius vitae ad salutem hominum ordinasse. Non sufficienter autem liquet Deiparam, iuxta hos textus, ita immediate aliquid contulisse ad redemptionem obiectivam. Quoad S. Alphonsum dicendum est eum huiusmodi cooperationem Mariae pluries *apertissime* negasse » (pp. 131132). [2]

Verum textus illorum auctorum qui ab ipso Cl. Dillenschneider citantur, et alii etiam textus eorumdem auctorum qui citari possunt, *quid amplius* dicunt. Praesertim vero dicunt Deiparam tamquam *personam publicam*, id est vi officii Sociae Redemptoris, actus illos posuisse, et ideo « immediate aliquid contulisse ad redemptionem obiectivam ». [3] Ad singulos:

[1] L. c., p. 262.

[2] Eadem, plus minusve, repetit Philips, l. c., p. 305.

[3] P. I. B. Carol, O. F. M., in art. *Our Lady's part in the Redemption according to seventeenth-Century writers* (in *Franciscan Studies*, 24, 1943, 30-20, 143-158), pro solo saeculo xvii textus profert circiter 70 auctorum, quorum maxima pars, absque dubio, favent Corredemptioni sensu stricto acceptae. Perpauca tantummodo testimonia dubia manent, ratione terminorum quibus utuntur. Maxima pars testium asserit B. Virginem meruisse *de congruo* (perpauci etiam

S. Laurentius a Brundusio [1] sat aperte in suo *Mariali* (pp. 183-184) cooperationem Mariae sacrificio Christi redemptivo significat: « An non pro nobis in vitae discrimen Maria venit, cum iuxta crucem Christi stetit eum uti vero Abrahae spiritu plena ac superplena, Deo spiritu vere sacrificans, et *pro mundi salute* vera caritate offerens? *Stabat iuxta crucem*, utique spiritus virtute fulta, spiritu sustentata. Mariae spiritus erat spiritualis sacerdos, sicut crux altare, et Christus sacrificium; licet spiritus ipse Christi esset principalis sacerdos, sed spiritus Mariae una erat cum spiritu Christi; imo unus cum eo spiritus erat, una veluti anima in duobus corporibus. Quare spiritus Mariae una cum spiritu Christi *sacerdotali munere iuxta aram Crucis fungebatur, Christique sacrificium*

de condigno) reconciliationem nostram cum Deo; Ipsam satisfecisse pro peccatis nostris; spiritualiter immolasse semetipsam, una cum Filio suo in monte Calvariae pro salute nostra etc. Exprimunt ergo varios modos quibus redemptioni nostrae cooperata est. Asserunt etiam, explicite et implicite, meritoriam compassionem Deiparae acceptatam fuisse a Deo Patre, una cum Passione Christi, tamquam pretium redemptionis nostrae; aeternum Patrem, intuitu Passionis Christi et Compassionis Deiparae, iram deposuisse et sese cum humano genere reconciliasse. Quidam (e. g. Vulpes, De Rhodes, Reichenberger et Frangipane) explicite asserunt B. Virginem cooperatam fuisse directe, proxime et immediate redemptioni. Tres tantummodo auctores (Baillet, Bourzéis et Coutino) inveniuntur contrarii. Et iure concludit Ecclesiam, saec. XVII doctrinam de cooperatione immediata B. M. Virginis Redemptioni, cum omnibus suis respectibus et modalitatibus, constanter tenuisse et aperte professam fuisse.

Idem P. Carol, in art. *Testimonia saeculi XVIII de B. Virgine Corredemptrice*, in *Marianum*, 9 (1947) 37-63, ita concludit: « Ex omnibus testimoniis hucusque in medium prolatis hoc cuique liquido patet, nimirum: Doctrinam quae tenet Deiparam Virginem intime divini Reparatoris operi consociatam fuisse, durante toto saeculo decimo octavo in Ecclesia Catholica communiter fuisse vulgatam. Ex viginti septem auctoribus a nobis citatis, plerique hodiernam theologorum sententiam de cooperatione immediata ad Redemptionem obiectivam aperte favent. Non quod istis vocabulis semper utantur sed, inspecto contextu, sat facile deprehenditur doctrinam praefatam ab illis aequivalenter tradi. Inter hos eminent proculdubio praeclari scriptores ex Ordine Minorum: Montalbanus, del Moral, Lossada et Gonzalez, in privilegiis marianis vindicandis iure meritissimi.

E contra, in tota hac periodo quinque solummodo scriptores reperiuntur qui indubitanter adversus communem sententiam afferri possunt; sed hi inter theologos magnae notae numerari non valent. Quibus adiungendi sunt duo vel tres qui ita haesitanter hac de re sese exhibent ut de illorum mente nihil certi neque in favorem neque contra thesim nostram concludere possimus. Quod profecto mirandum non est, praesertim si prae oculis habemus terminologiam specificam a mariologis hodiernis adhibitam, non fuisse eo tempore ubique receptam sicuti nunc. Imo, nec desunt qui, etiam nostris diebus, de praefata terminologia minime curent, eo vel magis quod in operibus non stricte theologicis male sonent vocabula illa « obiective », « immediate », « in actu primo » etc. De cetero, ut quid simpliciores talibus verbis opprimere, cum neque ipsi theologi de eorum sensu convenire videantur? ».

Eruditissimis articulis P. Carol usi sumus ad hanc quaestionem, quoad partem positivam attinet, evolvendam.

[1] Cfr Jérôme de Paris, O. M. C., *La Doctrine mariale de Saint Laurent de Brindes*, Rome, 1933, pp. 167-173.

offerebat pro salute mundi aeterno Deo. O mirabile, o vere divinam Mariae erga nos caritatem! De ipsa namque, uti et de Deo, cui spiritu simillima erat, vere dicere possumus quod *sic ... dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam aeternam.* Quare igitur toti mundo causa laetitiae et gaudii est, apud omnipotentem Deum talem tantamque habere Patronam et advocatam, quae apud Deum nihil non potest, et nobis materna caritate nullum non desiderat, non exoptat bonum? ». Et alibi (p. 546): « Elucet etiam caritas, quia unicum Filium Deo sicut Abraham offerebat; nam obtulit in templo, in loco sacrificii, quod passionem et mortem Christi designabat ».

Ex textibus istis eruimus: 1) B. Virginem, iuxta crucem, *sacerdotali munere*, quamvis secundario, functam esse; 2) ratione huius muneris, ipsum Christi sacrificium, cum Christo pro mundi salute obtulit et ita fuit toti mundo causa laetitiae; 3) ratione tandem huius oblationis, omnia potest, sua impetratione, apud omnipotentem Deum.

NOVATUS in suo pretiosissimo opere *De Eminentia Deiparae*, postquam egit de cooperatione remota et mediata, explicite quaerit: « *Utrum B. Virgo, Christo compatiendo, Ipsumque Deo Patri devovendo, humani generis redemptioni cooperata sit* ».

Et respondet: « *Dico primum*, Virginem, compatiendo Christo, cooperatam esse humanae redemptioni.

« *Dico secundo*, B. Virginem maxime cooperatam esse redemptioni humani generis offerendo vitam, et sanguinem Filii sui aeterno Patri pro salute hominum.

« *Probatur primo*: Christus ut verus Filius Mariae, erat aliquid ipsius Mariae, pars n. parentum sunt filii, ex Aristotele, et Christus etiam sponte erat subditus eidem Mariae; ergo ipsa obtulit pro redemptione nostra aliquid, in quo aliquod ius habebat, et sic maxime cooperata est nostrae redemptioni ...

« *Probatur secundo*: tota Trinitas contulit Christo humanam vitam, et sanguinem, atque adeo pretium, quo nos posset redimere, eademque inspiravit voluntatem moriendi pro nobis, et cooperata est, ut seipsum pro nobis offerret in pretium redemptionis, quam ob causam D. Thomas loco citato a principio quaestionis dicit, quod ipsa redemptio potest attribui toti Trinitati, sicut primae causae: sed, simili modo, seu secundum quandam proportionem possumus discurrere de B. Virgine, quod, nimirum, illa, gignendo, parturiendo, lactando, eundem Christum, in eius vitam influxit, et voluntatem suam maxime tempore passionis cum voluntate quae erat in Christo moriendi pro nobis, copulando, cooperata est, ut ipse Christus se pro nobis offerret in pretium redemptionis: ergo Virgini attribui potest, tamquam causae aliquo modo influenti in Christi redemptionem, maxima saltem cooperatio eidem redemptioni. Porro fuit adeo

perfecta, et eminens illa maternae voluntatis cum Filii voluntate coniunctio, ut ab Arnoldo Carnotense tract. de Virgin. laud. una omnino utriusque censeretur: perpende eius verba, quae etiam supra citavimus: omnino tunc erat una Christi, et Mariae voluntas unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, haec in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Huc etiam tendit modus ille loquendi, quo utitur ipsamet Virgo Revelationum S. Birgittae loco supra cit. "Cor eius erat cor meum: sicut enim Adam et Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, sic Filius meus, et ego redemimus mundum quasi uno corde, etc.".

« Collige primo, hunc modum cooperandi humanae redemptioni in hac secunda conclusione explicitum ita esse proprium B. Virginis, ut *nulli alii creaturae competat*. Ad hoc respexisse videtur Albertus Magnus super "Missus est" dicens: "Hoc privilegium solum attribuitur Mariae, quando ipsa est adiutrix redemptionis". In hoc sensu etiam accipienda sunt dicta Patrum, in quibus opus redemptionis videntur referre in Virginem, tanquam in causam.

« Collige secundo, quid in Virginis praeconium intendat Spiritus Sanctus in illis verbis Cant. 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis! Memineris Moysi fuisse praeceptum (Exod., 3) ut non nisi solutis calceamentis ad rubum incombustum accederet. Per rubum significatum fuit Moysi mysterium redemptionis; solvere autem calceamenta apud antiquos erat idem ac cedere iuri suo (unde Cyprian. et Ambros. volunt indicatum tunc fuisse Moysi quod Ecclesiam, cuius liberationem ingrediebatur, non sibi vindicare, sed Christo debebat concedere). Moysi igitur solvenda fuerunt, antequam ingrederetur, calceamenta sua in argumentum, quod nihil iuris haberet in opere redemptionis. Verum B. Virgini datur ingredi in hoc mysterium cum calceamentis in pedibus: "quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis. Filia Principis!" ac si dicat: quantum tibi gloriae ac pulchritudinis accedit ex eo, quod tibi datum est ius aliquod retinere in opere redemptionis!

« Collige tertio quid causae fuit quod voluit Spiritus Sanctus, sicut supra declaravimus cap. 3 quaest. 3, ut ubi vulgata editio Scripturae Genes., 3 habet et ipsa conteret caput tuum: "ex hebraeo vertatur etiam "Ipse", seu "ipsum" conteret caput tuum. Diximus cap. et quaest. supradictis, per hoc conterere caput indicatum fuisse mysterium immaculatae Conceptionis, etc. Verum hoc idem conterere caput serpentis in re nostra etiam significat mysterium redemptionis, quod caput inferni serpentis conterendo, consummavit Christus. "Ipse" igitur "conteret caput tuum", hoc est, Christus opus redemptionis perficiet solus, et verus redemptor: vertit vulgata: "et ipsa conteret caput tuum", hoc est, aderit et mulier quae huic redemptioni cooperabitur, per quam caput tuum, o serpens, conteretur.

« Collige quarto, Beatam Virginem ex etiam speciali capite, quod modo peculiari, et adeo eminenti *electa fuerat in redemptionis humanae cooperatricem*, ab

omni, vel etiam originalis peccati, labe omnino fuisse praeservandam, ut sic maiori pro dignitate posset cooperari.

« Collige quinto, quanta cum fiducia confugere possumus ad Virginem pro redemptionis fructibus percipiendis: certe enim idcirco voluit *Christus illam in redemptionis humanae consortium sibi adsciscere*, ut magis libere de fructibus redemptionis hominibus dispensaret. Quod si suadente Eva, mortiferum pomum comedit Adam; virusque in universam sobolem transfudit; sic Mariae suasu vitalis fructus redemptionis in universam Catholicorum sobolem erat communicandus. Sed quaeres: quantae gloriae fuit Deiparae sic humanae redemptioni cooperari? Respondeo, magnitudinis huius gloriae illum ferre posse iudicium, qui eam gloriam metiri potest, quam retulit Christus ex opere redemptionis, ad eam enim propius supra omnes accessit gloria Deiparae, ut patet ex dictis. Porro tanta fuit Christi gloria ex opere redemptionis, ut ipse illam vicina passione consequuturus voluerit prius Apostolorum abluere pedes, operique quo humilius numquam praestiterat, se subiicere, innuens, quod, si tempus ullum erat, quo periculum maius adesset (si fieri potuisset) in Christo superbiendi, illud erat, quo munus redemptionis altissimorum praestandum erat: quod optime attingens Ciprian. lib. 3, epistol. "Imitentur" ait, "Dominum, qui tempore passionis non superbior, sed humilior factus pedes discipulorum suorum lavit". Tanta, inquam fuit ut ipse Christus, cum tempus illius assequendae appropinquaret, exultabundus sic gloriaretur: "Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum". Quare silentio potius, quam verbis nobis celebranda est gloria Deiparae, quam ex huiusmodi cooperatione reportavit. Illius sane magnitudinem agnoscens Spiritus Sanctus, postquam talem cooperationem exposuit, "Vadam", aiens "ad montem myrrhae, et ad collem thuris", ubi legit Rabbi Salomon: "vadam ad montem Mor", in quo Abraham obtulit filium, et Christus fuit cruci affixus (quod de Beata Virgine pergente ad montem Calvariae exponit Gregor. Nyssen. orat. 7, in Cantica) necessarium duxit immediate post declarare, nullam inanis complacentiae maculam Virgini ex hoc adhaesisse in tanta gloria, statim subiungens: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te » (t. 1, c. 18, q. 14, pp. 379-380).

Et alibi: « Sicut Christus de condigno meruit omnibus hominibus sufficienter remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem et omnia alia bona quae inde consequuntur ... ita dici debet quod *B. Virgo de congruo eadem promeruit omnibus hominibus*, ut salvetur quod fuerit ea meliore ratione quae puram creaturam redemptam decebat, adiutorium simile Filio Dei incarnato ». Et addit: « Dixi: sufficienter, quia sicut theologi ... distinguunt duplicem rationem in meritis Christi scil. *quoad sufficientiam* et *quoad efficaciam* ... sic ergo modo proportionaliter correspondenti disserendum est *de meritis congruis* B. Virginis. Haec enim actus, quibus de congruo merebatur remissionem peccatorum omnibus hominibus non sic applicabat et ordinabat ut omnes homines absolute et infal-

libiliter remissionem peccatorum obtinerent, sed ut per media ordinata obtinerent » (o. c., t. 2, 236). Ex quibus verbis apertissime patet, meritum sociale seu corredemptivum Deiparae (sicut et meritum Christi), iuxta Novati, sese extendere non solum ad *applicationem* fructuum redemptionis (seu ad redemptionem subiectivam) sed etiam ad ipsam *acquisitionem* eorundem fructuum (seu ad ipsam redemptionem obiectivam, in actu primo). Prima (seu dispensatio) fundatur in secunda (seu acquisitio): « Idcirco voluit Christus illam in redemptionis humanae consortium sibi adsciscere, ut magis libere de fructibus redemptionis hominibus dispensaret » (L. c., t. 1, p. 380).

S. Ioannes Eudes († 1601-1680) apertissime, et pluribus in locis, professus est cooperationem immediatam Deiparae ad opus redemptionis.[1] Asserit enim quod finis ob quem Deus creavit B. Virginem, fuit Corredemptricis officium: « Premièrement Dieu l'ayant créée pour être avec son Fils la réparatrice de la prévarication d'Eve, il l'a mise en sa place dans le commencement de sa vie ... » (*Œuvres complètes*, t. 5, p. 404). « Comme la fin de la prédestination de Jésus est de nous le donner pour être notre Sauveur, notre Médiateur entre son Père et nous..., aussi la fin de la *Prédestination de Marie* est de nous la donner pour coopérer avec son Fils à notre rédemption, pour être notre Médiatrice entre Lui et nous, pour être notre Mère, notre nourrice, notre gouvernante, notre vie, notre consolation, notre espérance ... » (L. c., p. 76).

Ratione praedestinationis ad talem missionem, collata fuerunt ei dona et privilegia singularia. « Souvenez-vous — scribit — qu'Il ne lui a pas donné

[1] S. Ioannes Eudes (una cum Ven. Olier, et S. Lud. Grignion de Montfort) pertinet ad *Scholam*, uti aiunt, *Gallicam* saec. xvii, cuius caput fuit Card. Petrus de Bérulle (1575-1629). Nuper S. Théorêt, in op. *La Médiation Mariale dans l'Ecole Française*, Paris, 1940, demonstravit quomodo celeberrima haec Schola Gallica docuerit *cooperationem immediatam* Deiparae in opere redemptionis nostrae obiectivae. « L'idée maîtresse — scribit — de toute la doctrine Mariale que nous découvrons dans l'Ecole française est, non seulement l'union physique en l'Incarnation, mais l'unité d'esprit et d'action de Jésus et de Marie dans le grand œuvre de la Rédemption du monde, qui commence en l'Incarnation. Cette unité indissoluble, fondée sur la Maternité divine de la très sainte Vierge, sera pour toute la vie de l'Eglise le principe de l'action commune du Fils et de la Mère, du Rédempteur et de la Co-Rédemptrice, et, pour tout dire, du Médiateur de Dieu et des hommes, et de la Co-Médiatrice » (o. c., p. 20).

Ad eandem conclusionem nuper pervenit P. Dillenschneider: « En résumé, à part Bérulle et le P. Chardon (in op. *La Croix dé Jésus*, Paris, 1937) les principaux représentants de l'Ecole mystique française tiennent pour le concours immédiat de Marie à l'oeuvre rédemptrice de son Fils. Et sous la plume d'Olier cet apport marial est déjà assez heureusement défini » (*Marie au service de notre Rédemption*, p. 200).

Praepropere, proinde, P. Garcia Garces nobis videtur scripsisse: « Schola Gallica plurimos edidit tractatus devotioni fovendae aptos, potius quam stricte theologicos, in quibus multa pulcherrima de B. M. V. praedicantur; si autem eorum metaphoras ac poeticas locutiones theologica dictione exprimere intendas, *corredemptionem immediatam obiectivam* traditam non invenies » (*Mater Corredemptrix*, p. 235).

tous ces trésors pour elle seulement, mais pour vous aussi et pour tous les hommes. Car *il l'a ornée de tous ces dons et privilèges pour la préparer par ce moyen au très sublime état de la divine Maternité, pour la rendre digne de vous donner un Rédempteur et de coopérer avec Lui au grand œuvre de votre rédemption, et pour vous donner une Mère puissante ...* » (Ibid., t. 5, p. 378).

Et de facto B. Virgo, iuxta S. I. Eudes, socia fuit Christi Mediatoris in universo mediationis opere: « En tous les états de sa vie a coopéré avec son Fils à l'ouvrage de notre salut; et lorsqu'il s'immolait sur la croix, elle le sacrifiat, elle aussi, pour la même fin » (L. c., p. 65). « C'est par Elle que Jésus a été offert à son Père au premier et au dernier moment de sa vie, lorsqu'elle l'a reçu en ses sacrées entrailles, et lorsque elle l'a accompagné au sacrifice qu'Il a fait de soi-même à son Père en la croix » (L. c., t. 3, p. 216). Explicat quomodo iuxta crucem « par l'union très étroite qu'elle avait avec son Fils, avec lequel n'ayant qu'un cœur, qu'une âme, qu'un esprit et qu'une volonté, elle voulait tout ce qu'il voulait, elle faisait et elle souffrait en quelque façon avec lui et en lui, tout ce qu'il faisait et tout ce qu'il souffrait. De sorte que, losqu'il s'immolait en la croix pour notre salut, elle le sacrifiait aussi avec lui pour la même fin » (L. c., t. 6, p. 150). « Notre Seigneur et sa très sainte Mère, n'avaient qu'un esprit et qu'une volonté pour le salut du monde; comme le cœur de Jésus est tout embrasé d'amour pour les âmes, le cœur de Marie est tout enflammé de charité pour elles; comme le Fils de Marie s'est dépouillé de tout, a tout donné, a tout fait, a tout souffert, pour sauver les âmes, la Mère de Jésus s'est privée aussi de tout, a tout donné, a tout fait, a tout souffert pour coopérer à leur salut » (L. c., t. 4, p. 175). « Plusieurs autres saints Pères et signalés Docteurs l'appellent l'aide et la coopératrice avec son divin Fils, de notre rédemption, la source de notre salut, l'espérance des pécheurs, la médiatrice de notre réconciliation et de notre paix avec Dieu, la rédemption des captifs, la joie et le salut du monde; et assurent que *c'est en elle, d'elle et par elle, que Dieu a refait et réparé toutes choses*; que personne n'est sauvé que par elle; et que Dieu ne fait aucune grâce à personne que par elle » (L. c., t. 6, p. 656). « Elle commença à souffrir un nouveau martyre de douleurs à la vue de son Fils et de son Dieu pendant en croix. Ce qui n'empêchait pas néanmoins que dans son âme, elle ne fit *l'office de Médiatrice* devant Dieu pour les pécheurs, coopérant à leur salut avec leur Rédempteur, et offrant pour eux au Père éternel son sang, ses souffrances et sa mort, avec un désir très ardent de leur bonheur éternel » (L. c., t. 8, p. 228). Asserit quod B. Virgo fuit « admirable en ses souffrances » (L. c., t. 6, p. 21). Etenim: « I. Elle a souffert en son âme, transpercée du glaive de douleur; 2. Elle a sacrifié une vie divine; 3. son martyre a été aussi long que sa vie; 4. ses plaies et ses douleurs sont innombrables; 5. enfin Elle souffre du martyre de son divin Fils, qui est infiniment plus sanglant que tous les autres » (L. c., t. 7, pp. 575-577). Ipsa offerebat Patri aeterno omnes has poenas « avec une charité

incroyable, en union de celles de son Fils, *pour la même fin pour laquelle il les endurait, c'est-à-dire pour la destruction du péché, et pour la rédemption* de nos âmes » (L. c., t. 6, p. 150). « Si la chair de Jésus est la chair de Marie, qui peut nier que toutes les plaies dont cette très sainte chair a été couverte depuis la tête jusqu'aux pieds, toutes les doulers qu'elle a souffert, tout le sang qu'elle a répandu, et la mort très cruelle qu'elle a endurée, ne soient les plaies, les douleurs, le sang et la mort de Marie? ». (Ibid., t. 6, p. 163).

Vi huius cooperationis, B. Virgo facta est omnium hominum Regina: « Elle est Reine de tous les hommes, de le premier moment de sa Conception, tant parce qu'elle est choisie dès lors du Fils de Dieu et destinée pour coopérer avec Lui au salut de tous les hommes, que d'autant qu'elle est mise en la place d'Eve pour être la Reine et la Mère de tous les enfants d'Adam » (Ibid., t. 5, p. 395).

Aperte, tandem, explicat naturam cooperationis Deiparae, quomodo nempe sit secundaria et dependens a Christo. « Ce n'est pas, dit Saint Bernard, que le Sauveur ne fut lui seul plus que très suffisant pour l'œuvre de notre salut: *Sed congruum magis erat ut adesset nostrae reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset.* Mais l'homme et la femme avaient été cause de notre ruine, il était convenable que l'homme et la femme coopérassent à notre réparation. Ce qui s'est fait néanmoins d'une manière différente: l'Homme Dieu ayant opéré notre rédemption comme cause prémière et souveraine, et par ses propres mérites; et sa très sainte Mère y ayant coopéré comme cause seconde et dépendante de la prémière, et par les mérites de son Fils, et en la manière qui a été dite » (Ibid., t. 6, p. 158).

Quaeritur: Ex hisce omnibus textibus potest ne deduci *immediata* cooperatio Deiparae ad redemptionem obiectivam? ... Cl. prof. Goossens respondet: « Non sufficienter liquet Deiparam, iuxta hos textus, ita immediate aliquid contulisse ad redemptionem obiectivam ».[1] At res modo prorsus diverso videtur se habere. Asserit enim S. Ioannes Eudes Deiparam: 1) obtulisse Filium suum et sua omnia, dolorem praesertim, pro salute nostra; et 2) hoc fecisse non iam tamquam personam privatam sed ut *personam publicam*, officio Corredemptricis, seu novae Evae, *vi praedestinationis* insignitam. *Necessario*, igitur, ea quae cum Filio Redemptore pertulit, aliquid immediate conferre debuerunt ad redemptionem obiectivam. Non videmus enim quid amplius ad hoc probandum rationabiliter exigi possit.

Nicole († 1695) pariter scribebat: « Comme c'est proprement sur le Calvaire que Jésus-Christ a formé son Eglise, il est clair que la Sainte Vierge a coopéré d'une manière excellente et singulière à cette formation; et ainsi on peut dire, que si Elle avait enfanté Jésus-Christ, chef de l'Eglise, sans douleurs,

[1] *De Cooperatione immediata Matris Redemptoris ad Redemptionem obiectivam*, Parisiis, 1939, p. 131.

elle n'a pas enfanté sans douleurs le corps de ce chef, mais plutôt avec des peines dont il n'y a que Dieu qui sache la mesure ». (*Instructions théol. et morales sur l'Oraison dominicale et la salutation angélique*, Paris, 1776, p. 111).

Ioannes de Neercassel (1625-1686), Episcopus tit. Castoriensis, Vic. Ap. Hollandiae, in op. *Tractatus de sanctorum ac praecipue beatae Mariae Virginis cultu* (Utrecht 1665, ed. gallica, Parigi 1679, art. 22) scripsit: « Marie ne fut point au pied de la croix une spectatrice curieuse et inutile..., mais elle y fut, y faisant un admirable sacrifice par sa religion et sa foi, y offrant avec son Fils la victime de notre salut *et y payant avec lui le prix de notre rédemption*, par cette oblation avec laquelle elle s'unissait à ce divin Fils... Il (Christus) ne voulut point requérir (a Matre sua) un secours qui n'était point nécessaire, il voulut plutôt augmenter sou mérite et sa gloire, lui donner la grâce et la force de coopérer à notre salut, autant qu'elle en était capable par le désir que sa charité lui inspirait ».

Asserit etiam quod est « une gloire éminente pour la Sainte Vierge d'être la Mère de tout le corps des élus » (*Instructions théol. et morales sur le Symbole*, 5e Instruct., ch. 2, Paris, 1740, t. 2, p. 313. *Continuation des Essais*: Jésus-Christ élevé sur la croix, § 3, t. 13, pp. 431-432).

Etiam verba haec quid amplius, et quidem, *substantialiter*, dicunt ac Goossens. Agitur enim non de *quacumque* cooperatione, sed de immediata Virginis cooperatione ad regenerationem nostram.

Ex hac maternitate spirituali quae nos Mariae indissolubiliter iungit, logice Nicole deducit actualem Virginis interventum in distributione gratiarum salutis, seu in redemptione, uti aiunt, subiectiva: (*Continuation des Essais*: La Visitation, § 2, 3).

Singlin in ultimis verbis Christi morientis promulgationem maternitatis gratiae recognoscit; et ita concludit: « Ainsi comme Jésus-Christ, en donnant sa vie pour la Rédemption du monde, est devenu par sa mort le Père de tous les fidèles ... de même la Vierge, ayant offert en esprit ce même Fils pour les péchés des hommes, *a mérité de devenir* la mère de ces mêmes enfants de Jésus-Christ, qui naîtront dans l'Eglise jusqu'à la fin des siècles » (*Instructions chrét. sur les Mystères de N.-S. J.-C.*, Pour le Vendredi Saint, 3e Parole, t. 2, pp. 183-84, cfr 6 Instruct. pour la Nativité de la Sainte Vierge, t. 5, pp. 398-99). Etiam in hisce verbis clare patet omnino immediata cooperatio Virginis redemptioni obiectivae.

Crasset clarissime immediatam Virginis cooperationem effert, dicens: « Il n'y a que la Sainte Vierge qui a quelque part à la gloire de son Fils.,... *comme cause instrumentale de notre salut* dont son Fils s'est bien voulu servir. Elle a... offert toutes ses actions et ses souffrances unies à celles de Jésus-Christ pour

le salut de tous les hommes. Et Dieu a accepté cette offrande, comme enseignent saint Bonaventure et les autres théologiens » (cfr DILLENSCHNEIDER, l. c., p. 139).

VAN KETWIGH O. P., in sua *Panoplia Mariana*, sive vocem *Corredemptrix*, sive rem per vocem significatam admittit. Pro ipso B. Virgo triplici modo nostrae saluti cooperata est, videlicet: 1) « Redemptorem gignendo, plene actu elicito consensit in Christi Filii sui passionem, quatenus redemptiva et satisfactiva erat pro nobis »; 2) « Eum pendentem in cruce pro redemptione humana Patri suo offerendo ». Illa enim « quod suum erat obtulisse dicendum est »; 3) « precibus et meritis impetrando ut Passio Christi Redemptoris hominibus applicaretur » (*Panoplia Mariana* ... Antwerpiae, 1720, pp. 101-102, 110). [1]

Evidenter ergo hic praeter cooperationem redemptioni subiectivae (*precibus et meritis impetrando* ...) et cooperationem mediatam redemptioni obiectivae (*Redemptorem gignendo*), admittitur etiam cooperatio immediata redemptioni obiectivae (*Eum pendentem in cruce pro redemptione humana Patri suo offerendo*).

S. GRIGNION DE MONTFORT († 1716) apertissime docet quod Deus Filius «a glorifié son indépendance et sa majesté à dépendre de cette aimable Vierge dans sa conception, en sa naissance, en sa présentation au temple, en sa vie cachée de trente ans, jusqu'à sa mort, où elle devait assister, pour ne faire avec elle qu'un même sacrifice, et pour être immolé par son consentement au Père éternel, comme autrefois Isaac par le consentement d'Abraham à la volonté de Dieu. C'est elle qui l'a allaité, nourri, entretenu, élevé et sacrifié pour nous » (*Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge*, 1934, n. 189, p. 11). Ex quibus verbis patet quomodo B. Virgo, Filium suum — iuxta Dei consilium sibi Virginem associantis — pro salute hominum iuxta crucem sacrificando, redemptioni obiectivae immediate cooperata sit. [2]

Relate ad S. ALFONSUM DE LIGORIO († 1787) Goossens incunctanter asserit, contra Dillenschneider, S. Doctorem « huiusmodi cooperationem [immediatam redemptioni obiectivae] *pluries apertissime negasse* ». Et addit: « Quibus assertis Cl. Dillenschneider frustra conatur opponere alios textus eiusdem Doctoris; nam hi textus, quos ipse Cl. Dillenschneider reputat minus claros, absque ulla difficultate intelligi possunt, ac proinde debent, iuxta doctrinam locorum minime aequivocorum » (o. c., pp. 133-134).

[1] Cfr DILLENSCHNEIDER, *Le concours sotériologique de la Vierge d'après le mariologue dominicain Van Ketwigh*, 1720, in *Rev. Thom.*, 44 (1938) 794.

[2] Alia argumenta inveniri possunt in art. P. HERMANS, S. M. M., *Maria's medewerking in de objective verlossing volgens de leer van den Zaligen Louis-Marie de Montfort*, in *Studia Catholica*, 20 (1944) 62-84.

Animadversio haec utique valeret si revera textus quidam S. Alfonsi *apertissime* thesim nostram negarent, et si cum aliis textibus eiusdem S. Doctoris componi non possent; neutrum autem ex his duobus probari potest. [1]

Textus qui iuxta Goossens, *apertissime* thesim nostram excluderent, tres sunt:

a) « Da Gesù noi però, dobbiamo intendere, riceviamo la grazia come autor della grazia, da Maria come mezzana; da Gesù come Salvatore, da Maria come avvocata: da Gesù come fonte, da Maria come canale ».

Attamen, S. Alfonsus antea, referens verba Angelici, dicit: « Alcuni Santi, soggiunge l'Angelico, hanno tanta grazia che non solo basta per essi, ma anche per salvare molti altri, ma non già tutti gli uomini; solamente a Gesù Cristo ed a Maria fu donata una tal grazia che bastasse per salvare tutti » (*Glorie di Maria*, Opere ascetiche, Roma, 1937, vol. 7, p. 61).

b) Secundus textus est: « Nella morte di Gesù, Maria unì la sua volontà a quella del Figlio, talmente che ambedue vennero ad offrire uno stesso sacrificio, e perciò dice il santo Abbate [Arnoldo Carnotense] che così il Figlio come la Madre operarono l'umana redenzione, ottenendo la salute agli uomini, *Gesù col soddisfare per li peccati nostri, Maria coll'impetrarci che ci fosse applicata una tal soddisfazione*. E perciò parimente asserisce il B. Dionisio Cartusiano che la divina Madre può chiamarsi salvatrice del mondo; poichè per la pena sofferta nel compatire il Figlio — volontariamente da Lei sagrificato alla divina giustizia — meritò che fossero comunicati agli uomini i meriti del Redentore ».

Et prosequitur dicens: « Essendo stata fatta dunque Maria *per lo merito dei suoi dolori e dell'offerta del suo Figlio, madre di tutti i Redenti*, è giusto il credere che solo per mano di Lei si doni ad essi il latte delle divine grazie, che sono i frutti dei meriti di Gesù Cristo, ed i mezzi per conseguire la vita eterna. Ed a ciò allude quel che dice s. Bernardo che Dio ha posto in mano di Maria tutto il prezzo della nostra Redenzione... Colle quali parole ci fa intendere il Santo che per mezzo dell'intercessione della B. Vergine si applicano all'anima i meriti del Redentore, mentre per sua mano si dispensano le grazie che sono appunto il prezzo dei meriti di Gesù Cristo » (Ibid., pp. 138-139).

Attamen, in eodem sermone, s. Doctor haec habet quae immediatam Virginis cooperationem redemptioni obiectivae apertissime exprimunt: « Siccome non volle (l'Eterno Padre) che il suo Verbo divino divenisse figlio di lei prima ch'ella l'accettasse col suo espresso consenso, *così non volle che Gesù sacrificasse la sua vita per la salute degli uomini, senza che vi concorresse ancora il consenso di Maria*; *affinchè insieme* col sagrificio della vita del Figlio fosse ancor sagrificato il cuor della Madre. Insegna S. Tommaso che la qualità di madre dà un diritto speciale sovra de' figli; ond'essendo Gesù per sè inno-

[1] Cfr DILLENSCHNEIDER C., *La Mariologie de Saint Alphonse de Liguori. Son influence sur le renouveau des doctrines mariales et de la piété catholique après la tourmente du protestantisme et du jansénisme*, Fribourg (Suisse), 1931; *La Mariologie de S. Alphonse de Liguori.* Sources et synthèse doctrinale, Friburg (Suisse), 1934; *S. Alphonse de Liguori: son apologie pour la médiatrice de toutes les grâces* (1750), in *Eph. theol. Lov.*, 8 (1931) 47-66; *La corédemptrice dans la théologie mariale de S. Alphonse de Liguori*, in *Eph. theol. Lov.*, 10 (1933), 243-266.

cente ... e che non meritava alcun supplicio per propria colpa, parea conveniente che non fosse destinato alla croce per vittima dei peccati del mondo senza il consenso della Madre, col quale spontaneamente l'offrisse alla morte ... Ed Ella a tutto acconsente ... dicendo: Padre Eterno, giacchè voi così volete, *non mea voluntas, sed tua fiat*; unisco la mia alla vostra santa volontà, e vi sacrifico questo mio Figlio: mi contento che perda la vita per la gloria vostra e per la salute del mondo. E con ciò vi sacrifico anche il mio cuore ... E quindi fu che Maria nella Passione di Gesù tacque, allorchè l'accusavano ingiustamente ... ma solo comparve in pubblico per assistere al gran sacrificio che dovea eseguirsi sul Calvario ... Quindi la divina Madre, *per lo gran merito che acquistò in questo gran sagrificio, ch'ella offerì a Dio* per la salute del mondo, giustamente venne chiamata da s. Agostino la riparatrice del genere umano: *Reparatrix generis humani* (*De fide ad Petr.*)... da s. Ambrogio, la madre di tutti i fedeli: *Mater omnium credentium* (Ap. S. Bon., *Spec.*, c. 10)... Essendo stata fatta dunque Maria, per lo merito de' suoi dolori e dell'offerta del suo Figlio, Madre di tutti i redenti, è giusto il credere che solo per mano di lei si doni ad essi il latte delle divine grazie ...».

c) Tertius textus qui obicitur est in Commentario Dogmatico decretorum Concilii Tridentini, in quo asserit B. Virginem non esse Corredemptricem quia cum Iesu nos redemit (*insieme con Gesù Cristo*), sed quia cooperata est, per sua caritatem, ut fideles in Ecclesia nascerentur» (*Opera dommatica contro gli eretici*, in sess. 25, § 1, Napoli, 1871, p. 181).

Attamen alii textus opponi possunt. ita in opere *Le Glorie di Maria* aperte dicit: « *Dispose* (Dio)... ch'ella cooperasse alla nostra salute e così divenisse Madre delle anime nostre» (Salve Regina, cap. 1, par. 2). Paulo post asserit quod ratione oblationis vitae Filii pro hominum salute, homo natus est gratiae: « Dispose (Gesù) che ella (Maria) col sacrificio e coll'offerta della vita di esso stesso Gesù cooperasse alla nostra salute e così divenisse madre delle anime nostre. E ciò significò il nostro Salvatore allorchè, prima di spirare, mirando dalla croce la Madre e il discepolo s. Giovanni, che gli stavano accanto, prima disse a Maria: *Ecce filius tuus* (Io. 19, 26), come le dicesse: Ecco l'uomo che dall'offerta che tu fai della mia vita per sua salute già nasce alla grazia» (Ibid.) « Ed allora ella coi suoi dolori ci partorì alla vita eterna; sicchè tutti noi possiamo chiamarci figli dei dolori di Maria ... Ella ancora con tutta la sua volontà offerì e consentì che il suo Figlio morisse, acciocchè noi fossimo salvi» (Ibid.). « Offrendo poi sul Calvario la vita del figlio per la nostra salute, venne allora a partorirci alla vita della divina grazia» (Ibid.). « Onde attesta s. Agostino, che allora avendo ella cooperato col suo amore acciocchè i fedeli nascessero alla vita della grazia, divenne parimenti con ciò Madre spirituale di tutti noi che siamo membri del nostro capo Gesù Cristo» (Ibid.). — Tandem: « Inoltre (e questa ragione mi pare la più valida) perchè conforme Maria ha cooperato con la sua carità, come dice s. Agostino, alla nascita spirituale dei fedeli, così vuole anche Dio ch'ella cooperi colla sua intercessione a far loro conseguire la vita della grazia in questa terra e la vita della gloria nell'eternità» (*Risposta ad un anonimo*...).

Hisce positis, sequentes conclusiones erui possunt: 1) Nulla habetur *oppositio* inter textus s. Alfonsi, quinimmo varii textus mutuo se complent. Ideo enim, prout apertissime docet s. Doct. (*Risposta ad un anonimo*) B. Virgo fieri meruit dispensatrix gratiarum salutis (et ideo cooperari redemptioni subiectivae), quia sua caritate cooperata

est nativitati spirituali fidelium (et ideo redemptioni obiectivae) per oblationem Filii sui iuxta Crucem. Duplex iste cooperationis marianae respectus modo divisim, in uno magis quam in alio insistendo, modo vero coniunctim, numquam vero tamquam oppositus, a S. Doctore consideratur. Attamen, ex eo quod magis in uno quam in alio aliquando insistit, minime sequitur quod unum vel alium modum excludat. Affirmatio enim unius non est negatio alterius. Textus igitur qui, iuxta Goossens, *apertissime* negaret cooperationem immediatam B. Virginis redemptioni obiectivae, illam minime negant, quinimmo aperte confirmant. Consulto proinde Goossens textus illos praetermisisse videtur qui cooperationem immediatam redemptioni obiectivae apertissime affirmant.

Cum igitur s. Alfonsus dicit B. Virginem « non esse corredemptricem eo sensu quod *cum Iesu nos redemit* », evidenter excludere intendit cooperationem aliquam *completivam* intrinsece redemptionis Christi; eo vel magis quod statim addere curat: « sed quia cooperata est, per suam caritatem ut fideles in Ecclesia nascerentur ». Cooperari enim regenerationi fidelium, est cooperari immediate redemptioni obiectivae.

Auctoribus hucusque laudatis, adiungi possunt Suarez, Frangipane, Miechow O. P., Paciuchelli O. P., Reichenberger, Petavius, Del Moral, Gonzalez, Vulpes, Celada, Cartagena, Agnello, Poiré, Salazar, De los Rios, Guerra, De Rhodes, Vega, Montalbanus, Lossada, Sedlmayr, Federici, Peralta, Dominicus a S. Petro de Alcantara, Martinez a Barrio, Mazzins, Siuri, Tausch, Dassier, etc.

Franc. Suarez († 1617): « Sicut enim Christus, eo quod nos redemit speciali titulo Dominus est ac Rex noster, ita B. Virgo propter singularem modum quo ad nostram redemptionem concurrit ... illum pro nobis offerendo » (In III P., d. 22, s. 2, n. 4). Et alibi: « Dico secundo: quamvis B. Virgo nec nos redemerit, nec aliquid de condigno nobis meruerit, tamen, impetrando, *merendo de congruo*, et ad Incarnationem suo modo cooperando, *ad nostram salutem suo modo cooperata est*. Prior pars est certa de fide, quia esse Mediatorem Dei et hominum *proprie ac perfecte* solius est Christi ... Posterior vero etiam est clara, scilicet, quod B. Virgo tribus modis ad salutem nostram operata fuerit. Primo, merendo de congruo incarnationem. Secundo, orando et petendo, et *quamdiu fuit in via, de congruo merendo nobis salutem*. Tertio, concipiendo Christum nostrae salutis auctorem » (De *Mysteriis vitae Christi*, disp. 22, sect. 2, n. 4, Parisiis, 1866, t. 19, p. 327). — B. Virgo, igitur, iuxta Suarez, nedum *mediate* (« concipiendo Christum nostrae salutis auctorem »), sed etiam *immediate* (« de congruo merendo nobis salutem ») operata est nostram salutem, quamvis Christus solus *simpliciter* et meritis ex seipsis *sufficientibus* nos redemerit.

Placidus M. Frangipane O. Cler. Reg. († 1638) in opere *Blasones de la Virgen Madre de Dios y Señora nuestra* (Zaragoza, 1635) asserit B. Virginem meruisse *de congruo* quidquid Christus meruit *de condigno*, et Immaculatam fuisse quia fuit *Corredemptrix* (p. 65 s.).

Miechow (1590-1689) asserit clarum esse B. Virginem fuisse cum Christo causam salutis nostrae. « Sic tamen, ut Filius tamquam prima, Virgo tamquam secunda causa Redemptionem nostram operata sit ». Et explicat quomodo redemptio nostra debeat Christo suam *sufficientiam*, Mariae vero suam *pulchritudinem*. (*Discursus praedicabiles super Litanias Lauretanas*, Neapoli 1856, Disc. 134, n. 5, t. 1, p. 234; Disc. 290, n. 10, t. 2, p. 198).

Paciuchelli tenet quod B. Virgo est « universalis causa et instrumentum generale ad omnium salutem ». Et explicat quomodo Deus eius cooperatione libere uti voluerit, licet ipsa minime indiguisset (*Excitationes dormitantis animae*, Venetiis, 1659, Exc. 1, in Ps. 86, n. 15; Exc. 7 in *Salve Regina*, n. 3).

Maximilianus Reichenberger, S. I., in op. *Mariani cultus vindiciae* asserit merita et preces Matris addita fuisse, « per modum meriti de congruo » meritis condignis Filii, et B. Virginem « proxime et immediate » cooperatam fuisse redemptioni (Pragae, 1677, p. 120).

Petavius († 1652) doctrinam suam de mediatione B. Virginis in duplici fundamento reponit: in merito et in intercessione. Ait enim: « Ad id [munus mediatoris] duplex adhibendum est officium: unum in bene merendo, alterum quod in precibus et orationibus consistit. Per has lineas consequens disputatio nostra ducetur » (*Dogmata Theologica*, ed. Vivès, Paris, 1866-68, t. 7, lib. 14, c. 9).

Carolus Del Moral († 1731): « Specialissimus influxus capitis in praedestinatos tamquam in membra corporis Ecclesiae est meritum offerendi, ut suum, pretium redemptionis ipsorum, et ut tale oblatum sit quo offerens obtinet in praemium libertatem et redemptionem; at Deipara habuit in redemptionem hunc influxum suis meritis quibus simul cum Filio suo obtulit pretium redemptionis praedestinatorum, nempe ipsum Filium et tamquam suum obtulit, quia ex iure materno, quo Ipsum possidebat, Patri aeterno contulit pro mundo, volens quod propter homines moreretur et ita placuit Deo haec Deiparae oblatio quod in praemium accepit cum Filio salutem mundi et praedestinatorum ut effectum utriusque communem » (*Fons illimis Theologiae Scoticae*, tract. 2, dist. 1, q. 3, a. 1, n. 43, pp. 373-4).

Gonzalez Didacus Matheo, O. F. M., in op. *Mystica Civitas Dei vindicata*, Matriti, 1747, fuse agit de cooperatione immediata B. Virginis ad redemptionem obiectivam.[1] « Fatemur — scribit Gonzalez — Christum solum esse Redemptorem generis humani principalem et per modum satisfacientis simpliciter de condigno » (n. 350). Et paulo inferius: « Cum hoc autem stat suam Sacratissimam Matrem fuisse in sensu longe inferiori *Redemptricem cum ipso*, seu *Co-*

[1] Cfr Carol, in *Marianum*, 9 (1947) 45 s.

redemptricem et reparatricem generis humani ex exuberantia et superabundantia redemptionis Christi Filii sui » (n. 351). Ratio est « quia seipsam obtulit sociam Passionis, cooperata est cum Filio toto tempore vitae suae ad propitiandum Deum, quantum potuit, et vota Matris Filius Patri offerebat ut sicut amborum corda coniuncta erant, sic et *amborum desideria pro totius mundi salute valerent et a Patre exaudita forent* » (n. 352). Ulterius:

« Satis communis est theologorum sententia asserens SS. Deiparam *meruisse de congruo quidquid nobis Christus meruit de condigno*. Sed indubitatum est Christum nobis meruisse de condigno omnes gratias omniaque beneficia tam ordinis naturalis quam ordinis supernaturalis, et peccatorum remissionem et liberationem a malis. Ergo *haec omnia meruit nobis de congruo SS. Deipara* » (n. 409. « Beata Virgo pro peccatis humani generis compensationem aequalis valoris cum eorumdem peccatorum offensa Deo obtulit ». « Quod Beata Virgo recompensaverit per opera excellentissima charitatis et aliarum virtutum malitiam omnium peccatorum totius generis humani, quatenus meliora sunt opera SS. Virginis et plus habent bonitatis quam malitiae habuerunt omnia peccata totius generis humani, simili modo ac numero praecedenti demonstratur » (n. 368). « Ut declarem sensum quo possit dici SS. Virginem compensare foeditatem totius generis humani contractam ex peccato in ratione offensae, notandum est, ut de fide certum, quod supra notavi, nempe solum Christum satisfecisse de condigno pro peccatis totius generis humani, solaque opera Christi fuisse ordinata et acceptata in ordine ad talem condignam satisfactionem » (n. 371).

Angelus Vulpes, O. F. M. Conv. (c. 1590-1647) explicite thesim nostram docuit: « ... In nono [signo, Auctor scotista loquitur de Praedestinatione Deiparae], ex primario motivo volendi Christum naturale caput omnium creaturarum, Mariam quoque eius Parentem veluti concaput, statuit redimere omnes homines a servitute peccati, etiam miraculose praeter ordinem hypostaticae unionis, *propter merita propria eorum* [= Christi et Mariae] per sacrificium cruentae mortis eiusdem Christi, cum consensu proprio eiusdem Christi ac Mariae suae Parentis. Inde finaliter decrevit sic miraculose Christum futurum sub passibilitate carnis, similiter Mariam eius Parentem, ut fieret corredemptrix etiam ipsa totius humani generis » (P. Angelus Volpe [aut Vulpes], O. F. M. Conv., *Disputationes magis scholasticae De Maria Virgine vera Christi Parente* [in tractatu de Verbo Incarnato), Disp. 71, art. 7, n. 13; in « *Sanae Theologiae Summa Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilissimi et Commentaria* », tomus 3, partis 4, pp. 290b-291a).[1] P. Vulpes — prout animadvertit P. Carol (l. c., p. 11) — primus videtur inter Theologos qui usus est terminis « subiectiva » et « obiectiva » relate ad Corredemptionem B. Virginis. (Op. cit., p. 422, col. 1).

[1] Cfr Di Fonzo L., O. F. M. Conv., *La mediazione universale di Maria in un trattato mariologico del P. A. Volpe O. F. M. Conv.*, in *Miscellanea Francescana*, 41 (1941) 175-226.

Celada verba Genesis exponens: « Faciamus ei adiutorium simile sibi, haec scribit: « Adoremus ergo iam tunc hanc Patris Dei vocem: non est bonum hominem Christum esse solum; faciamus ei adiutorium in labore et opere redemptionis, Virginem Deiparam, inquam, simile sibi, ut salutem humani generis, quam Filius Dei operatur condigne in cruce, Virgo Mater iuxta crucem congrue mereatur » (*Tract. in Lib. Esther*, append., § 365, n. 3).

Ioannes de Cartagena: « Beatissima Virgo electa et praedestinata fuit non solum ut Mater Christi fieret, sed ut *coadiutrix* eius esset et comes individua in reparatione generis humani ... Opinor, Evam B. Virginis typum gessisse; quod sicut illa data fuit Adae in adiutorium ad temporalem filiorum generationem ... ita et Christo Domino data fuit beatissima Virgo in *Coadiutricem* ad spiritualem filiorum sobolem procreandam et humanum genus a diabolica captivitate redimendum » (*De Arcanis Deiparae*, p. 2, l. 1, homil. 3).

Scipio Agnello in op. *Dell'interna croce della Madre di Dio*, (Venetia, 1634) Urbano VIII dicato, modum exponit quo B. Virgini titulus *Reparatrix* debetur. Et asserit quod B. Virgo « cooperò alla nostra redenzione per modo di merito » (o. c., p. 59). Exponit quomodo Christus meruit *de condigno* redemptionem nostram; hanc ipsam tamen redemptionem « l'istessa redentione » B. Virgo meruit *de congruo* (o. c., p. 59).

P. Poirè, S. J. (1584-1637) aperte vindicat Deiparae cooperationem immediatam. Agens enim de sacrificio Deiparae in monte Calvariae haec scribit: « Qui nous dira, ce que mérite devant Dieu le sacrifice de la Vierge Marie, ennobly de toutes les circonstances dont j'ay discouru jusqu'icy? ... Iugerez-vous par aventure que ceux-là montent trop haut qui asseurent qu'elle se rendit si agréable à Dieu que sans parler de ce qui luy fut accordé pour elle-même, *elle mérite pour nous par bienséance*, comme l'on dit, *ce que le Sauveur emporta par justice et par condignité* » (*La Triple Couronne* ..., Paris, 1656, p. 247). Ostendit quomodo hoc dignitati Christi nullimode deroget: « Il est vray que comme il n'appartient qu'à Dieu seul de sauver en qualité de cause principale, ainsi ne convient-il qu'à Jésus-Christ, Dieu et Homme, de satisfaire en rigueur de justice et de mériter avec condignité comme on a coutume de parler en l'école. Et la Sainte Vierge n'a garde de s'arroger ce mérite, n'y moi de vouloir contester en sa faveur. Tout ce que prétens icy, n'est autre chose que de montrer que sa grâce a été si extraordinaire, ses qualités et ses actions si relevées par dessus le commun, que *elles ont mérité que Dieu eust encore régard à elles, au traité de paix qu'il a fait avecques les hommes, et qu'à leur considération il ait été mu par une certaine bien-séance, que nous appellons congruité, à les recevoir en son amitié. Passe-droit, lequel, comme il n'appartient à nul autre qu'à elle, ainsi ne peut-il être dénié à ses rares mérites* » (o. c., p. 341). Haec ultima verba apertissime thesim nostram enuntiant.

Ferdinandus Salazar, S. J. († 1646) apertis verbis cooperationem immediatam docuisse videtur. Scribit enim: « Maria Virgo Christi Redemptionem pulchritudine et forma donavit » (*Pro Immaculata Deip. Virg. Conceptione defendenda*, Compluti, 1618, p. 202). Quomodo? « Redemptionem nostram ita Christus perfecit ut Mariam etiam sibi adiutricem asciverit. Quapropter sicut partus (teste Aristotele de partibus anim. lib. IV) natura ipsa duce, ex viro robur ex femina vero formam et venustatem trahit; ita etiam redemptio nostra, quae per Mariam et Christum veluti parta est, a Christo quidem sufficientiam, robur et constantiam, ex Maria vero venustatem et speciem sibi accersivit » (Ibid., p. 202). Exponit insuper quomodo voluntaria oblatio vitae et passionis Filii meruit salutem nostram *de condigno*, et eadem oblatio a Matre peracta eandem salutem de *congruo* (« aequum fuit ») promeruit. (*Expositio in Prov. Salom.*, Coloniae Agripp., 1621, col. 624). « Actus iste quo Virgo Filium suum et nobis dedit et pro nobis obtulit Patri, praestantissimus fuit et maxime meritorius atque adeo *dignus qui cum Passione Christi computaretur* » (o. c., col. 627). « Ob tantam, tamque insignem, tantique valoris ac meriti actionem, Virgo Deipara digna fuit ut illi communis totius humani generis salus et redemptio *aliquomodo adscriberetur* » (Ibid.). [1]

Bartholomaeus de Los Rios in celebri opere *Hierarchia Mariana* (1641) plura habet de cooperatione *immediata* Deiparae. Iuxta ipsum, enim, nos sumus Virginis mancipia « quia nos persoluto pretio coaemit » (o. c., Antuerpiae, 1641, p. 54). Pretium hoc dependet ex suo libero *fiat*: « Auctrix ergo salutis nostrae et generis nostri corredemptrix dici potest illa cuius libero voluntatis arbitrio permissum fuit, ut pretium nostrae redemptionis solveretur » (o. c., p. 59). Tale pretium fuit ab ea persolutum tamquam suum: « Non fuit pretium redemptionis nostrae ex Virgine tamquam e crumena desumptum; sed revera ab illa *tamquam res eius* nobis exhibitum » (o. c., p. 60). Fuse deinde agit « de iure materno » Deiparae, et pergit asserere: « Hunc ipsa deinde Filium voluntarie Patri sacrificando pro salute nostra, redemptioni profecto singulari ratione cooperata est » (o. c., p. 61). Exponit quomodo non ratione necessitatis sed ratione misericordis obsequentiae Christus Matrem suam sibi sociam in redemptione

[1] Doctrinae P. Salazar adhaerent Franciscus Van Houdeghem O. M. Rec., in op. *Domus propitiationis pauperum...*, (Bruxellis, 1655, P. IV, lect. 8, 3), nec non P. Honoratus Niquet, S. I., in op. *Nomenclator Marianus*, Rothomagi, 1664, c. IV.

In eodem sensu ac Salazar, loquitur etiam celeber criticus Th. Raynaud, S. I., in op. *Diptyca Mariana*, Lyon, 1665, p. 225, quidquid in contrarium dicat Hoffer in op. *La dévotion à Marie au déclin du* XVIII^e *siècle; Autour du Jansénisme et des* « Avis salutaires... », Paris, 1938, p. 275. In hoc opere Hoffer vindicat Widenfeldt a prava intentione, minime tamen a funesto influxu operis sui in devotionem Marianam (Cfr Aubron, in *Rech. de Sc. rel.* 29, 1939, 249-255).

Testimonia Patrum Van Houdeghem, Niquet et Raynaud legi possunt in op. P. Dillenschneider, *Marie au service de notre Rédemption*, pp. 157-159, 159-161, 149 s.

adiungere voluit (o. c., p. 56), et in ore Christi haec verba ponit: « Nolui ut mea humanitas sola laboraret pro mundi redemptione, illo tempore quando adversus infernalis Pharaonis equitatum depugnabam; sed te feci, o Mater, similem... ut cum humanitate mea laborans et patiens traheres salvationem, simulque mundum redimeres » (o. c., pp. 65-68). « Ideo humanitati meae te similem feci, similem in doloribus, similem in patientia, similem in affectu, *ut omnia quae ego de condigno, tu de congruo merueris* » (o. c., p. 68).

F. Guerra, O. F. M., Episc. Placentinus, haec scripsit: « Unus vero ac proprius humani generis Redemptor Christus Dominus, qui ex toto rigore iustitiae pro nobis aeterno Patri *de condigno* solus satisfecit, *dignatus est Matrem suam in eiusdem Redemptionis consortium de congruo cooperaturam, non uno tantum sed titulo multiplici admittere*. Primo quidem per oblationem Filii sui. Secundo, per oblationem sui ». (Cfr *Maiestas gratiarum ac virtutum Deiparae Virginis Mariae*, Hispali, 1659, vol. 2, disc. 8, fragm. 1, p. 556). « Hinc ergo, Christo Domino in cruce emoriente atque hominem reparante, dum Virgo Mater ex parte sui, ipsum Deo Patri dolens nimirum offerebat, negari non potest ipsam aliquod magnum, in quo aliquod ius habebat devovere, et consequenter hominum redemptioni maxime fuisse cooperatam. Haec ergo Virginis voluntas adeo perfecta et eminens, voluntati quae erat in Christo moriendi pro nobis tempore passionis iugata ac convincta, tamquam causa aderat aliquo modo in nostram influens redemptionem: ex quo iure optimo eidem Virgini maxima ad humani generis salutem cooperatio attribui potest » (Ibid., p. 557). « Sane haec serpentis contritio [Gen., 3, 15] nostrae fuit Redemptionis mysterium ... Quando vero nostra Vulgata in omnibus tenenda vertit: *ipsa* conteret caput tuum, satis innuit ut adfuturam ibi mulierem, Deiparam scilicet, huic redemptioni cooperaturam, *per quam etiam caput serpentis in minutissimum venerat redigendum* » (Ibid., pp. 557-558). « In augustissimo nostrae redemptionis sacramento, post Filii Dei oblationem, a matre Dei viriliter peractam, locum obtinuit in Virgine *pro humano genere oblatio sui, per quam una cum Redemptore nostro, humani generis Redemptrix facta est* » (Ibid., p. 559).

Georgius de Rhodes, S. J. (1661) cooperationem immediatam evidenter admittit: « Non potest Deipara dici Redemptrix nisi minus principaliter, dependenter a Christo et congrue dumtaxat, si videlicet Christo cooperata est ad salutem hominum, *congrue merendo* dependenter ab eius meritis omnes divitias salutis quas primarie Christus nobis meruit de condigno » (*Disput. theol. schol.*, Tract. 8 *De Maria Deip.*, Lugduni, 1671, p. 265). Hoc posito, aperte asserit: « Semel enim dici potest quod Maria congrue meruit et impetravit precando et compatiendo, quidquid condigne meruit Christus moriendo » (Ibid.). Et concludit: « Fuit itaque *redemptrix* Maria, *primo quasi Christo commoriendo et simul cum ipso patiendo in finem humanae salutis*; *deinde redemptrix* fuit per

suas preces *impetrando* bona omnia quae collata sunt nobis » (o. c., p. 266). Ex quibus ultimis verbis patet omnino quomodo de Rhodes praeter meritum *impetrativum* (in ordine redemptionis subiectivae) admittat etiam meritum *redemptivum* (in ordine redemptionis obiectivae). [1]

Christophorus Vega, S. J. († 1672) asserit: « Virgo Deipara una cum Christo corredemptrix generis humani instituta est a Deo » (*Theologia Mariana*, Neapoli, 1866, t. 2, p. 397). Hoc officium in die annuntiationis incepit, « cum humano generi reparando libens ac lubens cooperata fuerit consensu suo explicito per verbum Fiat » (o. c., p. 444). Sed ulterius asserit: « Merito aliquis suspicari posset noluisse Patrem aeternum salvari mundum in solius Filii morte sine corredemptrice Maria » (Ibid.). « Tametsi ergo Deus homo, Filius Iesus solus *condigne* hominum redemptionem facere potuit; ita etiam sola Maria quia Dei Mater *congrue eamdem promeruit*, ideoque ad excellentissimum Corredemptricis munus adscisci potuit » (o. c., p. 445). Quod autem tale meritum *de congruo* respiciat redemptionem ipsam obiectivam, ex sequentibus verbis aperte patet: « Elicies... B. Virginem meruisse de congruo *quoad sufficientiam* omnibus hominibus omnis peccati sive actualis sive originalis remissionem » (o. c., p. 395).

Debemus tamen sincere fateri auctores quosdam (merito et numero perpauci) cooperationem immediatam Deiparae ad redemptionem obiectivam aut negare aut modo sat vago et incerto de illa loqui.

P. Salvator Montalban, O. F. M. Cap., in *Opus theologicum tribus distinctum tomis in quibus efficacissime ostenditur Immaculatam Dei Genitricem utpote ex Christi meritis praeservative redemptam, fuisse prorsus immunem ab omni debito tum contrahendi originale peccatum, tum ipsius fomitem incurrendi*, Panormi, 1723, determinat, ante omnia, quomodo munus corredemptivum non consistit in eo quod Beata Virgo nobis Redemptorem genuit, quia « Beata Virgo per id praecise quod Christum peperit salutem nostram promereri non potuit » (vol. 2, n. 520), sed in eius oblatione: « Virgo etiam non solum cum Patre concors Filium mundo dedit, sed etiam cum Filio conformis *eundem pro mundo hostiam sacerdotali pietate obtulit* » (n. 521).

Asserit insuper « salutem mundi non solum Christo sed etiam Virgini ab aeterno Patre donatam: sic tamen ut Filius tamquam prima et principalis causa redemptionis nostrae condignum pretium obtulerit, Virgo autem Eandem redem-

[1] Iure, contra Lennerz, animadvertit Bittremieux: « Ex his, et sequentibus, patere potest quid censendum sit de mota quadam obiectione: *Doctores* invocati *neque cogitaverunt de obvia difficultate conciliandi corredemptionem B. Virginis cum redemptione Christi*, quam sane difficultatem considerassent si immediatam Mariae cooperationem in redemptione obiectiva admisissent. Hic enim de Rhodes apte et pertinenter iam ponit distinctionem inter Redemptorem de condigno et principalem ac Redemptricem minus principaliter, dependenter a Christo, congrue dumtaxat » (*Adnotationes...*, l. c., p. 574 in nota).

PTIONEM ex congruitate quadam impetraverit. Sic Maria Christo Domino ad Redemptionem adiutrix et auxiliatrix fuit; non quia eo auxilio et adiutorio indiguerit... sed quia Matris auctoritas et dignitas hoc postulabat, ut eius quoque MERITA, preces et vota cum votis ac meritis Christi coniungerentur, ut salus hominum UTRIQUE donaretur » (vol. 2, n. 603), Et addit: « Mediatricis officium tale est ut *alteri purae creaturae ascribi nequeat*, cum ea de causa Deiparae competat eo quod salutem nostram aliqua ratione de congruo pro *meritis* suis impetraverit » (vol. 3, n. 75).

Huiusmodi Corredemptricis munus ita ex Patrum testimoniis patet, « ut nefas videatur de hoc dubitare: etsi vellemus omnium verba id concernentis huc recitare, integrum certe librum adstrueremus » (vol. 2, n. 516).

P. DOMINICUS LOSSADA, O. F. M., in approbatione operis P. Del Moral, quaerit: « Utrum praedictis opinionibus suppositis, vel saltem admissis, titulus seu munus Corredentricis [sic] generis humani a Patribus communiter Beatae Virgini exhibitum, eidem conveniat per satisfactionem condignam aut meritum de condigno remissionis lethalium generis humani, nedum de congruo? ». Cui simpliciter respondet nullum prorsus dari argumentum ex Patribus vel Sacra Scriptura (ab adversariis adductum) quod in favorem meriti et satisfactionis de condigno facili negotio solvi nequeat (p. IX). Ad hanc sententiam confirmandam, invocat Lossada auctoritatem Patris Christophori de Ortega, S. I. (*Tractatus de Incarnatione*, Lugduni, 1664, cert. 3). [1]

VIRGILIUS SEDLMAYR, O. S. B., in opere *Scholastica Mariana* (ap. *Bourassé*, Summa aurea, vol. 7) in *parte secunda* scribit: « Quaeritur ergo an Beata Virgo in rei veritate cooperata fuerit humanae Redemptioni et inde mereatur titulum *Corredemptricis*, praesertim in passione Domini? Circa quod dico: B. Virgo vere cooperata est humanae Redemptioni, sic ut iure mereatur titulum Cooperatricis humanae Redemptionis; haec assertio videtur esse iuxta communem sententiam Patrum et doctorum ... ». Et addit: « Beata Virgo etiam eatenus cooperata est mysterio Redemptionis quatenus se obtulit sociam passionis, cum quantum Christus passus est in corpore, ipsa passa sit in anima ... et *passionem suam* ipsumque Filium patientem *obtulit ad propitiandum Deum pro mundi peccatis, sic ut commune procardicon theologorum sit, Virginem id meruisse de congruo quod Christus meruit de condigno; Christus autem meruit de condigno redemptionem nostram et gratias ad eam pertinentes, et sic* EANDEM *Beata Virgo meruit de congruo* » (vol. 7, q. 6, art. 10, l. c., col. 1275 s.). Videtur tamen postea meritoriam cooperationem Deiparae ad solam redemptionem *subiectivam* circumscribere (l. c., vol 9, col. 60 ss.).

[1] Alia testimonia eiusdem Lossada legi possunt apud CAROL, art. cit., *Marianum*, 9 (1947) 43 ss.

Gerardus Federici in op. *Tractatus polemicus de Matre Dei* (Neapoli, 1777, vol. 1, cap. 4, p. 99 ss.) fuse demonstrat quomodo « triplici modo sive ratione Mater Christi fuit nostra Corredemptrix, videlicet, et ut causa *Concomitans*, et ut causa *Instrumentalis* et ut causa *Efficiens*, *tam Moralis* quam *Physica*. Fuit nostra Corredemptrix ut causa *Concomitans*, quia cum Filio ipsa compatiens, consimul cum eo nostram Redemptionem [sic] cooperata fuit ... Quidquid Filius patiebatur in Corpore, et ipsa maiori acerbitate patiebatur in Corde. Et quia nihil de suis peccatis, quae non habebat, nec unquam habuit, satisfacere debuit, *satisfecit ideo cum Christo pro peccatis nostris*, et gloriam sibi, et nobis et angelis *promeruit*. Unde et ipsa est cum eodem Christo *Propitiatio pro peccatis nostris*, *non pro nostris autem tantum*, *sed etiam pro totius Mundi* ... Certum est, et evidens, quod Mater Dei, tamquam Sacerdos, obtulit proprium Filium suum Patri in Sacrificium pro peccatis nostris in Ara Crucis; et ideo fuit nostrae Redemptionis *causa Instrumentalis*. Fuit insuper eiusdem nostrae Redemptionis *Causa Efficiens*, et *Moralis* et *Physica*. Fuit *causa* moralis Efficiens nostrae Redemptionis, non solum, quia suo Consensu determinavit, atque complevit aeterna divina Consilia circa Incarnationem Divini Verbi ... sed etiam quia Consimul cum divino Patre communem eorum Filium ad patiendum misit ... Fuit etiam B. Virgo Maria Consimul cum Deo Patre *causa Efficiens Physica* nostrae Redemptionis, quatenus ex eo genuit, et peperit Iesum Christum Redemptorem ... ». Demonstrat insuper quomodo B. Virginis cooperatio Redemptioni dici valeat nedum *mediata* sed etiam *immediata*.

Antonius Peralta, S. I., in collegio primario mexicano SS. Petri et Pauli theologiae professor, in opere *Dissertationes Scholasticae de Sacratissima Virgine Maria*, Mexico, 1726, fuse quaestionem nostram pertractat. Ait: « Maria *vere* et *proprie* fuit *Redemptrix generis humani* et Mediatrix inter Deum et homines, modo tamen dicto [i. e., secundario et subordinato]. Conclusio patet ex duobus praecedentibus et probatur ulterius [ex Patribus: SS. Augustino, Hieronymo, Richardo a Sto. Laurentio et Ephraemo] ». « Probatur ratione: quia Maria, stans iuxta crucem, dolores suos acerbissimos obtulit Deo Patri pro salute hominum; *atqui dolor et compassio Mariae fuerunt sufficientes ad secundariam redemptionem* iuxta dicta; ergo ... » (p. 151 s.). Obiectioni: « Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus », respondet: « ... cum Maria, sicut et reliquae matres, habuerit veram potestatem supra Filium suum, ut recte probat ex Patribus Salazar, in c. 8 Prov., quando Christus in cruce obtulit vitam suam Patri ad *satisfaciendum* pro hominibus, eam etiam ut rem suam Maria obtulit: idque obtulit Deo obsequium *aequale et superabundans pro offensa* » (p. 264).

Dominicus a S. Petro de Alcantara O. F. M., in op. *Palma victoriosa de la Mystica Ciudad de Dios*, Salamanca, 1741, ad quaesitum: « Quomodo exstitit Deipara generis humani Reparatrix », respondet: « Primo, singularissimis

meritis Incarnationem nobis de congruo promerendo. Secundo, Christum, auctorem nostrae salutis et reparationis, gignendo. Tertio, suis precibus et *singularissimis meritis salutem ac reparationem nobis de congruo promerendo* ». Talis est iuxta ipsum, Patrum et Doctorum sententia (p. 33).

Emmanuel Martinez a Barrio, O. F. M., in op. *Manualis mysticusque marianus liber* (Pampelonae, 1777) « generis humani Corredemptrici » dicato, docet quod « Maria *propriis meritis*, vel IMMEDIATE pretium nostrae salutis dederit et Deo Patri una cum dilecto Filio obtulerit pro nobis; ita ut *vere* et *proprie*, etsi secundario et minus principaliter, dicatur causa nostrae salutis et Co-adiutrix in opere Redemptionis » (p. xvi). Docet insuper quod « Beata Virgo de congruo nobis meruit omnia quae Christus nobis meruit de condigno ». (p. xxiv).

P. Christophorus Mozzius, in sua *Tabella Mariana*, 1718, vol. 3, scribit: « Immolat Beata Virgo animam *in Redemptionem* sub cruce; gratia quam *meruit*, *peccatorem in statum Deo acceptum restituit*; Eva nova est Maria; Reparationi mundi concurrit Maria ». (Cfr. Roskovany, *B. Virgo Maria in suo conceptu immaculata* ...., Budapestini, 1873, vol. 7, pp. 191 ss.).

Marcellinus Siuri, Cordubensis Episcopus, munus corredemptivum Deiparae ita apertissime declarat: « Beatissima Virgo, nihil unquam fecit aut dixit nisi specialiter movente aut dirigente gratia Spiritus Sancti; cum autem electa esset a Deo non solum ut esset Mater Filii sui in assumpta Humanitate, sed etiam ut esset absolutissima eius imago ac perfectissima imitatrix, quantum ut pura creatura capere poterat, propterea, divino afflante Spiritu, debuit in opere maximo Redemptionis hominum Filium imitare, *ut quemadmodum Filius, media sua Passione, operatus est Redemptionem, etiam sanctissima Mater, media sua compassione, cooperaretur* EIDEM *Redemptioni, ac ita esset nostra cooperatrix et Co-redemptrix*, sensu quo plures Patres et Doctores loquuntur ». (*In sacrosancta quatuor Iesu Christi Evangelia commentarii exegetici*, vol. 3, tract. 16, cap. 1).

Caspar Tausch, S. I., in op. *De SS. Matre dolorosa, libri tres*... (Coloniae Agripp. 1645) aperte asserit cooperationem immediatam Deiparae ad Redemptionem obiectivam... Asserit enim quod Illa « cum Filio salutem nostram operante operata, et ad salutem nostram cooperata est » (op. cit., p. 177).

Quomodo? « Ille (Christus) ut loquuntur in scholis, vitam et salutem meruit *de condigno omnibus*; Deipara autem tantum *de congruo* et solum per modum impetrationis, salutem videlicet nobis per spontaneam Filii sui, ut rei suae, eiusque vitae et passionis oblationem et per suam voluntati Filii circa idem obiectum versantis conformem, et quasi identicam voluntatem procurando » (o. c., p. 180). [1]

[1] Alia testimonia eiusdem auctoris inveniuntur apud Dillenschneider, *Marie au service de notre Rédemption*, p. 161-163.

Lazarus Dassier, O. F. in op. *L'Evangile de la grâce ou sermons sur les Mystères et Dévotions de la Sainte Vierge* (Lyon, 1685) scribit: « Ne craignons donc point de faire tort à Jésus-Christ, de lui associer la Vierge dans sa qualité de Médiateur, et disons qu'elle l'a été en deux façons: Premièrment d'une façon moins propre et plus éloignée, en donnant au monde son seul parfait Médiateur qui est l'Homme-Dieu... Elle l'ha été en une seconde façon, plus propre, plus noble et *immediate*, en concourant avec lui à ce précieux sacrifice, et offrant la même hostie de propitiation qui lui appartenait par le titre de sa maternité, de Mère de ce divin Sauver, elle en est devenue la Prêtresse, immolant à Dieu ce Fils divin pour le salut du monde... Nous mérita par cette oblation la grâce et la gloire, non d'un mérite parfait et de justice, qui n'appartient qu'à Jésus-Christ, mais d'un mérite imparfait, et seulement de bienséance » (p. 370).[1]

Negare videntur Saavedra († 1643) (*Sacra Deipara*, Vestigatio 1, disp. 14, ed. Lugd., p. 159-161), P. Maximilianus Lenglez (in *Escole de la Vierge Marie*, Namur, 1652, pp. 220-223), P. Fulgentius Petrello a Sigillo, O. E. S. A. (*De intercessione B. Deiparae Virg.*, Romae, 1647, coll. 264 ss.), et P. Ioannes Franciscus Priuli (*Delle grandezze di Maria Vergine*, Venetia, 1677, t. 1, pp. 110-113), Eusebius Amort, in op. *Controversia de Revelationibus agredanis explicata*, Augustae Vindelicorum, 1749), Dalmatius Kick, O. F. M., (in op. *Revelationum Agredanarum iusta defensio*... Ratisbonae, 1750, pp. 601-613), Trombelli (in op. *De cultu publico ab Ecclesia B. Mariae exhibito* diss. 8, apud Bourassé, vol. 4, col. 286) et Petrus de Medrano (in op. *Rosetum Marianum*, Hispali, 1702, p. 197).

At in interpretatione textuum bene attendendum est ne *apparentes* contradictiones tamquam *reales* habeantur. Saepe enim, cum auctores affirmant Christum *tantummodo* operatum fuisse redemptionem nostram, intelligunt de merito stricte dicto, seu *de condigno, ex se sufficiens* (quod non excludit, iuxta explicitam assertionem eorundem auctorum, meritum *de congruo* Deip.). Pariter, cum auctores quidam affirmant redemptionem nostram *non esse effectum oblationis seu cooperationis Mariae*, saepe intelligunt de effectu *simpliciter* (non vero de effectu *secundum quid*). Huius rei exemplum typicum habetur apud Balthassarem de Riez. Scribit enim: « Notre salut dépendait absolument d'Adam. Quand'Ève aurait mangé tous les fruits de l'arbre défendu avec l'arbre même jusqu'à ses racines, si Adam n'y eût pas touché, et n'en eût pas mangé, la transgression de la femme n'aurait en rien intéressé la nature des hommes... De même Jésus-Christ est notre unique Sauveur, médiateur, réparateur, restaura-

[1] Dillenschneider in op. cit., affert etiam testimonia aliorum duorum oratorum, id est, *P. Raphaël* O. S. A. Disc. (p. 171-73) et *P. Nicolas de Dijon* O. M. Cap. (p. 172 s.), nec non laici cuiusdam, cui nomen *De Priezac* (p. 176-178).

teur, réconciliateur et Rédempteur, *lui seul a des mérites pour racheter le monde*: il est *le seul principe et l'auteur* de la grâce... Lorsque nous disons que la Sainte Vierge conforma sa volonté à celle de son Fils, et qu'elle unit et offrit ses mérites et ses prières et souffrances à celles de ce divin Rédempteur, *nous ne disons pas qu'elle en ait opéré notre Rédemption et notre salut*: elle les offrit pour le bien des élus comme son Fils, mais *avec grande différence et disproportion quant à l'effet et au mérite*. Nous la devons donc honorer comme rédemptrice en sa façon; le zèle qu'elle a eu de s'immoler pour le rachat du monde nous oblige à ce grand respect, *bien que notre rachat ne soit pas l'effet de son offrande*. Saint Paul parlant de ses souffrances (Coloss., 1, 24) en a parlé bien plus avantageusement que nous ne parlons des souffrances et des mérites de la sainte Mère de Dieu. Je me réjouis, dit ce saint Apôtre, en mes passions pour vous, et j'accomplis en ma chair ce qui défaut des passions de Jésus-Christ, pour son corps mystique qui est l'Eglise. Tous les saints accomplissent en leur chair les passions de Jésus-Christ, lorsqu'ils se disposent à participer à ses mérites par leurs propres souffrances, *et la Sainte Vierge unissant ses prières et ses souffrances aux souffrances de son bien-aimé Fils, a mérité qu'elles fussent appliquées à ses élus avec plus d'efficace, que n'ont pu faire tous les saints...* » (*Les justes louanges de la Très Sainte Vierge*, Aix, 1669, p. 207).

« Ce texte — animadvertit P. Dillenschneider[1] — est tellement net, tellement tranchant, qu'on n'attend plus autre chose. Il y a cependant autre chose ». Et de facto De Riez ibidem apertissime docet cooperationem immediatam Deiparae ad redemptionem obiectivam. Posito principio: « *Talis suo modo Mater, qualis est Filius* », asserit quod tituli *Redemptrix*, *Cooperatrix* conveniunt Deiparae non solum « parce qu'elle nous a donné un Rédempteur, un Médiateur et un Réparateur; mais aussi parce qu'elle a coopéré avec lui en l'œuvre de notre Rédemption et qu'elle a uni ses prières et ses intercessions, aux souffrances, mérites et volontés de son Fils bien-aimé, notre Sauveur et Rédempteur » (o. c., p. 207). « La grâce et les qualités et les actions de la sainte Vierge ont été tellement relevées par dessus le commun, que *Dieu eut encore égard à elles au traité de paix et de réconciliation qu'il a fait avec les hommes* » (o. c., p. 467). « Bien que le divin Sauveur du monde n'eût aucunement besoin d'aide, ni d'assistance pour parachever l'œuvre de notre rédemption ... néanmoins cela n'empêche pas qu'il ne fit l'honneur à sa très sainte Mère et à sa très chère épouse de l'associer en cette belle conquête, et nous ne dérogeons aucunement à la qualité de Sauveur qui est singulièrement propre à Jésus-Christ, et ne lui faisons point de tort en cette sienne divine entreprise, lorsque nous disons *qu'elle mérita avec son Fils* (*en un degré pourtant extremêment inférieur*) *la réparation des hommes avec toute la suite des grâces qui sont encloses dans l'entreprise de notre salut* » (o. c.,

[1] Cfr *Ephem. Theol. Lov.*, 16 (1939) 794.

p. 468). Ex hac veritate deducit privilegium Immaculatae conceptionis (o. c., p. 466).

Cum igitur asserit alibi quod « Jésus seul a des mérites pour racheter le monde » agit evidenter de merito stricto, *de condigno*. Et cum alibi scribi: « Notre rachat n'est pas l'effet de l'offrande de Marie », agit de effectu *simpliciter* non vero *secundum quid*.

C) Opiniones hodiernorum Theologorum

Tandem Goossens, de Theologis hodiernis agens, quorum « plerique » cooperationem immediatam B. Virginis ad redemptionem obiectivam admittunt, concludit: « Huic thesi adversantur, etsi modo ac gradu diverso, *nonnulli* theologi, inter quos quidam vere inclyti. Quare etiam hodie *multum abest* quin theologorum adsit consensus moraliter unanimis ». [1]

Est-ne vera haec assertio? Omnibus rite perpensis fidenter asserere possumus *non multum abesse* ut habeatur hodie consensus *moraliter unanimis*, et forsan talis consensus iam habetur.

Auctores qui tamquam contrarii immediatae Virginis cooperationi ad redemptionem a Goossens laudantur, sunt: Billot, De La Taille, Luykx, Congar, Ude, Lennerz, Smith, et Adriaensen.

Attamen, quatuor priores, solummodo per transennam, quaestionem hanc gravissimam pertractarunt, [2] ideoque eorum auctoritas non tam magna esse

[1] Saeculo xix, cooperationem immediatam Deiparae redemptioni obiectivae apertissime docuerunt W. Faber (in *Le pied de la Croix*, vers. gall., Paris, 1874, pp. 447 ss.), P. Jeanjacquot (in *Simples réflexions*..., Paris, 1868, pp. 6 ss.), Van den Berghe (in *Marie et le Sacerdoce*, Paris, 1879, pp. 47 ss.; 84 ss. etc.) et Scheeben (Cfr Dillenschneider, *Marie au service de notre Rédemption*, pp. 73-94).

[2] Billot de hac quaestione egit anno 1921 in *praefatione* ad opus *Marie mère de grâce* conscriptum a *R. M. de la Broise* et a *I. V. Bainvel*. Relate tamen ad mentem Billot haec animadversio cl. Bittremieux prae oculis habeatur:

« Si è soliti annoverare tra gli avversari della funzione corredentrice di Maria il nome autorevole di Billot. Come prova si cita un passo, che Billot scrisse nella prefazione all'opuscolo di De la Broise et Bainvel.

Qui è bene ricordare ciò che un professore di Seminario, dopo aver consultato lo stesso Billot su questa questione, ha pubblicato ne *L'Ami du Clergé*, attenendosi alla risposta ricevuta. Billot scriveva: « Dans la Préface pour le livre *Marie Mère de Grâce*, il n'y a rien sur le mérite "de congruo", rien ni pour ni contre. Il y a seulement que la très S. Vierge n'a eu aucune part au mérite propre de la Rédemption, c'est-à-dire au mérite qui est la cause première et universelle de la rémission des péchés et qui, appliqué aux hommes pécheurs les retablit dans l'amitié de Dieu. Ce mérite-là, en effet, ne pouvait être que d'une valeur infinie, et donc "de condigno" au premier chef » (*Ami du Clergé*, a. 56, Ser. 6, 15 juin 1939, p. 376). Questa dichiarazione non prova che Billot fosse un difensore della tesi della Corredenzione; ma prova chiaramente che nessuno, basandosi sulle parole della detta Prefazione, può farlo

potest. Imo, De La Taille, ita per transennam quaestionem pertractavit in recensione opusculi J. Le Rohellec (*Gregorianum*, 7 [1926] 393-394) ut ne mentem quidem P. Le Rohellec circa partes Mariae in acquisitione gratiarum interpretatus sit.

Remanent igitur Ude, Lennerz, Adriaensen et Smith, qui ex professo quaestionem hanc pertractarunt.

Hisce paucis, alii quamplurimi opponi possunt, inter quos nominare licet Card. Lépicier (*L'Immacolata Corredentrice Mediatrice*, Roma, 1928) Bittremieux (l. c.), Bover (l. c.), Friethoff (l. c.), Deneffe (l. c.), Lebon (l. c.), Schueth (l. c.), Terrien (*La Mère des hommes*, t. 1, Paris, 1902, p. 108 ss.), Godts (*La Corédemptrice*), Campana (*Maria nel dogma*, p. 169-210), Le Rohellec (l. c.), Sales (*De mediatione universali B. Virginis Mariae in distributione gratiarum*, in *Divus Thomas*, Plac. t. 28, 1925), Borzi (l. c.), Bernard (*Le Mystère de Marie*, Paris, 1933, pp. 321-341), Neubert (l. c.), Dillenschneider (l. c.), Philipon (l. c.), Campanale (*La mediatrice universale di tutte le grazie*, Venezia, 1933, pp. 43-88), Hugon (*La Mère de grâce*), Seiler (l. c.), Merkelbach (*Revue Ecclésiastique de Liège*, 1914-16, pp. 24 sq.; *Mariologia*, Parisiis, 1939,pp. 323-344), Van der Meersch (*Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congress te Brussel*, 1, 82 sq.), Iacono (*Maria SS. Mediatrice di tutte le grazie, Pompei*, 1937, pp. 187-207), Bello (l. c.), [1] Boyer (*Synopsis Praelectionum de B. M. Virgine*, Romae, 1946, p. 40), Plessis (*Manuale Mariologiae dogmaticae*, 1942, 233-256) etc.

P. Bello, Minister Generalis O. F. M., solemniter declarat universalem B. Virginis mediationem, « *ad mentem scholae Franciscanae* », importare etiam « eius positivum concursum, Corredemptricis munere, ad acquisitionem omnium

passare, come di fatto si fa, per un avversario. La sola cosa che Billot ha negata esplicitamente in quel passo è che il merito di Maria possa essere uguale a quello di Cristo » (*Marianum*, t. 2 [1940], pp. 29-30).

Luykx de hac re pertractat in *Onze eenheed in Christus*, t. 2, Hilversum, 1936, pp. 72-73. Congar opinionem suam aperuit in recensione articulorum Goossens, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1938, t. 27, pp. 646-649.

[1] Keuppens in suo op. *Mariologiae compendium* duplicem sententiam cum argumentis utriusque exponit, et *probabiliorem* putat sententiam de cooperatione immediata B. Virginis ad redemptionem obiectivam. At haec « haesitans opinio quam Auctor hic assumpsit — prout iure animadvertit Bittremieux — non videtur omni ex parte cohaerens cum aliis ab ipso alibi dictis. Admittitur v. g. (p. 142) ut certum ex Proto-evangelio per Bullam *Ineffabilis* illustrato, locutionem « indissolubili vinculo Salvatori esse associatam » et « plenissime de diabolo triumphare » enuntiare veritatem generalem sub se continentem partes essentiales, quae idcirco ut revelatae habendae sunt: admittitur etiam partes has essentiales, implicite contentas, esse: *activam cooperationem Mariae ad gratiarum acquisitionem* et ad earumdem distributionem. Quaeret quis cur, secundum haec, activa cooperatio in ipsa obiectiva Redemptione non sit veritas revelata? » (in *Divus Thomas*, Plac. 1939, mens. maio-iunio, p. 320).

gratiarum, corpori mystico Christi quandocumque concessarum, tum ratione consensus ad Incarnationem, tum ratione arctissimae associationis ad Christi Redemptoris oblationem » (o. c., pp. 11-12). Agitur ergo de sententia *communi* inter hodiernos Theologos.

IV. Ratio Theologica

Ex fontibus revelationis, seu ex S. Scriptura et Traditione, [1] aperte constat B. Virginem vere, formaliter, immediate, efficacissime cooperatam fuisse redemptioni generis humani. Haec autem cooperatio a ratione ipsa *convenientissima* demonstratur, sive consideretur *relate ad Deum*, sive consideretur *relate ad homines*.

I. **Relate ad Deum** considerata, cooperatio B. M. Virginis redemptioni convenientissima apparet ex eo quod *attributa divina*, *sapientia*, *iustitia*, *potentia* et *bonitas* praesertim manifestantur.

a) *Sapientia*, quia eodem medio (i. e. mulier) quo usus est diabolus ad homines suae tyrannicae potestati subiiciendos, usus est Deus ad homines a captivitate diaboli liberandos;

b) *Iustitia*: conveniens enim erat ut Protoparentum superbia, humilitate, et illicita voluptas, dolore, praesertim repararentur: quod per humiliationes et dolores Novi Adae et novae Evae factum est;

c) *Potentia*, eo quia Deus Omnipotens, instrumento debili et per se inepto i. e. *muliere*, ad maximum opus peragendum usus est, ad redemptionem videlicet generis humani;

d) *Bonitas*, quae in eo praesertim relucet quod femina, quae fuit veluti causa omnium malorum, facta est veluti causa omnium bonorum, et ita in pristinam dignitatem, ex Dei summa bonitate, veluti redintegrata.

[1] Ex hucusque expositis, quisque facile diiudicare valet de valore huius assertionis a P. Lennerz nuper typis editae: « *S. Scriptura, Patres, Theologi de opere redemptionis loquuntur semper* TAMQUAM DE SOLO OPERE CHRISTI; NUNQUAM INDICANT, *praeter opus Christi adhuc necessarium esse opus alicuius personae creatae, quo deficiente opus redemptionis maneret incompletum, vel quo deficiente non adesset totum opus redemptionis,* SICUT DEUS ILLUD VOLUIT » (in *Gregorianum*, 1941, p. 308).

Ex argumentis a nobis expositis (ex Magisterio ordinario Ecclesiae, ex S. Scriptura, ex Patribus et Theologis) sufficienter saltem patet quomodo ad opus redemptionis nostrae « *sicuti Deus illud voluit* », necessaria omnino fuerit etiam *cooperatio personae creatae* seu Deiparae. Secus enim, testimoniis a nobis relatis quilibet verborum valor denegandus esset. Verum quidem est quod « ad probandam talem cooperationem sufficere non possint pulchrae considerationes, sed ut iure exigi debeant argumenta stricta et seria theologica » (ibid., p. 324); at putamus talia argumenta, in hac quaestione, minime deesse, eaque magni esse momenti et omnino sufficientia pro illis qui a praeiudicata quadam opinione non ducuntur.

II. **Relate ad homines**. Maxime enim conveniens erat ut etiam *pura* quaedam *creatura*, qualis est B. Virgo, simul cum Redemptore Homine-Deo, et dependenter ab Ipso, illam satisfactionis partem Deo tribueret cuius capax esse poterat. Insuper, quemadmodum mulier cooperata erat nostrae ruinae, ita conveniens erat ut mulier alia nostrae redemptioni cooperaretur.

II – DE B. M. VIRGINE CORREDEMPTRICE IN SPECIE

De modo particulari quo B. Virgo Redemptioni cooperata est[1]

I – De cooperatione per compassionem, in genere

Posita vera, formali et efficaci cooperatione B. Virginis operi redemptionis, Theologi recentiores conati sunt *modum particularem* seu aspectus particulares vel actiones *specificas* determinare quibus B. Virgo humani generis redemptioni cooperata est. Hac autem consideratione, quae hucusque dicta sunt plene enucleantur.

Quia vero, ut patet ex dictis, B. Virgo fuit *Socia Christi* in opere redemptionis, hinc, generice dicendum est *B. Virginem eodem modo redemptioni nostrae cooperatam fuisse, quo Christus* (cuius fuit indivisibilis Socia) *Redemptionem nostram operatus est*. Iamvero, Christus redemptionem nostram operatus est praesertim per suam *voluntariam passionem*;[2] ergo B. Virgo cooperata est redemptioni nostrae praesertim per suam voluntariam *compassionem* seu cum Christo Redemptore passionem. Et ideo B. Virgo per suam *compassionem* praesertim genus humanum *corredemit*. « In hoc proprie — scribit card. Lépicier, o. c., p. 487 — consistere dicenda est B. Virginis cooperatio in ordine ad hominum salutem, quod passioni Filii sui ita coniuncta fuerit, ut quae Christus per suam Passionem perfecerit, eadem et B. Virgo sub Christo, et virtute illius, sit per suos dolores quodammodo operata ». Haec autem Virginis Compassio non iam a die Passionis sed *ab ipso die Annuntiationis incepit*, cum liberum suum consensum dedit in Incarnationem Redemptricem.

Propositio: B. Virgo, *praesertim per suam* compassionem *cooperata est redemptioni generis humani.*

Praenotandum. Rite determinandus est sensus vocis « *compassio* ». Vox « compassio » non accipitur hic unice, exclusive 1) pro illo super dolores Filii sui pa-

[1] Cfr Cuervo M., O. P., *La Corredención de María en el misterio de nuestra salud debe ser concebida analogicamente a la acción de Iesucristo*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 111-150.

[2] Duo in Passione (et pariter in Compassione) sunt rite distinguenda, videlicet: *a*) elementum *materiale*, seu dolorum perpessio, et elementum *formale*, seu obedientia et caritas quibus Christus Patris mandatum pro salute nostra exe cutus est.

tientis *commiserationis affectu*, qui locum habuit etiam in S. Ioanne et piis mulieribus quamvis in minori gradu, eo quia B. Virgo erga Filium viscera materna habebat; 2) neque accipitur ad dolorem mere *personalem* B. Virginis significandum, et sibi tantum meritorium, quo modo etiam S. Ioannis et piarum mulierum dolor considerari posset, a quo B. Virginis dolor nonnisi quoad gradum intensitatis et perfectionis differebat.

Vox ergo « compassio » sumitur hic ad illas partes significandas quas B. Virgo, in passione Christi, simul cum Christo, subordinate et dependenter ab Ipso, *pro redemptione* et *salute nostra*, *ut eidem* redemptioni *cooperatrix*, habuit; id est, pro participatione Virginis Passioni Christi in redemptionem generis humani, ita ut Passio Christi et materna compassio Mariae unicum totale principium constituant, modo unicuique proprio, redemptionis humanae. Hoc sensu accepta, compassio tamquam singulare et personale B. Virginis privilegium exhibetur.

Prob. propositio: I. Ex S. Scriptura.

a) *Ex Protoevangelio* (Gen. 3, 15) clare apparet B. Virginem associatam fuisse Christo Redemptori, *arctissimo et indissolubili vinculo*, in expugnando daemone et genus humanum ab eius captivitate liberando. Atqui Christus praesertim per suam *Passionem* daemonem expugnavit et genus humanum ab eius captivitate liberavit. Ergo B. Virgo, praesertim per suam *compassionem* (i. e. participationem Passioni et praesertim oboedientiae et caritati Christi), nos corredemit, associata fuit Christo in expugnando daemone et genus humanum ab eius captivitate liberando.

Maior patet ex dictis in praecedentibus quaestionibus generalibus.

Ad minorem. Quod Christus per suam *passionem* praesertim nostram salutem operatus sit, ex eo patet quod Deus *decrevit* salutem nostram non *complendam* fore nisi per Filii sui passionem. Christus potuisset, absolute loquendo, nostram salutem quin pateretur, operari, sed Deus illius passionem ita praeordinaverat, ut *convenientius* finis obtineretur, semotis impedimentis humanae salutis, illis nempe omnibus quibus homo incitatur ad peccandum. Siquidem per suam passionem, Christus hominem magnopere incitavit ad Dei dilectionem, ad patientiam in adversis, et ad ceteras virtutes quibus a peccato retrahimur (cfr. *S. Th.*, III, 9, 46, a. 3).

Exitus luctae — prout ex Protoevangelio apparet — secumfert pro semine seu stirpe mulieris plenam victoriam, a contritione capitis serpentis (pars nobilissima hostis) significata; pro serpente tentatore, e contra, secumfert partialem victoriam, a morsu pedis (pars infima seminis mulieris victoris) significata, seu passionem mortiferam. Iamvero, mulier sicut est associata suo semini in hostilitatibus et in lucta («inimicitias ponam inter te et mulierem...») ita est associata, saltem implicite, in exitu luctae, seu, in pleno triumpho supra diabolum (serpentem) et in partiali victoria serpentis, seu in Passione Filii mediante materna sua compassione.

b) Ex verbis: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius* (Io. 19, 25). Nam, — ut bene animadvertit P. I. M. Lagrange O. P. — « *Pietas communis* erga B. Virginem, eius iuxta Crucem *praesentiam*, ut signum muneris quod ipsa Redemptione complet, *semper* habuit. Mater enim nostris malis indulgens, cum Christo patiente seipsam offerebat, quin etiam cum Christo se immolabat, non quidem meritis Christi infinitis aliquid adiungendo, bene tamen sua merita coniungendo, sicque operi Redemptoris mirabiliter se associando; postquam enim eum mundo ad salutem dederat, non minus eius morti quam in nativitate particeps effecta est » (*Evang. selon S. Jean*, p. 495).

II. **Ex Traditione:** I. **Ex Patribus, Doctoribus et scriptoribus Ecclesiae.** Conclusio *implicite* continetur in omnibus textibus illis in quibus sermo est de *associatione* B. M. Virginis Christo in opere redemptionis. Nam, si B. Virgo fuit *Socia Christi* in redemptione generis humani, et si Christus redemptionem generis humani praesertim per suam passionem operatus est, consequitur B. Virginem praesertim per suam *compassionem* cooperatam fuisse redemptioni.

At non desunt circa hoc *explicita* testimonia Doctorum et Scriptorum Ecclesiae, videlicet:

Arnoldus Carnotensis: Cfr testimonium superius relatum (pp. 313 s.).

Richardus a S. Laurentio: « *Quod* ergo attulit mundo Filius *passione*, *hoc* et Mater mundo attulit conversatione, reos et peccatores reconcilians *compassione* ... » (*De laud. B. M. V.*, l. 2, c. 1, inter Op. S. Alberti M., ed. Vivès, t. 36, p. 158).

Auctor *Speculi humanae salvationis*: « Sicut Christus superavit diabolum per suam passionem, ita etiam superavit eum Maria *per suam maternam compassionem* ». (Cfr. ea quae scripsimus circa verba haec, p. 317).

Dionysius Carthusianus: « Amantissima Christifera dici potest *mundi Salvatrix*, *propter* eminentiam, virtuositatem, et *meritum suae compassionis*, qua patienti Filio fidelissime ac acerbissime condolendo, excellenter promeruit ut per ipsam, hoc est per preces eius ac merita, virtus ac meritum passionis Christi communicetur hominibus » (*De dignitate et laudibis B. M. V.*, l. 2, art. 23, t. 36, p. 99).

Idem etiam, imo adhuc magis explicite docent S. Antoninus (*Summa Theol.*, p. 4, tit. 15, c. 27, § 2), Gerson (*Opera omnia*, edit. Ellies du Pin, Anvers, 1706, t. 3, p. 1197), et praesertim S. Albertus Magnus in op. « *Mariale* ». Cfr. testimonia allata, pp. 315 s.).

S. Alfonsus M. De Liguori scripsit: « In tutta la sua vita questa Vergine eccelsa, per mezzo della sua carità verso gli uomini, *cooperò alla loro salute*, *specialmente sul monte Calvario* offrì all'eterno Padre la vita del Figlio per la nostra salute » (*Contra gli eretici*, sez. 25, § 1).

II. **Ex documentis RR. Pontificum.**

Leo XIII dicit quod B. Virgo « consors cum eo (Christo) extitit *laboriosae* pro humano genere expiationis: ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis, maxime animo condoluisse dubitandum non est » (*Iucunda semper*, 8 sept. 1894).

Pius X: « Ex hac autem Mariam inter et Christum *communione dolorum* et voluntatis, promeruit illa ut Reparatrix perditi orbis dignissime fieret » (*Ad diem illum*, 2 febr. 1904).

Benedictus XV: « Ita *cum Filio* patiente et moriente *passa est* et paene commortua... ut dici merito queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse » (22 mart. 1918. Cfr. *Acta A. Sedis*, t. 10, 1918, p. 182).

III. **Ex S. Liturgia**: in *Officio VII Dolorum B. M. V.*, eius *lacrimis*, seu compassioni et dolori cuius lacrimae signum sunt et effectus, tribuitur vis lavandi crimina totius orbis, utique simul et in virtute sanguinis Christi:

Nobis salutem conferant — Deiparae tot lacrimae
quibus lavare sufficis — totius orbis crimina ...

III. **Ratio theologica**. Convenientia *compassionis* B. M. V. pro salute generis humani, ex hoc praesertim apparet quod, sicut Eva *gaudii* illiciti Adae, per quod perditi sumus, *particeps* et *consors* fuerat, ita B. Virgo, nova Eva, primae Evae opposita, *doloris* id est passionis acerbissimae novi Adae, per quam salvati et redempti sumus, *particeps* et *consors* esse debebat: commune gaudium in praevaricatione, et communis dolor seu passio in redemptione. Et ob hanc rationem convenienter omnino B. Virgo cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, ita ut compassio matris aliquid unum cum passione Filii, ex intentione divina, constituat.

* * *

Hoc circa modum cooperationis in genere. Specialiter vero dicendum est quod, sicut Passio Christi — ut demonstrat Angelicus in *Summa Th.*, III, q. 48 — nostram salutem operata est: 1) *per modum meriti*, 2) *per modum satisfactionis*, 3) per *modum sacrificii* et 4) per *modum redemptionis* [1] ita pariter, B. Virginis *com-*

[1] Ratio autem huius quadruplicis modi, sec. S. Doctorem haec est:

Salus humana potest considerari dupliciter: *absolute* et *relative*. *Absolute*: i. e. quatenus est finis ultimus hominis, praescindendo a peccato;

Relative i. e. quatenus homo, per *peccatum* a statu gratiae deiectus, damnationi erat obnoxius.

Hisce positis, passio Christi ad salutem humani generis referri potest dupliciter: prout haec salus consideratur *absolute*, et prout consideratur *relative*.

Si passio Christi ad salutem humani generis referatur *absolute* considerata, dic debet

passio — debita proportione servata — nostrae saluti cooperata est *hoc quadruplici modo*. Hinc iure meritoque B. Virgo dicitur *Socia Christi* 1) *Merentis*, 2) *Satisfacientis*, 3) *Sacrificantis* et 4) *Redimentis*.[1]

Quae in hac quaestione dicenda erunt, magni momenti sunt. Theologica enim inquisitio — ut scribit cl. Bittremieux (o. c., p. 57) — quae iam a saeculis Christi *Passionem* sub omni veluti aspectu et ratione determinavit, non adeo tam clare B. Virginis *compassionem* perspexit: circa quam ergo, adhuc hodie quaedam obscuritates remanent, quae ex assiduo Theologorum opere dissipari posse speratur.

Ante omnia tamen, animadvertendum est quod quatuor isti respectus quibus Passio Christi et Compassio Deiparae operati sunt nostram salutem, ad duos *primarios* et *fundamentales* respectus reduci possunt, videlicet, ad *satisfactionem* et ad *meritum* seu ad acquisitionem gratiarum redemptionis. Pretium enim pro redemptione formaliter accepta requisitum, in *satisfactionibus et meritis* consistit; solutio vero pretii in *oblatione* satisfactionum et meritorum Deo facta invenitur. *Sacrificium*, insuper, non est nisi *modus* satisfaciendi et merendi, per actum nempe religionis praecipuum. Ad hoc igitur ut B. Virgo dici possit Corredemptrix, sufficit probare B. Virginem una cum Christo et dependenter a Christo, satisfactionem Deo obtulisse et gratias pro nobis meruisse. Attamen, quia actus praecipui quibus B. Virgo salutem nostram meruit (i. e. consensus in Incarnationem

quod Christus, pro iustitia patiendo, illam meruit: hinc, salutem nostram operatus est per *modum meriti*;

Si vero Passio Christi ad salutem humani generis referatur *relative*, i. e. praesupposito peccato, consideratam, animadvertendum est quod peccatum *duplicem reatum* seu *servitutem secumfert*: 1) reatum *poenae* et 2) reatum *culpae*: reatum *poenae*, si in peccato consideratur specialiter *offensa* Dei quae debet recompensari per *poenam*, i. e. per *satisfactionem*; *reatum culpae*, si in peccato consideratur specialiter *privatio amicitiae divinae* a privatione gratiae procedens, quae gratia obtinetur per reconciliationem cum Deo per *sacrificium* operatam.

Iamvero, Passio Christi ad hanc duplicem *servitutem* (seu reatum) per peccatum inductam *dupliciter* referri potest:

1) *singillatim*;

2) et *simul*;

singillatim: et quidem: 1) si refertur ad reatum *poenae* tantum, tunc passio Christi nostram salutem operata est per modum *satisfactionis*; 2) si refertur ad reatum *culpae* tantum, tunc passio Christi nostram salutem operata est per modum *sacrificii*.

Si vero Passio Christi ad hanc duplicem servitutem per peccatum inductam referatur, non singillatim, sed *simul* sumptam, quatenus nos ab illo duplici reatu et quidem *pretio soluto*, nos liberavit, tunc, Passio Christi nostram salutem operata est *proprie per modum redemptionis*.

Varii isti modi quibus Passio Christi nostram salutem operata est, ad *excellentiam* ipsius Passionis pertinent; ad excellentiam enim alicuius causae pertinet ut *unum eumdemque effectum*, qui tamen virtualiter multiplex sit, per se producat *secundum diversos modos* seu diversas rationes.

[1] Cfr Basilio de S. Pablo, C. P., *Ierarquía entre los elementos formales de merito, satisfacción, sacrificio y corredención en la cooperación de María a la obra de nuestra Reparación*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 271-317.

redemptivam, participatio Passioni Filii etc.) sunt etiam *satisfactorii*, posset, absolute loquendo, sermo fieri de cooperatione Deiparae *per modum meriti tantum*. Opportune tamen de quatuor aspectibus memoratis singillatim agitur, ad hoc ut enucleatius Virginis Corredemptio exponatur.

I. De cooperatione Compassionis per modum meriti.[1]

Prop. I.: *B. V., per suam compassionem praesertim, cooperata est nostrae saluti* PER MODUM MERITI.

I. Declaratur propositio: Sensus propositionis est: Compassio B. Virginis utpote corredemptiva, fuit meritoria nostrae redemptionis. *Meritum*, in genere, est ius ad aliquod praemium. *Duplex* meritum distinguitur: 1) de *condigno* et 2) de *congruo*.

1) Meritum de *condigno* est illud cui debetur praemium ex iustitia vel saltem ex fidelitate. Duplex autem meritum de *condigno*, claritudinis ergo, distingui potest, unum *commune*, quale invenitur in creaturis relate ad creatorem; aliud per *excellentiam*, seu, ex *toto rigore iustitiae*, quale fuit in Christo, utpote qui Deus erat.

2) Meritum vero *de congruo* est illud cui praemium debetur non ex iustitia aut fidelitate, sed ex *mera decentia*.

Iamvero, sola Christi Passio, nostram salutem operata est per modum meriti *de condigno*, seu ex toto rigore iustitiae; compassio Virginis vero, illam operata est per modum meriti *de congruo* tantum.

Quod Christi Passio nostram salutem operata sit per modum meriti *de condigno*, ex hoc patet quod Christo collata est gratia non solum tamquam *singulari personae*, sed in quantum est *caput Ecclesiae* (corporis eius mystici) ut ab ipso gratia in membra redundaret. Quapropter, eo modo se habent opera Christi, tam ad *se* quam ad *sua membra*, sicut se habent opera alterius cuiuscumque hominis in gratia constituti ad seipsum. Atqui, quicumque, in gratia constitutus, patitur aliquid propter iustitiam, ex hoc ipso salutem *sibi* (*non aliis*) *meretur*, iuxta illud: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Ergo Christus, per suam passionem, omnibus membris suis salutem promeruit.

Quod quidem hoc sensu de B. Virgine dici non potest: non est illa *caput* in Ecclesia, sed solummodo membrum, licet praecipuum: ideoque non potuit *de condigno* hominibus per suos dolores salutem mereri, sed tantummodo de *congruo* licet summa congruitate.

[1] Cfr COLOMER LUIS, O. F. M., *Cooperación meritoria de la Virgen a la Redención*, in *Estudios Marianos*, a . 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 155-173.

II. Probatur propositio.

A Theologis communiter dicitur *theologice certa*, vel *moraliter certa*, ut Girerd (*Principes directeurs de la théologie mariale*; *Marie Mère des hommes ou Marie Mère de grâce*, apud *Rev. du Clergé français*, 1920, p. 165), vel *simpliciter certa*, ut Van der Meersch (*Tract. de dic. gratia*, p. 375), vel *formaliter implicite contenta in principio consortii*, ut cl. Bittremieux (o. c, p. 375), vel etiam *doctrina definibilis*, ut P. Friethoff (o. c., p. 79).[1] Probatur:

1) **Ex auctoritate Pii X**, qui sequentibus verbis clarissime communem Theologorum opinionem auctoritate sua comprobavit. Dicit enim: « Quoniam universis sanctitate praestat (Maria) coniunctioneque cum Christo, atque *a Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo, uti aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit* » (Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904).

Praestat verba ista Pontificis breviter enucleare. Tria Pontifex asserit:

a) *Existentiam et naturam meriti* B. Virginis: meritum nempe *de congruo*, non vero meritum de condigno. Scripsi: « *meritum de congruo* »: nam, « sensus obvius effati Summi Pontificis — ut bene animadvertit P. Friethoff in o. c., p. 76 — est meritum Mariae *esse aliud* a merito Christi quod dicitur et est de condigno. Quodnam nomen autem merito Mariae attribuatur parum refert, si non sit nomen de condigno; de cetero nominatur *de congruo, ut aiunt* ».

b) *Fundamenta seu rationes huius meriti de congruo*; et haec sunt duo, videlicet: *a*) *sanctitas* eminens B. V., seu mensura supereminens gratiae et caritatis, qua omnibus aliis sanctis ipsa praestat; et *b*) traditionale principium *consociationis* B. Virginis cum Christo in humanae salutis opere. Nam sicut Christus per suam *Passionem* meruit salutem nostram, ita et B. Virgo, Ei consociata, per suam *compassionem* praesertim, meruit nostram salutem, et ideo cooperata est nostrae saluti per *modum meriti*, sicut in propositione nostra asseritur.

c) *Extensionem meriti*: tantum se extendit meritum de congruo B. Virginis, quantum se extendit meritum Christi de condigno. Quare se extendit hoc meritum B. Virginis *ad omnes et singulos homines* (ab Adam usque ad ultimum hominem) et *ad omnes et singulas gratias* (i. e. ad primam gratiam, ad augmentum gratiae, ad reparationem post peccatum, ad gratias actuales, ad perseverantiam finalem, ad ipsa media salutis, ut sacramenta; paucis verbis, ad illa omnia requisita ad consecutionem salutis). Quod de nulla alia creatura dici potest. Et hoc deducitur — ut clare apparet ex verbis Pontificis — ex ipsa *merentis conditione*. Magna enim adest differentia inter conditionem iusti *aliis* merentis, et conditionem B. Virginis *aliis* pariter merentis. Haec enim, in oeconomia salutis, considerari debet ut *Socia Redemptoris*. Occupat ergo B. Virgo in oeconomia salutis locum peculiarem omnino, qui nulli sancto vel iusto convenit. Quia ergo *consociata*

[1] Cfr Hugon O. P., *La Mère de Grâce*, Paris, 1904, pp. 219-236.

Redemptori, B. Virginis Compassio nedum valorem habuit merendi de congruo quidquid Passio Christi meruit de condigno, sed etiam *pro omnibus* id meruit.

Difficultates contra meritum *corredemptivum* Deiparae ex effato Pii X deductas postea expendentur.

Ergo B. Virgo, suo modo, seu, *de congruo*, omnium *salutem* meruit.

2) **Ex auctoritate Scriptorum Eccl.**: omissis effatis generalioribus in quibus doctrina in nostra propositione expressa implicite continetur, afferimus hic testimonia tantum *explicita*:

Venantius Fortunatus (c. 530, c. 601) asserit quod B. Virgo « illa est per quam omnes fines terrae *meruere* salutem » (PL 88, 284).

Pseudo Augustinus: « Neque enim dubium, quae *meruit pro liberandis proferre pretium*, posse plus Sanctis omnibus liberatis impendere suffragium » (Sermo 208, *in festo Assumpt. B. M.*, PL 39, 2134, qui tamen sermo a Migne ponitur inter suppositities).

Eadmerus Cant. asserit quod « B. Maria *suis meritis* cuncta reparando Mater est et Domina rerum » (*De Excell. Virginis M.*, PL 159, 578).

S. Bonaventura asserit quod B. Virgo « etiam reconciliationem toti generi humano *promeruit*: et ideo erga eam ardere debet omnis christianorum devotio» (*3 Sent.*, d. 4, a 3, q. 3, op. 3, 115 b).

S. Albertus M. scripsit: « cui (B. Virgini) Filius ut dare posset praemium, voluit communicare passionis meritum » (*Mariale*, q. 150).

B. Taulerus O. P. docuit quod Deipara « per afflictionum suarum *merita* iram Dei in misericordiam » commutavit (*Serm. pro Purif.*, op. t. 5, p. 161).

Dionysius Carthusianus cuius verba retulimus pp. 320 s.

Ambrosius Catharinus, O. P., cuius testimonium retulimus p. 323.

S. Alfonsus M. De Liguori: « È noto già quanto comunemente dai Teologi e SS. Padri venga attribuito a Maria questo titolo di *Mediatrice per aver ella colla sua potente intercessione e merito di congruità ottenuta a tutti la salute*, procurando al mondo perduto il gran beneficio della redenzione. Dicesi merito di congruità, perchè solo Gesù Cristo è nostro mediatore per via di giustizia e per merito de condigno, come parlano le scuole, avendo egli offerto i suoi meriti all'eterno Padre che gli ha accettati per la nostra salute. Maria all'incontro è Mediatrice di grazia per via di semplice intercessione e di merito *de congruo, avendo ella offerto a Dio, come dicono i Teologi con S. Bonaventura, i suoi meriti per la salute di tutti gli uomini*: e Dio per grazia gli ha accettati co' meriti di Gesù Cristo ... » (*Glorie di Maria*, op. ascer., 5, 1, pp. 167-168). [1]

[1] Alii plures effatus Theologorum circa meritum de *congruo* Deiparae, in decursu tractationis expositi fuerunt. De merito B. Mariae V. ex Liturgia probato cfr Idesbald van Houtryve, O. S. B., *La médiation de Marie dans la liturgie*, in eph. *La Vie diocésaine*, 1922.

OBICITUR: B. Virgo saltem non meruit *aliis perseverantiam finalem*. Etenim: quod cum praedestinatione divina connectitur, sub merito cadere nequit. Atqui perseverantia finalis cum praedestinatione divina connectitur. Ergo sub merito cadere nequit.

RESPONDETUR: Distinguo *maiorem*: quod cum praedestinatione connectitur sub merito cadere nequit pro *aliis iustis*, *transeat*; pro B. Virgine, *nego*.

Contrad. conseq. perseverantia finalis sub merito cadere nequit in *ordine intentionis*, *conc.*, in *ordine executionis*, *nego*.

Quidquid sit de possibilitate meriti perseverantiae finalis *pro aliis iustis*, nullo modo haec possibilitas negari potest pro B. Virgine. Verba enim Pii X, sensu obvio accepta, dicunt B. Virginem meruisse *de congruo* quidquid Christus meruit *de condigno*. Atqui Christus meruit iustis *de condigno* etiam gratiam perseverantiae finalis. Ergo et B. Virgo meruit iustis de congruo gratiam perseverantiae finalis. — Insuper, verum est Deum ab aeterno decrevisse se alicui iusto gratiam perseverantiae finalis conferre; sed simul ab aeterno decernere potuit talem gratiam in tempore, in *ordine executionis*, non conferre nisi dependenter a merito Christi de condigno et a merito B. Virginis de congruo.

3) **Ex principiis soteriologicis,** seu, recirculationis, consociationis et solidarietatis.

a) Vi *principii recirculationis*, B. Virgo est secunda Eva, priori opposita, praesertim sua obedientia prioris inobedientiam reparando, quemadmodum Christus, secundus Adam, priori oppositus, sua obedientia praesertim, prioris inobedientiam reparavit. Sicut ergo formalis ratio Passionis Christi fuit eius meritoria obedientia, inobedientiae Adae opposita, ita formalis ratio Compassionis Deiparae fuit eius meritoria obedientia, inobedientiae Evae opposita, iuxta illud S. Augustini: « Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria » (PL 39, 2105). Eo vel magis quod in meritis secundae Evae — prout animadvertit P. Bover (*Soteriologia Mariana*, p. 295) — inveniuntur tres illae proprietates quae habentur in meritis secundi Adae, videlicet: munus secundae Evae est essentialiter *soteriologicum*, seu ad reparationem inobedientiae prioris Evae a Deo destinatum; est *universale* sicut universalis fuit effectus inobedientiae prioris Evae; et est *officiale*, seu pro reparatione generis humani a Deo institutum.

b) Vi *principii consociationis*. Sicut Passio Christi est actuatio redemptionis, ita Compassio Deiparae est actuatio corredemptionis. Iamvero, id quod est formale in Passione Christi est eius meritoria obedientia, meritoria pro redemptione nostra. Ergo, a pari, id quod est formale in compassione Deiparae est eius obedientia meritoria pro redemptione nostra, cui Deipara consociata fuit.

c) Vi *principii solidarietatis*. Si solidarietas *passiva* hominum cum Christo reddit eos passive participes meritorum suorum (seu participes effectuum), participatio *activa* Deiparae cum Christo (in solidarietate) illam reddere debuit

active participem in ipsis meritis redemptivis (seu in causa redemptionis nostrae). Eo vel magis quod solidarietas Mariae cum Redemptore et cum omnibus redemptis est: *soteriologica*, eo quod homines Redemptori incorporando, reddit illos redemptionis capaces; *universalis*, eo quod omnes homines respicit; et *officialis*, ob characterem repraesentativum quo gaudet.

B) De cooperatione compassionis per modum satisfactionis.[1]

Prop. II.: *B. Virgo per suam compassionem praesertim, cooperata est nostrae saluti* PER MODUM SATISFACTIONIS.

I. Declaratur propositio:

Satisfactio est illatae iniuriae recompensatio. Tunc — secundum S. Thomam — haberi dicitur cum quis « exhibet offenso id quod aeque vel magis diligit, quam oderit offensa » eo quod satisfactio importat *aequalitatem* quamdam ad culpam, cum sit actus iustitiae.

Per se autem illemet satisfacere debet qui peccavit. Conditio haec verificata est in Christo qui, vi principii solidarietatis, Deo satisfecit omnes homines repraesentando, seu, Deo satisfecerunt omnes homines in persona Christi. Et hoc sensu S. Thomas scribit: « Caput et membra sunt quasi una persona mystica: et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra » (*S. Th.*, III, q. 48, a. 2, ad 1).

Attamen, satisfactio *dupliciter* dici potest sufficiens: « uno modo, *perfecte*, quia est condigna, per quamdam adaequationem ad recompensationem culpae commissae... alio modo potest dici satisfactio puri hominis esse sufficiens *impefecte* scilicet secundum acceptationem eius qui est ea contentus, quamvis non sit condigna; et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens » (p. III, q. 1, a. 2, ad 2).

Consequens ergo est, quod vim *satisfactivam* compassioni Virginis tribuendo, nullo modo intendimus de condigno fuisse, sed de *congruo* tantum. Ratio est — ait ipse S. Doctor — quia condigna satisfactio habetur « per quandam *adaequationem* ad recompensationem culpae commissae; et sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit de peccato... quia peccatum contra Deum commissum, quamdam *infinitatem* habet ex infinitate divinae maiestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille in *quem* delinquitur; unde oportuit ad condignam satisfactionem ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens » (Ib.).

Sola ergo satisfactio Christi fuit de condigno;[2] satisfactio vero B. Virginis fuit de *congruo* hinc *imperfecta*.

[1] Cfr ALDAMA I., S. I., *Cooperación de María a la Redención a modo de satisfacción*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 179-183.

[2] Cfr opus: *De satisfactione Iesu Christi et satisfactione nostra*, P. I. M. CAPPELLA, O. S. M., Ferrariae, 1551.

Insuper: quia, ut ait S. Thomas, « omne imperfectum praesupponit aliquid perfectum a quo sustentetur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi ». Ex hoc patet solam satisfactionem Christi esse *absolute primam*, dum omnium aliorum satisfactiones, non excepta satisfactione B. Virginis, sunt secundae, seu subsequentes.[1] Hoc tamen intercedit *discrimen* inter satisfactionem B. Virginis et satisfactionem aliorum hominum, quod satisfactio B. Virginis, quamvis ad Christi satisfactionem comparata, sit *secunda*, comparata tamen ad aliorum satisfactiones est aliquo modo *prima*: nam, alii habent *to* posse satisfactiones suas praestare *ex valore satisfactionis Christi de condigno et ex valore satisfactionis B. Virginis de congruo*. Hinc, sola Christi satisfactio dicenda est *absolute* prima; Mariae vero satisfactio dicenda est tantum *relative prima*, i. e. relate ad satisfactiones aliorum. Ipsa enim Christi satisfactio, Beatae Virgini fuit principium ex quo et Ipsa haberet quod pro aliis satisfacere possit.

Haec autem congrua satisfactio B. Virginis cum satisfactione condigna Christi coniuncta, vi principii consortii, fuit quodammodo *universalis* quoad effectum, quatenus valorem habuit relate ad effectum universalem recompensationis pro *ipsa peccati offensa*. Et etiam ex hac parte, Mariae satisfactio a satisfactionibus aliorum Sanctorum differt: quia satisfactionibus suis pretium quoddam solvunt pro *poenis* tantum peccati dum Maria pro ipso *peccato*.

II. Probatur propositio.

Doctrina in propositione expressa, *implicite* continetur in principio consortii seu associationis. At *explicita* testimonia magisterii ecclesiastici quae hunc particularem cooperationis respectum revelant, non desunt.

1) Auctoritate:

I. RR. Pontificum:

Leo XIII dicit quod B. Virgo « consors cum Eo (Christo) extitit *laboriosae* pro humano genere *expiationis* » (*Iucunda semper*);

Benedictus XV asseruit quod B. Virgo « *placandae iustitiae*, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit » (*Inter sodalicia*).

[1] Passio Christi, infiniti valoris, quia praecessit ut *causa* quaedam *universalis*, debet singulis *applicari* seu debet fieri *nostra*; applicatio autem — ex dispositione divina — fit per nostram *configurationem Christo*. Haec autem necessaria configuratio fit *sacramentaliter* (*plene* per *baptismum*, quia remittitur *culpa* (et quaelibet poena) *non plene* per *confessionem* (quia remanet poena *temporalis*), et *extra-sacramentaliter* (pro illis qui post baptismum peccant) per propriam *satisfactionem*, i. e. per aliquam poenalitatem vel passionem voluntarie susceptam, qua Christo patienti configurantur. — Attamen, Deus aliorum satisfactiones pro nobis positas misericorditer admittit, et ideo non semper exigit, ut nosmetipsi qui peccavimus personaliter satisfactionem demus.

II. **Patrum et Scriptorum Ecclesiae:**

S. Ioannes Damascenus B. Virginem vocat « Evae emendationem » et dicit « poenas sustulisse » (*In Nativ. B. M. V.*, PG 96, 671, 733).

S. Bernardus: « *Ipsa* (Maria) *patri pro matre* (Eva) *satisfaciat*, quia ecce si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam ». (PL 183, 62). « Pensanda sunt, — scribit *Ferd. Quir. de Salazar* in op. « Defensio pro Immac. Deip. V. conc. », c. 21, n. 10, p. 124 — verba illa: *Ipsa pro matre satisfaciat*, quae modum et rationem, qua Virgo Evae damna et iniurias generi nostro illatas resarcivit, partim extollunt, partim explicant. Significant enim illam suis promeritis non utique condignam et aequalem, sed tamen congruam et aliqualem pro matris delicto *satisfactionem obtulisse* ». Insuper: « Cui Filius ... ut ipsam participem faceret beneficii redemptionis, participem esse voluit et poenae passionis » (*Mariale*, q. 150).

S. Albertus M. dicit quod « pro illa culpa » (originali) beata Virgo *satisfecit* » (*Mar.*, q. 42).

S. Bernardinus Senensis: « Tu satisfactio digna coram largitore omnium bonorum » (*De exalt. B. V.*, op. 4, 103).

B) **Ex ratione:**

Illa persona quae Christo unitur in *passione*, seu quae Christi passionem participat, participat etiam effectum in *satisfaciendo* saltem de congruo. Atqui B. Virgo — ex divina praeordinatione — unita fuit intime Christo in passione, seu Christi passionem quam maxime participavit. Ergo participavit etiam effectum in satisfaciendo saltem de congruo.

Ratio *Maioris* est haec: quia satisfactio ex opere poenoso et ex passione attenditur.

Ad Minorem: Etenim B. Virgo fuit *martyr cum Christo*, quod plus est quam esse *Martyrem Christi* ut dicit Guillelmus Abbas (*In cantic.* 3). In dolore Christi et B. Virginis duplex distingui potest elementum: *motus animi dolorosus et causa huius motus*, id est malum coniunctum apprehensum. Primum, nempe *motus* animi dolorosus, alius fuit in Christo et in B. Virgine: actiones enim sunt suppositorum; sed secundum, id est *causa* illius motus dolorosi fuit numerice *unum idemque*, nempe, *malun coniunctum Christo*, seu *violenta sanguinis effusio*, ita ut causa *Passionis* fuit etiam causa *Compassionis*. Attamen, tum Christus Passionem, tum Maria Compassionem, non coacte sed *voluntarie* sustulerunt; et per hanc voluntarietatem, tum Passio tum Compassio characterem veri actus humani induerunt: actus autem humanus, gratia seu caritate informatus, est actus *meritorius* et *satisfactivus*.

Ad *vim* seu *excellentiam* satisfactionis B. Virginis intelligendam, necesse est iterum attendere ad ea ex quibus S. Thomas patefacit excellentiam satisfactionis

Christi, quaeque debita proportione servata, Mariae applicari possunt. Haec igitur consideranda sunt:

1) *Magnitudo charitatis* ex qua cum Christo patiebatur, quae charitas profluebat tum ex magnitudine illius gratiae, tum ex eius propinquitate ad Christum patientem;

2) *dignitas actuum* quibus satisfaciebat: erant enim personae nedum *amicae* Dei sed quae, ut Mater Dei, fines Deitatis attingit, quaeque, ut ab omni peccato immunis, nihil habebat pro quo satisfaciendum sibi foret. Ipsa enim redemptione non vero satisfactione indiguit;

3) *magnitudo*, tandem, doloris assumpti, quae ex eo praecipue elucet quod coniunctissima fuit, per amorem ineffabilem, Christo Filio suo patienti: cum quo « compassa est et paene commortua » (Benedict. XV). S. Thomas, commentans verba illa Simeonis: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius », scripsit: « Verba ista prophetica sunt de Passione Christi et notantur tria in verbis istis: Primo, magna B. V. ad Christum compassio ... Sciendum quod *quatuor* maxime fecerunt amaram passionem Christi B. V.: *primum*, Filii bonitas..., *secundum* crucifigentium crudelitas, quod vel ex eo patet quod, morienti saltem aquam dare noluerunt, neque a matre quae diligenter dedisset, dari permiserunt; *tertium* poenae vilitas ..., *quartum* tormenti crudelitas » (*Sermo inter dominicales*, 15, pro dom. infra Octavam Nativ. ex Evangelio).[1] Unde B. V. « habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo » (Sermo inter festivos 57 in Assumpt. B. M. V.). Ex dictis patet quomodo satisfactio B. Virginis, quamvis de congruo, tamen quamcumque aliam satisfactionem sive *obiective* sive *subiective* excedat.

OBIECTIO: Satisfactioni sufficienti (imo infiniti valoris) non debet superaddi alia satisfactio. Atqui satisfactio Christi fuit sufficiens. Ergo ei non debet superaddi satisfactio B. Virginis.

RESPONDETUR: *Dist. Maiorem*: non debet adiungi alia satisfactio (i. e. B. Virginis) ut aliquid addatur valoris satisfactioni infinitae Christi, *conc.*; ut adimpleatur *Dei ordinatio* circa oeconomiam redemptionis nostrae, *nego. Conc. Min.*, *nego Cons.*

[1] Cfr etiam opus *Amarissimus BB. Virginis Christo compatientis dolor iuxta doctrinam Divi Bonaventurae piae considerationi propositus a quodam Sacerdote S. Ord. Servorum B. V. M.*, Oeniponti, 1763. Auctor valide probat Viriginis dolorem amarissimum fuisse ob 13 rationes, videlicet: 1) quia omnium crudelissime cum Christo actum fuit; 2) quia erat *Mater*; 3) quia *unigenitus* moriebatur; 4) quia Cruci *proxime* adstiterat; 5) quia acerbissime senserat Filii contemptus; 6) quia ex *circumstantiis* plurimum augebatur; 7) quia ex ardentissima dilectione oriebatur; 8) quia propter se Iesum pati sciebat; 9) quia considerabat peccata suae gentis; 10) quia ruinam tot mortalium praevidebat; 11) quia excedebat omnem corpoream passionem; 12) quia simul tam multiplex cor Matris obruebat; 13) quia totius vitae tempore durabat.

Deus enim voluit et disposuit ut congrua Virginis satisfactio simul cum condigna satisfactione Christi, ad nostram redemptionem concurreret. « Sicut enim Deus — scribit P. Friethoff in o. c., p. 57 — creavit universum quo non eguit, ex *bonitate* erga nos, ita et voluit Filio suo Redemptori associare B. Virginem ex misericordia ega nos ».

Quaestio specialis: Utrum meritum corredemptivum Deiparae appellari possit meritum "de condigno".

I. Theologorum sententiae.

Quaestio haec de *natura* meriti corredemptivi Deiparae, diversimode a diversis Theologis solvitur.

Maior theologorum pars meritum « de condigno » absolute excludit.

Nonnulli vero ancipites haerent inter meritum « de congruo » et meritum « de condigno ».

Pauci, tandem, meritum « de condigno » admittunt. Primus qui meritum « de condigno » excogitavit, videtur fuisse Ioannes Martinez de Ripalda, S. I. († 1648). Docuit enim B. Virginem « de condigno » mereri potuisse nobis gratias saltem *in actu primo*, scilicet, in potentia, per se; anceps tamen haeret circa meritum de condigno *in actu secundo* seu de facto.[1] Thomas Franciscus Urrutigoyti, O. F. M. docuit B. Virginem omnia nobis meruisse « de condigno » sicut Christus, quamvis secundario et dependenter ab ipso: duplex enim praemium respondere potest duplici merito cum unum est alteri subordinatum[2] (Cfr. Balić in *Wissenschaft und Weisheit*, t. 4, 1937, Sonderdruck, Freib. im Brisg., Herder). Idem docuerunt Carolus Del Moral († 1731), O. F. M. (*Fons illimis theol. scot. Mar.*, tr. 2, q. 3, Matriti 1730 1, 356), Vega, S. I. (*Theol. Mar.*, Pal. 29, cert. 7) et Vulpes, O. F. M. Conv. (Cfr Di Fonzo, in *Miscellanea Francescana* XLI [1941] 28).

Nostris vero diebus meritum corredemptivum *de condigno* docuerunt Lebon, Fernandez O. P., Cuervo O. P., Balić, Grabić, O. F. M., etc. Eorum autem argumenta breviter hic expendamus.

[1] *De ente supernaturali disp. theol.* Parisiis, 1871, 3, 143, Animadverti Ripalda quod alii homines, licet iusti, non possunt pro aliis mereri quidquam *de condigno*, eo q od eorum merita per ius ad gratiam et ad gloriam ipsis debitam aliquo modo iam sunt exhausta at, hoc pro Deipara non valet. Eius enim excellentia, prout est Mater Dei, ita magna ac superabundans est, ut nullo praemio creato exhauriri valeat. Proinde, merita Deiparae apud Deum, etiam relate ad nos, sunt *de condigno* debita.

[2] *Certamen scholasticum pro Praesent. Deip.*, disp. 2, sect. 4, n. 42.

LEBON [1] arguit potissimum ex arctissima et indissolubili unione Christi et Mariae. Christus enim et Deipara (tamquam persona *publica* et vi *gratiae Dei*) unum actum posuerunt et per modum unius, ad modum quo duo unum idemque donum faciunt; unum idemque sacrificium obtulerunt, quatenus Deipara iura materna in corpus et vitam Filii, sicut Filius iura propria abdicavit propter salutem nostram. Deus insuper, ordinando Deiparam ad sacrificio crucis cooperandum, eo ipso cooperationem illam acceptavit pro nostra salute. Et asserit pro hac thesi stare testimonia Patrum, totiusque antiquitatis Christianae redemptionem Christi et corredemptionem Deiparae ad modum unius perhibentia.

P. FERNANDEZ [2] ita procedit: «Per hoc quod B. Virgo praedestinata est mater Christi et plenitudine gratiarum cumulata, ut esset dignissima auxiliatrix redemptionis, *a Deo missionem accepit et ordinationem*, ut cum Christo ad salutem nostram concurreret, et consequenter id a Deo consequuta est per operationem suam *quasi mercedem*, ad quam Deus ei virtutem operandi deputavit». Conclusio ista ex hoc deducitur quod Maria, iuxta P. Fernandez, est *caput* Ecclesiae.

P. CUERVO [3] possibilitatem meriti *de condigno* ex parte B. Virginis probare conatur auctoritate S. Thomae qui in *Summa Theol.* (III, q. 64, a. 4) docet Christum concedere potuisse discipulis suis *potestatem excellentiae*, eis tribuens talem gratiae plenitudinem, ut eorum merita ad effectum sacramentorum producendum vim cooperandi haberent. [4]

Posita igitur possibilitate, ostendere conatur P. Cuervo quomodo ad meritum de condigno habendum, *triplex conditio* requiratur, nempe: *a*) gratia perfectissima; *b*) repraesentatio generis humani; *c*) Dei ordinatio, vi cuius meritum alicuius personae ad acquirendam gratiam pro aliis dirigitur. Iamvero, triplex haec conditio in B. Virgine habetur. Ergo ...

Insuper, idem P. Cuervo, in art. *La Gracia de la Mediadora y su cooperación objetiva en el misterio de nuestra redención* (cfr *La Vida Sobrenatural*, a. 20, t. 38, marzo-april 1940) triplicem speciem satisfactionis distinguit, videlicet:

[1] *La B. Vierge Marie, médiatrice de toutes les grâces*, 2 opusc. excerpta ex Ephem. *La vie dioc.*, iul. et dec. 1921. *Comment je conçois, j'établis et je défends la doctrine de la médiation mariale*, excerptum ex *Ephem. Theol. Lov.*, 16 (1939) 655-744.

[2] Cfr *De mediatione B. Virginis secundum doctrinam S. Thomae*, in *Ciencia Tomista*, 38 (1928) 164.

[3] *La gracia y mérito de María*, in *Ciencia Tomista*, 57 (1938) 87-104; *La gracia y el merito de María en su cooperación a la obra de nuestra salud*, in *Ciencia Tomista*, 57 (1938) 204-223, 507-543.

[4] Contra hoc argumentum, iure animadvertit Bittremieux: « Contro ciò si potrebbe forse obiettare che in questo testo di S. Tommaso si tratta di un valore di merito in rapporto alla grazia già meritata da Cristo, mentre qui si tratta dell'acquisto medesimo delle grazie effettuato dalla SS. Vergine, e che per conseguenza non esisterebbe «paritas». (Cfr *Marianum*, 2 [1940] 15).

a) *condigna perfecta*, seu ex toto rigore iustitiae; *b*) *condigna imperfecta* seu ex mera condignitate; *c*) *de congruo*.

a) Satisfactio *condigna perfecta* importat aequalitatem perfectam inter satisfactionem et offensam, et supponit insuper quod persona satisfaciens ex propriis satisfaciat. Satisfactio haec a solo Homine-Deo offerri potest, eo quod ipse solus habere potest gratiam tamquam propriam.

b) Satisfactio *condigna imperfecta*, aequalitatem importat inter satisfactionem et offensam, non tamen inter personam satisfacientem et personam cui satis fit. In hac categoria nos omnes sumus, eo quod satisfactiones nostrae vi gratiae a Deo receptae effectum sortiuntur. Et ob hanc rem, satisfactio ista vocatur satisfactio « ob acceptationem divinam » vel « ob misericordiam divinam » vel « secundum quandam proportionem ».

c) Satisfactio *de congruo*, illa appellatur in qua nulla habetur aequalitas sive inter personam satisfacientem et personam cui satis fit, sive inter offensam et opus *satisfactorium*.

Hisce distinctionibus positis, animadvertit quomodo theologi hodierni « por una inexplicable incongruencia », cum quaestionem de merito et satisfactione Virginis pertractant, ad primam et ad tertiam solummodo speciem attendunt, seposita omnino secunda specie, seu satisfactione *ex condignitate* (l. c., pp. 91-92). Exponit tandem quomodo tres rationes meritum *de condignitate* pro Virgine suadeant seu potius imponant, videlicet: *a*) principium consortii, *b*) dignitas altissima Mariae, una cum gratia perfectissima qua a Deo fuit donata; *c*) necessitas ponendi Virginem in ordine quodam superiori et a quolibet alio communi mortalium ordine bene distincto (l. c., pp. 95-102).

P. Balić, O. F. M., ostendit documenta recentiorum Pontificum, Benedicti XV (*Inter sodalicia*) et Pii XI (*Auspicatus profecto*) melius explicari posse in concordia cum sententia meriti de condigno quam in sententia meriti de congruo. [1]

P. Grabić, O. F. M., historice exponit quaestionem, a Ripalda usque ad dies nostros, insistendo praesertim in argumentis allatis a Carolo Del Moral. Notatu tamen digna est sequens eius animadversio: « Communis est doctrina Theologorum sanctos pro nobis, et nos ad invicem, promereri posse gratias pro aliis et hoc *de congruo*; estne iustum et aequum B. V. Mariam sub hoc respectu nobis peccatoribus aequiparari?! Vere pius erga Matrem Dei sensus tale quid sustinere nequit ». [2]

[1] *Die sekundäre Mittlerschaft der Gottesmutter* (Hat Maria die Verdienste Christi de condigno für uns mitverdient?), in *Wissenschaft und Weisheit*, 4 (1937), 1-22; Idem, *Marija posredmica nasa* (Maria Mediatrix nostra) in *Nova Revija*, 7 (1928), nn. 1-2, 13-22, 134-141.

[2] *Theologicae considerationes de natura mediationis B. M. Virg.*, in *Collectanea Franc. Slav.*, Acta II Congressus, 1937, p. 93. Eadem ratio affertur etiam a P. Cuervo: « El mérito y satisfac-

II. Meritum corredemptivum B. Virginis fuit de congruo.

Omnibus rite perpensis, non videtur hucusque argumentum allatum fuisse ad meritum corredemptivum de condigno stabiliendum. Plura vero huic merito obstant. Obstat, ante omnia, *genuinus conceptus meriti de condigno*. Meritum enim de condigno tunc tantum habetur « quando invenitur *aequalitas* inter praemium et meritum, secundum rectam aestimationem » (*II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 3). Requiritur, ergo, ad meritum de condigno *aequivalentia operis seu intrinseca proportio ad praemium*, quia praemium *ex iustitia* debetur (cfr. *S. Th.*, I-II, q. 114, a. 3, et ad 3; *III Sent.*, dist. 18, q. 1, a. 2). Iamvero, *aequivalentia* ista operis ex parte B. Virginis non habetur. Sic, satisfactio Virginis pro nostris peccatis non est condigna, quia actus eius non habet *efficaciam infinitam* et ideo deest aequivalentia operis cum praemio seu cum satisfactione condigna pro peccatis nostris. Etenim, « peccatum contra Deum commissum *quamdam infinitatem* habet ex infinitate divinae maiestatis: tanto enim offensa est gravior quanto maior est ille in quem delinquitur. Unde oportuit *ad condignam* satisfactionem, ut actus satisfacientis habeat *efficaciam infinitam*, utpote Dei et hominis existens » (*III*, q. 1, a. 2, ad 2). [1] Ex eo autem quod B. Virgo, non potuit satisfacere pro nobis de condigno (quia actus eius non habuit efficaciam infinitam) sequitur quod neque de condigno mereri potuit gratias salutis: in praesenti enim ordine naturae lapsae, nemo mereri potest de condigno nisi prius aut simul satisfecerit pro peccatis quibus homines a salute ipsa excluduntur.

Nec sufficit ad talem *aequivalentiam* habendam *deputatio et acceptatio divina* meriti B. Virginis (vi officii Corredemptricis) ad redemptionem aliorum, vi cuius meritum Virginis fit *corredemptivum* seu sociale. Deputatio enim et acceptatio divina nullimode opus ipsum seu actus meritorios Virginis intrinsece mutat, ita ut id quod est intrinsece *inaequale* et improportionatum, evadat aequale. Deputatio et acceptatio divina meritum illud *sufficiens* tantummodo reddunt. Ad meritum igitur de condigno seu ex vera *iustitia* duo requiruntur, videlicet aequivalentia operis et acceptatio divina; et sicut aequivalentia operis sine acceptatione divina non sufficit, ita, a pari, acceptatio divina sine aequivalentia operis sufficere nequit.

ción *de congruo* solamente, la dejan en el plano general en que todos nos movemos, la cual hace que la Mediadora se distinga de nosotros únicamente en cuestion de grados, dentro de la misma especie de mérito y de satisfacción. Y esto destruye la distinción especifica que debe existir entre Ella y nosotros » (*La gracia de la Mediadora...*, in *Vida Sobrenatural*, 38 [1940] 100).

[1] Idem docet etiam De Rhodes post S. Thomam et Suarez: « Istaque sola placet ratio quam ex S. Thoma, Suarez habet (Disp. 4, sect. 9): *ut satisfactio aliqua aequalis sit offensae, necesse est ut persona satisfaciens aequalis sit personae offensae, vel certe ut non sit inter eas distantia simpliciter infinita, quae non possit per bonitatem operis exaequari*; sed satisfactio exhibita pro peccato a pura creatura non prodit a persona aequali personae offensae; ergo nullius creaturae satisfactio aequalis esse potest offensae (in Deum) » (*Disputationes Theologicae*, t. 2, tract. 7, disp. 1, q. 3, sect. 3, Lugduni, 1671, pp. 24-25).

Insuper, ad merendum *de condigno* pro aliis, requiritur *gratia capitalis*, seu necesse est ut merens sit caput illorum pro quibus meretur. Bene enim intelligitur quomodo actio capitis aequivaleat aliquo modo gratiae omnium membrorum eius; minime vero intelligitur quomodo actio alicuius membri aequivalere possit gratiae aliorum membrorum. Ideo Christus pro aliis de condigno meruit, quia est caput omnium (*S. Th.*, III, q. 19, a. 1). Iamvero B. Virgo nullimode dici potest *caput* Ecclesiae, cum sit membrum eius, licet praecipuum, i. e. *collum*. Universa traditio denominationem capitis Christo reservat.

Obstat insuper merito Virginis *de condigno* communis traditio et communis Theologorum sententia meritum *de congruo* tantummodo asserens.

Obstat tandem merito de condigno obvius sensus verborum Pii X asserentis — iuxta communem Theologorum sententiam — meritum *de congruo*. Cum vero Pontifex hanc communem sententiam simpliciter referat, iure censetur illam simpliciter *adprobare*. Iamvero, asserendo simpliciter, cum Theologis, meritum *de condigno* pro Christo et meritum *de congruo* pro Deipara, Pontifex meritum *de condigno* pro Deipara evidenter excludit.[1]

III. Argumentorum oppositorum refutatio.

Relate vero ad argumentum prof. Lebon, animadvertendum est quod, quamvis actio redemptiva Christi et actio corredemptiva Virginis unum totale principium constituant nostrae reparationis (sicut actio Adae et actio Evae unum *totale* principium constituerunt nostrae ruinae), tamen actio Christi (eiusque valor intrinsecus) est bene *distincta* ab actione Deiparae: actio enim redemptiva Christi ratione *aequivalentiae* operis, utpote efficaciae infinitae, fuit ex toto rigore iustitiae et ideo de condigno. Actio vero corredemptiva Deiparae, utpote personae *finitae*, non habuit et non potuit praestare *aequivalentiam* operis, et ideo non fuit ex rigore iustitiae sed ex congruitate tantum. Meritum igitur redemptivum Christi fuit ex toto rigore iustitiae, ex se sufficiens, et ideo *de condigno*. Meritum vero corredemptivum Deiparae fuit ex sola congruitate, de se insufficiens, et solummodo ratione acceptationis divinae sufficiens (nullimode tamen *aequivalens*).

Relate ad argumentationem P. Fernandez, animadvertendum est quod ad meritum *de condigno* non sufficit deputatio et ordinatio divina meriti Virginis ad nostram salutem, sed requiritur ulterius *aequivalentia operis*. Insuper B. Virgo nullimode caput Ecclesiae dici potest: hoc enim traditio christiana ignorat omnino.

[1] Haec obvia animadversio movere deberet, ni fallimur, auctores illos qui aliter verba Pii X interpretantur, e. g. Fernández, Cuervo (l. c.), Leloir (*La Médiation Mariale dans la Théologie contemporaine*, p. 124). Istorum enim interpretatio valde contorta videtur, utpote ab obvio sensu verborum Pii X deflectens.

Relate ad argumentationem P. CUERVO, animadvertendum est quod praeter tres conditiones ab ipso positas ad habendum meritum *de condigno*, requiritur insuper, et praecipue, *aequivalentia* seu operis proportio intrinseca cum praemio.

Insuper, satisfactio « condigna imperfecta » contradictoria videtur. Quomodo enim satisfactio aliqua potest esse *condigna* si est *imperfecta*?... Satisfactio enim *imperfecta* dici nequit *simpliciter condigna*. Acceptatio autem divina minime illam in seipsa *perfectam* seu *condignam* reddit, sed *sufficientem* tantummodo.

Tria argumenta vero quibus talem satisfactionem *condignam* probare conatur, hoc unum tantum probare videntur, nempe, satisfactionem a Virgine praestitam, *vi principii consortii*, fuisse *corredemptivam*, seu a Deo acceptatam (licet imperfectam et ideo *de se* non condignam) pro redemptione generis humani. [1]

Ad confusionem vero vitandam et ad debitam distinctionem ponendam, putamus adhibendos esse terminos sequentes:

a) Meritum (et satisfactio) Christi fuit meritum REDEMPTIVUM de *condigno*, ad *aequalitatem* iustitiae;

b) Meritum Deiparae fuit meritum CORREDEMPTIVUM de *congruo*, ad sufficientiam;

c) Meritum commune iustorum est de *condigno* vel de *congruo* (nullimode tamen *redemptivum* aut *corredemptivum*).

Relate ad argumentationem P. BALIĆ, praeter ea quae superius animadvertimus, addendum est quod dicta recentiorum Pontificum aeque bene, imo melius forsan explicantur si de merito *corredemptivo de congruo* intelligantur.

Relate tandem ad argumentum P. GRABIĆ, secundum quem si negatur pro Virgine meritum de condigno et asseratur meritum de congruo tantum, B. Virgo nobis peccatoribus *aequipararetur*, respondendum est *negando omnino suppositum*. Meritum enim de congruo Virginis est meritum *corredemptivum* respiciens acquisitionem gratiarum *in actu primo* (seu in ordine redemptionis obiectivae); meritum vero de congruo aliorum omnium respicit acquisitionem gratiarum *in actu secundo* (seu in ordine redemptionis *subiectivae* seu applicationis). Quapropter nullimode B. Virgo *aequiparatur* nobis peccatoribus si meritum eius *corredemptivum*, *de congruo* dicatur. Haec eadem animadversio valet etiam pro ratione allata a P. Cuervo. Meritum igitur corredemptivum B. Virginis fuit de *congruo*. [2]

[1] Has nostras rationes conatus est refutare P. Cuervo in articulo: *Sobre el mérito corredentivo de María*, in *Estudios Marianos*, vol. 1, 1942, pp. 325-252. Ipsi respondimus, in *Marianum* 8 (1946) 157-160.

[2] Haec eadem animadversio valet pro P. Garcia Garces scribente: « Qui concedunt B. Virginem de condigno meruisse, distinguunt prorsus meritum eius a merito Christi. Qui autem meritum de congruo defendunt, quomodo probant Pium X declarasse *eiusdem speciei meritum Mariae et iustorum communiter*? » (o. c., p. 210). Meritum enim de congruo quod a Pio X

OBICI posset: « Num relativae peccati infinitudini relativa etiam divinae maternitatis infinitudo quaeat perfecte aequiparari. Quod si utriusque infinitudinis perfecta est paritas, tunc, praesupposita Dei acceptatione, Virginis satisfactio *condigna* posset nuncupari ». Ita P. Bover in *Marianum*, 2 (1940) 55.

RESPONDETUR: Concedenda omnino est paritas inter relativam peccati infinitudinem et relativam divinae maternitatis infinitudinem: utraque enim est infinita secundum quid. At, ex hoc minime sequitur satisfactionem Deiparae esse potuisse ad *aequalitatem iustitiae*, seu de condigno. Ad hanc enim habendam, requiritur ut persona satisfaciens et persona offensa conveniant in eodem ordine, puta in eadem specie vel in eodem genere saltem supremo: laesio enim honoris — prout docet Angelicus — aestimatur ex *dignitate personae offiensae*, dum redditio honoris, e converso, aestimatur ex *dignitate personae satisfacientis*. Iamvero dignitas personae offensae est *simpliciter* (non secundum quid) infinita, dum e contra dignitas personae satisfacientis, in casu, seu B. Virgo, est dignitas simpliciter finita (utpote pura creatura) et solum *secundum quid infinita* (seu ratione maternitatis divinae). Remanet semper igitur, simpliciter infinita distantia inter Deum offensum et B. Virginem satisfacientem; et proinde satisfactio eius nullimode ad *aequalitatem iustitiae* seu de condigno (sicut satisfactio Christi, qui est persona simpliciter infinita) dici potest.

Acceptatio vero satisfactionis Virginis ex parte Dei, satisfactionem illam reddit *sufficientem* non vero *aequalem* (et ideo condignam), quatenus Deus est illa contentus, utpote proportionata Virginis possibilitati. *Aequalitas* ergo inter reparationem et offensam, vi acceptationis divinae, numquam habetur, sed solum *sufficientia* quatenus nempe Deus est illa contentus. Remanet igitur quod satisfactio (et etiam meritum corredemptivum) B. Virginis sit solummodo *de congruo* et ad sufficientiam universalem, dum meritum redemptivum Christi sit de condigno et ad aequalitatem iustitiae. [1]

Deiparae tribuitur, est meritum *corredemptivum*; et ideo ex seipso, iuxta Pium X, a communi merito de congruo iustorum bene distinguitur.

Insuper P. Garcia identificare videtur meritum *corredemptivum* cum merito *de condigno*. Relatis enim verbis quibus P. Dillenschneider meritum *corredemptivum* Virginis concedit, P. Garcia quaerit: « Quid amplius requiritur ut meritum de condigno vocari possit? » (o. c., p. 212). Requiritur ulterius — respondemus — *aequalitas* inter opus et praemium, inter satisfacientem et personam offensam. Vi enim acceptationis divinae (ex officio corredemptricis resultantis) satisfactio Virginis redditur corredemptiva *ad sufficientiam* universalem, et ideo *de congruo*, non vero ad *aequalitatem iustitiae* seu *de condigno*.

[1] Ex dictis satis apparent, prout putamus, aequivocationes et confusiones quae in sequentibus verbis P. Grabić inveniuntur: « Iuste non potest huic sententiae (meriti *de condigno* Deiparae) opponi, merita B. V. Mariae non esse infinita, proinde non posse satisfacere *de condigno* pro peccatis, qui (sic) habent infinitam culpabilitatem ratione offensae divinae Maiestatis. Omnes actiones creaturarum — non exceptis actionibus Christi Domini quoad eius naturam humanam — sunt finitae, cum creatura incapax sit infinitatis. Peccatum, quantumque (sic)

Nec valere videtur haec alia obiectio:

Dicitur meritum *de condigno* nedum meritum inhaerens operi quod aequivalet praemio (et quod proinde intra limites strictae iustitiae invenitur), sed etiam illud quod inhaeret operi valoris praemio ipso inferioris (et ideo extra limites strictae iustitiae), quoties talis inferior condicio *a promissione quadam* etiam implicita, ex parte praemiantis *suppleatur*; qua proinde praemians fidelitatem suam, tali modo, pignori dat. Atqui, actus meritorii Deiparae, quatenus socia fuit Christi in opere Redemptionis, quamvis sint inferioris valoris relate ad praemium seu ad Redemptionem, talis tamen inferior condicio suppleta fuit a promissione implicita Dei quae continetur in aeterna destinatione Mariae ad munus Corredemptricis cum Christo. Ergo meritum corredemptivum Deiparae appellari debet meritum *de condigno*.

RESPONDETUR. Ad Mai. Concedo primam partem; *distinguo secundam partem*: si agitur de merito pure *de condigno* in *communi*, quale invenitur in omnibus iustis, iterum *concedo*; si vero agitur de merito illo peculiari Deiparae quod *corredemptivum* appellatur, tunc *subdistinguo*: suppletur in sua inferiori condicione *a promissione* implicita Dei et ab Eius *fidelitate*, quantum *ad terminum* seu praemium, *concedo*; quantum *ad principium* seu ad gratiam ex qua procedere debet meritum *redemptivum de condigno*, *nego*.

Contradistinguo secundam partem minoris: talis inferior condicio suppleta fuit etc. quantum *ad terminum* seu praemium, *conc.*: quantum ad *principium* seu gratiam, *nego*.

Nego *consequens* et *consequentiam*, et explico.

grave, est quid finitum. Si infinitum appellatur hoc est tantum improprie et externe, relate ad Deum. Cum omne etiam levissimum peccatum offendat Deum infinitum, tunc non apparet rationabilis distinctio peccatorum in levia et gravia. Licet bona opera Matris Dei fuerint finita, tamen ut opera Deiparentis sua dignitate et excellentia superant omnia peccata omnium hominum. Ut talia poterant mereri et revera merebantur salutem peccatorum in dependentia cum Christo. Licet in hodierno statu salutis Deus requirat satisfactionem pro generi humano a Filio Dei Incarnato, talis modus redemptionis non est absolutus pro omni ordine rerum. Poterat Deus ut condignam acceptare satisfactionem ab aliqua iusta persona, quin sit incarnata. Hic non latet ulla contradictio. Proinde etiam ex hoc capite motae difficultates pro mariano merito de condigno plane evanescunt » (l. c., pp. 97-98).

Sufficit haec breviter animadvertere: 1) quamvis offensa peccati non sit *simpliciter infinita*, in ordine tamen gravitatis excedit quamlibet reparationem adaequatam quae offerri potest a pura creatura, ob infinitam distantiam inter personam offensam et personam satisfacientem. 2) Peccatum *veniale* non est *offensa Dei simpliciter*, cum non contrarietur caritati, nec creaturam creatori praeferat aut finem ultimum in aliqua re extra Deum reponat, et ideo nullo modo peccatum veniale cum peccato mortali comparari potest; 3) *acceptatio Dei* nullimode reddit *condignam* seu ad aequalitatem satisfactionem de se inaequalem, sed illam tantummodo *sufficientem* reddit, quatenus Deus est illa contentus. Difficultates igitur, ex hoc capite, pro merito de condigno, minime evanescunt.

Obiectio considerare non videtur quod meritum *redemptivum* procedere debet non iam ex quacumque gratia sed *ex gratia capitali*, quae tamen in Christo tantummodo, non vero in Deipara invenitur. In Christo enim meritum redemptivum est *de condigno ex toto rigore iustitiae* quia ex gratia eius capitali procedit; quamvis enim talis gratia alia non sit a gratia habituali, invenitur tamen in Illo qui tamquam *Caput* angelorum et hominum operatur. Deipara, e contra, operatur cum Christo redemptionem utens simplici gratia habituali quae characterem gratiae capitalis non habet. Nec sufficit quod, relate ad *terminum* materialem, tantum sese extendat quantum gratia Christi, seu quod creaturas omnes rationales respiciat, ad hoc ut meritum *de condigno* producat. Talis enim extensio non iam ex gratia habituali Deiparae (quasi in alios sese effundere debeat, sicut gratia Christi) sed tantummodo ex facto associationis cum Christo in opere redemptionis dependet. Ob hanc rationem meritum corredemptivum Deiparae non est de condigno sed *de congruo*, quamvis de congruentia quadam singularissima agatur respectu congruentiae aliorum iustorum.

Adiungi etiam debet quod meritum Christi est redemptivum *ab intrinseco* et suapte natura, eo quod oritur ex *gratia capitali*, cum sit caput hominum redemptorum. Meritum *corredemptivum* Deiparae, e contra (prout nomen ipsum innuit) est redemptivum *ab extrinseco* et non suapte natura, proindeque sufficit ut ex gratia habituali communi oriatur. At, ob hoc praecise ad dignitatem meriti *de condigno* pertingere nequit, et proinde *meritum corredemptivum de congruo* appellari debet.

C) De cooperatione compassionis per modum sacrificii.[1]

Prop. III.: *B. Virgo, per suam compassionem, nostrae saluti cooperata est* PER MODUM SACRIFICII.

Propositio haec consectarium dici potest duarum propositionum praecedentium. Passio enim Christi (seu *mors* eius in fieri) *merendo* nobis gratiam, et pro iniuria Deo per culpam illata *satisfaciendo*, *nos Deo reconciliat* i. e. univit partes non unitas — quod est principale in toto opere mediationis. — Sub hoc respectu, i. e. quatenus nos *Deo reconciliat*, Passio Christi *sacrificium* appellatur. Hinc — ut animadvertit P. Friethoff [2] — dicere licet: Christus meruit et satisfecit *sacrificando*, et sacrificavit *merendo* et *satisfaciendo*.

I. **Declaratur propositio**: Secundum S. Augustinum « *Verum sacrificium est omne opus* quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo »; finis, enim, cuiuslibet sacrificii est hominem Deo societate coniungere.

[1] Cfr GARCIA GARCES NARCISO, C. F. M., *Cooperación de María a la Redención, a manera de sacrificio*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 195-242.

[2] *De Alma Socia...*, p. 140.

Porro, duplex sacrificium distinguitur scil.: *interius*, seu invisibile, et *exterius* seu visibile: et illud quidem principale est, hoc autem secundarium: nam, ut ait S. Augustinus, « omne sacrificium *visibile*, invisibilis sacrificii sacramentum, seu sacrum *signum* est ». [1]

Ad *primum*, i. e. ad interius sacrificium, *omnes tenentur*: nam, nemo est qui devotam Deo mentem offerre non debeat, ut cum ipso spirituali societate coniungatur. Ad secundum autem i. e. ad sacrificium *exterius*, aut non omnes tenentur, aut saltem non aequaliter tenentur.

At, animadvertendum est, quod sacrificium interius, quamvis sit finis sacrificii exterioris, *improprie* sacrificium nominatur, quia ipsi deficit *propria sacrificii ratio*, quae est ut sit *sacramentum*, seu *sacrum signum*.

Quapropter, sacrificium *proprie dictum*, est sacrificium *exterius* i. e. quod circa *actus exteriores* versatur.

At isti *actus exteriores* in duplici veluti conditione inveniri possunt: 1) vel sunt laudabiles *ex se*: ut sunt actus qui fiunt secundum diversas virtutes; vel 2) sunt *laudabiles solummodo* ex hoc quod fiunt propter *divinam reverentiam*, ut cum quis v. g. ovem Deo mactat, aut panem benedicit, frangit et consumit.

Porro, prioris generis actus nonnisi *latiori* quodam *sensu* sacrificia dici possunt, ad quae homines diverso modo tenentur.

Hinc, sacrificium proprie et stricte dictum, importat actum *externum* ordinatum ad societatem cum Deo habendam, qui videlicet actus *ex hoc solo* laudem habeat, quod ordinetur in *divinam reverentiam*.

Ubi tamen ulterius advertendum est, non satis esse ad sacrificium proprii et stricti nominis, rem Deo utcumque offerri: cum enim, sacrificium *exterius* sit sacrum signum sacrificii interioris, ulterius requiritur ut circa rem illam quae offertur, aliqua *mutatio* inducatur, ut e. g. mactatio aut combustio, si de animalibus agatur; benedictio, fractio et comestio, si de pane; effusio, si de vino etc. in quo quidem differt *sacrificium* ab *oblatione*, qua res aliqua Deo offertur nulla in illa re mutatione inducta. Mutatio, seu victimae destructio omnino requiritur ad *dominium* Dei super omnia testificandum et maxime ad Deum pro peccato (victimae destructione loco peccatoris) placandum: quae duo ad finem ipsum sacrificii pertinent. [2]

Hisce omnibus praemissis, sacrificii proprie dicti *definitionem* dare possumus. « *Est oblatio* rei alicuius *sensibilis*, (a Sacerdote) Deo facta, aliqua *mutatione* in re inducta, in recognitionem divini dominii, et ut anima Deo spirituali societate iungatur ».

[1] *De Civit. Dei*, 10, 5.

[2] Cfr op. nostrum *L'essenza del sacrificio eucaristico. Risposta alla critica del R. P. Petazzi, S. J., ad un opuscolo di S. Em. il Card. Lépicier O. S. M.*, Roma, 1936, et al. op. *Ancora sull'essenza del sacrificio eucaristico. Risposta alla replica del P. Petazzi S. I.*, Rovigo, 1937.

Nunc vero, Christus, ex quo semetipsum pro nobis in mortem *voluntarie* tradidit, verum, proprium, et stricte acceptum sacrificium obtulit, quod quidem sacrificium, quia ex summa caritate procedebat, Deo maxime acceptum fuit. Hinc, Christus est vere et proprie Sacerdos ...

At, de B. Virgine quid dicendum?...

Distinguendum est: si agitur de sacrificio *interno*, seu improprie dicto, ambigendum non est quin B. Virgo, illud, et quidem modo excellentissimo, et quidem a primo conceptionis passivae consummatae momento, maximo affectu Deo obtulerit: quam oblationem frequenter in vita iteravit. Nec semetipsam tantummodo B. Virgo Deo obtulit, sed etiam ineffabiles animi dolores; quam oblationem, vehementi cordis affectu, sub Cruce Nati consummasse dicenda est. Nam, animam suam « *in passione Filii crucifixit cum Filio* » (S. Alb. M.). — Insuper, Deo, omnium virtutum actus perfectissimos consecravit.

Sed haec omnia — ut diximus — respiciunt sacrificium *improprie* et *late dictum*. Hinc, iterum quaestio: *obtulit* ne, B. Virgo, sacrificium *stricto sensu* acceptum?

Respondendum est: *Negative*. Licet enim Victimam divinam, i. e. Christum, ferventissimo affectu in illius conceptione Deo obtulerit, et rursus idipsum praestiterit in Templo, et iterum, quantum in se esset, eamdem oblationem iteraverit in Calvario, tamen, hoc totum peractum est absque ulla rei *oblatae immutatione*, ideoque a sacrificii stricte accepti ratione defecit. Utique, sacrificium proprie et stricte dictum fuisset, si B. Virgo, ut olim Abraham, mandatum a Deo accepisset Filium occidendi, et si rem ad effectum perduxisset: quod tamen non fuit, quamvis invictissima Virgo illud sine ulla haesitatione, si Deo ita placuisset, ultro praestitura fuisse credenda sit, ut egregie exprimit S. Antoninus.

II. **Probatur propositio**:

A) **Ex auctoritate**: I. **RR. Pontificum**: Leo XIII: « Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, quae tacta in nos caritate immensa, ut *susciperet filios*, *Filium ipsa suum ultro obtulit divinae iustitiae* cum eo commoriens corde doloris gladio transfixa » (*Iucunda semper*).

Pius X asserit quod B. Virgo habuit etiam « *officium eiusdem hostiae* custodiendae nutriendaeque atque adeo statuto tempore *sistendae ad aram* » (*Ad diem illum*).

Benedictus XV: « Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic *materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit* placandaeque Dei iustitiae, *quantum ad se pertinebat Filium immolavit* » (*Inter sodalicia*).

Pius XI: « Hisce denique votis inceptisque nostris praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, *apud crucem hostiam obtulerit*, per *arcanam cum Christo coniunctionem* eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item extitit pieque appellatur » (*Miserentissimus Redemptor*).

II. **Ex auctoritate Patrum et Scriptorum Ecclesiae:**

Arnoldus Carnotensis: « ... omnino tunc erat una Christi et Mariae voluntas, *unum olocaustum* ambo pariter offerebant, haec in sanguine cordis, hic in sanguine carnis » (PL 189, 1726).

S. Bonaventura: « Ipsa (Anna, mater Samuelis) obtulit filium ad serviendum; sed beata Virgo *obtulit Filium suum ad sacrificandum*. Abraham, voluisti offerre filium tuum, sed obtulisti arietem. Sed *Virgo gloriosa Filium suum obtulit* » (*De donis Spiritus S.*, col. 6, n. 17, Op. 5, 486 b).

S. Albertus M.: « Ipsum Filium suum et Filium Dei, non prout panis et vinum in corpus ipsius transferebatur, et sub speciebus alienis immolabatur, sed secundum quod in eius propria carne et sanguine secundum corpus formabatur, *sub ipsa sua specie propria in qua eum genuit, spontaneo eius consensu in eius passione pro nobis omnibus obtulit* » (*Mariale*, q. 51).

S. Petrus Canisius: « Vere igitur magna fecit Mariae qui potens est, ut mulier tot malorum et suppliciorum Filii spectatrix adstaret ..., *simulque Christum veram et vivam hostiam pro mundi peccatis offerret* » (*De Maria Virgine incomparabili* lib. 4, c. 26, § 5).

S. Alfonsus de Liguori cuius verba retulimus pp. 333 ss.

In Menaeis S. Sabae (7 febr., ode ix): « Adiuro te Domina, ut me liberes a dominio spirituum malorum, tu qui dedisti Filium tuum crucifigendum ut esset communis liberatio totius mundi ... ».

Suarez: « Sicut enim Christus, eo quod nos redemit speciali titulo Dominus est ac Rex noster, ita B. Virgo propter singularem modum quo ad nostram redemptionem concurrit ... *illum pro nobis voluntarie offerendo* » (*In III P.*, d. 22, s. 2, n. 4).

B) **Ex ratione**: *a*) Qui vere et formaliter cooperatur redemptioni, cooperatur etiam *sacrificio*. Atqui B. Virgo cooperata est vere et formaliter redemptioni generis humani. Ergo B. Virgo cooperata est etiam sacrificio.

Ad Maiorem. Praecipuum enim et formale in redemptione (seu in hac *particulari mediatione* inter Deum et homines) non est liberatio nostra a poena *per satisfactionem*, neque acquisitio donorum supernaturalium, secundum se sumptorum *per meritum*, sed est *ipsa nostra reconciliatio cum Deo* i. e. ipsa reunio *partium* olim dissidentium. Sed praecise sub *hoc respectu* opus redemptionis seu salutis *sacrificium* vocatur. Ergo B. V. quae vere et formaliter cooperata est *redemptioni*, vere pariter et formaliter cooperata est *sacrificio* redemptivo.

Minor probata est in quaest. praec.

b) Qui compatitur cum Christo meritorie et satisfactive, simul cum Eo ad Eius sacrificium concurrit. Atqui B. Virgo compassa est cum Christo meritorie et satisfactive. Ergo B. Virgo simul cum Eo ad eius sacrificium concurrit.

Ad Maiorem: Christus enim *sacrificavit* semetipsum passionem *meritoriam* et *satisfactivam* voluntarie sustinens, ita ut verum sit dicere Ipsum *meruisse* et *satisfecisse* SACRIFICANDO, et SACRIFICASSE *merendo* et *satisfaciendo*. Consequenter, B. Virgo quae *compassa* est cum Eo meritorie et satisfactive, cum Eo pariter ad Eius sacrificium, merendo et satisfaciendo de congruo, concurrit.

Minor probata est in duabus propositionibus praecedentibus.

Hinc constat omnino B. Virginem sacrificio Filii sui *aliquo modo* cooperatam fuisse. Sed quonam modo? ... Dicendum videtur B. Virginem huic Novae Legis sacrificio cooperatam fuisse tum *remote*, tum *proxime*: *remote* (et quidem *physice*) « ministrando materiam — ut scripsit Pius X — qua *hostia* compararetur, alendo et custodiendo hanc hostiam, et denique illam deducendo ad aram Crucis; *proxime*, vero (sed tantummodo *moraliter*), eamdem hostiam simul cum Christo, Summo Sacerdote, pro redemptione nostra divinae iustitiae, maximo cordis dolore *offerendo*, et quidem, ut *propriam*, eo quia *iura materna* in ipsam habuit, quae voluntarie et libenter adbdicavit. Et ideo, « quantum ad se pertinebat, *Filium immolavit* » (Benedictus XV). Consensus enim B. Virginis, in die Annunciationis, usque ad *crucis sacrificium* se extendit, eo quia Verbum — ut ostendimus — noluit hunc mundum ingredi ad sese sacrificandum, et ideo noluit *sese sacrificare* pro redemptione nostra *ante Virginis consensum*, ideoque, in ordine *executionis*, ab illo *pendere* voluit sacrificium crucis, cui ergo *immediate*, licet *moraliter*, interne B. Virgo cooperata est. Et haec dicta sint contra ea quae scribit P. LENNERZ, in o. c., p. 166, n. 225.

Hinc, ut scribit cl. MERKELBACH (*Xenia Thom.* 2, p. 510), « Christus et B. Virgo ad eumdem effectum concurrerunt, sed *diversimode*: Christus ut homo *perfective*, dum *externe* ordinavit de propria vita, mortem quam humano imperio et voluntate instrumentali impedire poterat, permittendo. [1] Maria autem

[1] Bene hic distingui debet inter modum quo Christus *semetipsum sacrifica vit* et modum quo B. Virgo ipsum *immolavit*. Etenim — ut animadvertit P. Friethoff (o. c., p. 123) — « potuit Christus, ut *Deus* in nihilum redigere inimicos suos, vel saltem mutare voluntates sacrilegas in bonas; insuper, in quantum *homo* potuit, ut instrumentum et organum coniunctum, totaliter vincere eos adhuc existentibus voluntatibus pessimis, quod aliquando fecit (Ioan., 7, 30, 8, 20); sed etiam permittere omnes machinationes contra ipsum; et tamen conservare dispositionem proprii corporis, ita ut post tantam sanguinis effusionem adhuc in ultimo momento vitae habuerit *vocem magnam*... *Volente vero Christo*, natura cedebat violentiae illatae, et inclinans caput, tradidit spiritum (Ioan. 19, 30). Manifestum est B. V. Mariam, quia non est Dea, nec organum coniunctum, non habuisse potentiam illam... ». Hinc, Christus, de facto, fuit *causa* efficiens indirecta suae mortis et ideo vere et *externe semetipsum sacrificavit*, seu actionem externam *sacrificalem* posuit; B. Virgo, vero, nullo modo fuit, de facto, causa efficiens indirecta mortis Christi, et ideo proprium Filium vere et *externe non sacrificavit*, seu *actionem externam sacrificalem* non posuit, sed tantummodo *interne* obtulit. Ideo Bened. XV dicit quod B. Virgo, *quantum ad se pertinebat*, hinc sec. quid, *Filium immolavit*.

dispositive, dum Filii morti consensit et *iura materna*[1] in Eum abdicavit. Unde, solus Christus vere et proprie actionem *externam* sacrificalem crucis exercere et *immediato* influxu voluntatis perficere potuit, Pontifex N. L., dum Maria sacrificio a Filio oblato solum *consentiendo* concurrit, et ita minus proprie illud obtulit *interna* voluntate, quam etiam sua assistentia manifestavit ».

Addi etiam potest B. Virginem, in offerendo Filium suum, Deo gratissimam fuisse cum ab omni prorsus labe immunis existeret. Quod quidem convenienter omnino factum est: nam, ad hoc ut grata et perfecta esset Eius oblatio, nullo peccato, sive actuali sive originali, obnoxia esse debuit, sicut Christus de quo scribebat Apostolus: « Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus » (Hebr., 4, 27).

Ex dictis patet cur B. Virgo dici non possit SACERDOS nisi SENSU OMNINO IMPROPRIO. B. Virgo enim, quamvis Filium suum *obtulerit consentiendo* interna voluntate sacrificio Eius, tamen *actionem externam sacrificalem* crucis nullo modo posuit. Christus tantummodo illam posuit, ideoque tamquam verus Sacerdos semetipsum sacrificavit.

Iure ergo meritoque, die 15 ian. a. 1913 *E.mi Cardinales Inquisitores S. Officii* decreverunt « Imaginem B. M. Virginis *vestibus sacerdotalibus indutae* esse reprobandam ». Die autem 8 aprilis 1916, S. OFFICIUM decrevit devotionem erga Mariam *Virginem-Sacerdotem* non esse propagandam. Die vero 10 martii 1927 *S. Officium in litteris ad Episcopum Adriae* missis, ratione cuiusdam articuli in Ephem. « Palestra del Clero », monuit articulum illum praelaudato decreto contrarium fuisse.

D) De cooperatione compassionis per modum Redemptionis[2]

Prop. IV: *B. Virgo, per suam compassionem praesertim, saluti generis humani cooperata est* PER MODUM REDEMPTIONIS.

I. Declaratur propositio:

Propositio haec potest dici veluti recapitulatio et conclusio praecedentium propositionum. Ex hac ergo propositione rite demonstrata, quam maxime pendent intelligentia et vis tituli *Corredemptricis*, in sensu omnino *proprio* ac *formali* intellecti.

Cum dicimus passionem Christi nostram salutem operatam esse per *modum redemptionis*, intelligimus specialem quemdam respectum ipsius passionis, i. e.

[1] *Iura ista materna* — ut bene animadvertit P. Friethoff (o. c., p. 126) — « licet non sint iura *simpliciter* sed *sec. quid* tantum, cum agatur de hypostasi *divina* erga quam nulla creatura pura propter infinitam inaequalitatem talia iura habere umquam possit, sunt tamen iura *vera* quia sibi correspondet *debitum*: Deus enim *sibi* debitor est, ut suas ordinationes impleat ».

[2] Cfr EMETERIO DE JESUS MARIA, O. C. D., *Cooperación de María a manera de Redención*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid, 1943, pp. 249-263.

SOLUTIONEM PRAETII, a Christo, Deo Patri factam, pro nostra liberatione a diaboli servitute, et ideo ab utroque reatu, tum *culpae* tum *poenae*. *Redemptio* enim est nova *emptio* quae quidem sine *pretio* non perficitur. Hinc, ratio *formalis redemptionis* est « *solutio pretii* ». « Quia enim iuste ordinaverat Deus ut, ratione peccati, in tyrannicam diaboli servitutem incideremus, statim ac per Christi sanguinem restituimur in libertatem filiorum Dei, profecto redimimur, *pretio quidem soluto*, non diabolo, cui nullum ius inerat, sed Deo, quo permittente et ordinante humanum genus captivitatem incurrerat » (*S. Th.*, p. III. q. 48, art. 4).

Porro, passio Christi vere nostram salutem per modum redemptionis causavit, quatenus Christus obtulit Patri *sanguinem suum* seu *animam* et ideo vitam suam (quia « anima carnis in sanguine est » Lev., 17, 11), pro hominum liberatione. Redempti enim sumus non auro vel argento, « sed *pretioso sanguine*, quasi agni immaculati Christi » (1 Petri, 18, 19); « iustificati sumus *in sanguine* ipsius » (Rom., 5, 9); « empti sumus pretio magno » (I Cor., 6, 20). Quamvis enim *omnes* actus et passiones Christi potuissent esse et dici possint causa redemptionis nostrae, non fuerunt tamen — ex Dei deputatione — *sine eius morte*. Hinc per mortem praesertim, seu per passionem mortiferam fuit *Redemptor* noster.

Sed *de B. Virgine* quid dicendum? ... Habuitne Ipsa partes quasdam in hoc pretio solvendo et a Christo soluto? ... Cooperata est ne *solutioni pretii*? ...

Respondetur *affirmative*.

II. **Probatur propositio**:

1) **Ex auctoritate**: I. **Romanorum Pontificum**:

PIUS X simpliciter asserens B. Virginem fuisse « adscitam (i. e. assumptam, unitam) in humanae salutis opus » (Encycl. *Ad diem illum*, 2 febr. 1904), evidenter significat sibi unitam fuisse in TOTO salutis opere, et praesertim in eo quod *formale* est in redemptione, i. e. in PRETII solutione.

BENEDICTUS XV verbis: « materna in Filium *iura* abdicavit » (22 martii 1918 *AAS*, t. 10, 1918, p. 182), modum sat aperte indicat quo B. Virgo solutioni *pretii* nostrae redemptionis cooperata est.

II. **SS. Patrum, Doctorum et Scriptorum Ecclesiae**.

Omissis frequentissimis appellationibus in quibus *implicite* hoc asseritur, illis praesertim in quibus « Redemptionis adiutrix, hominum redemptio, redemptrix, corredemptrix » B. Virgo appellatur, referimus hic testimonia tantummodo explicita, videlicet:

S. EPHRAEM: « Tu ... pretium redemptionis captivorum » (Prec. IX, graec. 3, 545-546); « Salve Evae pretium redemptionis » (Ibid., p. 547); « Eva scripsit chirographum debiti, et Virgo solvit debitum » (Ed. Lamy, 3, 978).

S. Tarasius: « Tu Adami maledicti expiatio, tu debiti Evae solutio » (PG 98, 1491-1492).

S. Proclus: « Sola Evae moerori medelam attulisti ... sola redemptionis mundi pretium portaveris ... » (PG 65, 719-720).

S. Ioannes Damascenus: « Exaudivit ... eos (Ioachim et Anna) Dominus... donans eam, quae proprie Mariae nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium » (PG 96, 685-686.

Georgius Nicomediensis: « O pretium omni pretiositate superans munus!... O Deipara, ... per te exul humanum genus ad suas rediit sedes; per te immortalem paradisi recepimus voluptatem » (PG 100, 1437-1438).

Theodorus Minimus Moneremita: « Aequum est ut cognatio universa noverit quamnam (virginem) Deo ceu redemptionis pretium pro peccatis ipsa praestitura sit » (Ballerini, *Sylloge*, 2, 223-229).

S. Bernardus: « Ecce offertur tibi pretium salutis: statim liberabimur si consentis ... » (Homil. 4 super *Missus est*, PL 39, 2143).

Petrus Blesensis: « Deus ... ipsum mundum redempturus, in Maria mundi pretium contulit universum » (PL 207, 674).

S. Petrus Damianus: « Ecce intemerata et gloriosa Virgo Maria,... gazophylacium thesauri quo sumus de cruenti praedonis servitio comparati » (PL 144, 746). Et alibi: « Dives Mariae gremium mundi gestavit pretium — quo gloriamur redimi — soluti iugo debiti » (PL 144, 933).

S. Bonaventura: « Hoc debuit esse pretium magnum, quo redimi debebat totus mundus... illud pretium ubi invenietur? Certe nusquam, in utero Virginis gloriosae » (*De donis Sp. S.*, collat. 6, n. 3, op. 5, 484).

Pariter: « Huius mulieris benedictae est pretium per quod regnum caelorum obtinere valeamus » (Ibid.). Quinimmo « Ipsa pretium illud protulit, solvit et possedit », unde nos vere emit. « Illa mulier, scilicet Eva, nos a paradiso expellit et vendit: ista nos reducit et emit ». (Ibid., n. 5, et n. 14, op. 5, 485 b).

S. Albertus M. ostendit B. Virgini aureolam martyrum competere eo quia pretium totius mundi dedit: « Dationi animae debetur aureola martyrum; sed B. Virgo dedit pretiosissimam et dilectissimam animam; ergo habebit pretiosissimam coronam... Item quod pretiossimam animam dedit patet; quia datio huius animae *pretium totius mundi* et redimibilis naturae fuit... » (*Mariale*, q. 78, p. 135).

S. Thomas: « Beatus venter ... qui portavit pretium redemptionis » (Serm. 46, dom. 4 in quadrag. *De B. V. ex Evang.*).

S. Thomas a Villanova: « Pretium ergo redemptionis Christus persolvit; sed haec mulier dedit illi unde solveret. Ipse redemptor est, sed ab illa accepit

unde redimeret. O quam tibi tenemur, Virgo beata! » (*In Assumpt. B. M. V.*, cont. 1, n. 5).

S. Bernardinus Senensis: « Primo quippe consideremus obiectum in quo consensit, quod fuit Filius Dei Iesus Christus, ut fiendus eius verus et naturalis filius, et vere passibilis et mortalis, pro universi orbis reparatione moriturus et pro omnium peccatis propter quae erat de se satisfacturus... Hoc ergo fuit *consentire in crucifixum seu crucifigendum* et in *pretium* superabundae satisfactionis omnium peccatorum, et in meritum et impetrationem ac mediationem reparationis omnium electorum ex se et intra se formandum et suscipiendum » (*De consensu virginali*, sermo 8, art. 1, cap. 1, Venetiis, 1745, t. 4, pp. 101 s.).

S. Antoninus: « Ipsa a culpis et poenis per Filium suum nos absolvit » (*Summa Theol.*, p. 4, tit. 15, cap. 16, Veronae, 1740, 1017). « Ipsa est illa fortis mulier, de qua Proverb. (31, 10): cuius pretium de ultimis finibus, id est, divinitate et humanitate coniunctis, hominem perditum redemit » (Ibid. cap. 44, § 3).

Theophilus Raynaudus: « ... *Lanspergius* homilia 48 de pass. dom. Virginem vocat *participem et comparticipem redemptionis nostrae*: nempe quia suppeditavit Christo *pretium redemptionis* et magno affectu impendit se ac superimpendit Christo redemptori nostro iuvando, ministrando ei, dum opus redemptionis nostrae perficeretur, eique ad calicem perducto praesto fuit: ac quantum ad ipsam attinuit, illud omnium saeculorum negotium procuravit ... Sic igitur patet quomodo haec mulier cooperata sit ad salutem mundi » (*Marialia. Diptycha Mariana*, punctum 10, n. 12 ss. Lugduni, 1665, t. 7, 223 ss.).

2) **Ex ratione**: Quae cooperatur solutioni pretii pro redemptione alicuius est *vere et formaliter* Corredemptrix. Atqui B. Virgo *proxime* cooperata est solutioni pretii pro redemptione generis humani. Ergo B. Virgo *vere et formaliter* est Corredemptrix generis humani.

Maior, ex dictis in declaratione propositionis patet.

Ad Minorem: cooperata est *proxime* solutioni pretii: ipsa, enim — ex benigna et sapientissima Dei dispositione — in ordine executionis consilii divini circa redemptionem, pretii solutionem *determinavit*. Pretium, enim, nisi ipsa *consentiente* non erat solvendum. Res exemplo declarari potest a cl. P. Bover adducto. [1] Sit adolescens dives qui captivum hominem velit liberare. Divitias quidem proprias possidet, et ius etiam iis libere utendi: simul tamen, utpote matris amantissimus, hanc ipsi sibi legem libere praestituit, ut omnem divitiarum usum simul, omnem praecipue divitiarum largitionem, ex matris consilio ac beneplacito regat. Paratus igitur captivum liberare, matrem consulit, rem totam

[1] Cfr *Gregorianum*, 6 (1925) 539.

matris consilio committit. Mater autem annuit, approbat, hortatur, rogat etiam ut captivum liberet. Matris ergo influxu, determinatione, filius captivum redimit. Totum quidem redemptionis pretium unus filius confert; numquid propterea mater a liberationis consortio fuerit aliena atque exclusa? ... Nonne, e contra, iuxta communem hominum existimationem mater diceretur magnam in captivo liberando partem habuisse? ... Nonne etiam liberationis causa praedicabitur, sine cuius consensione et consilio numquam extitisset? Et quidem, ipsa nullam pretii partem ad captivum liberandum contulit: at filium tamen ad pretium solvendum efficaciter movit.

Similis est, imo multo nobilior et efficacior B. Virginis pars in hominibus redimendis. Deus Pater, Unigenitum Filium in mundum missurus, ut homines redimeret, totum suae pietatis consilium B. Virgini proposuit, sine cuius libera consensione, statuerat non exequendum. Multa sunt SS. Patrum Doctorumque testimonia quibus asseritur Deum totum humanae redemptionis consilium in manibus B. Virginis posuisse. Annuit Virgo, Pater Filium mittit, Dei et Virginis Filius homines redimit: homines a peccati mortisque servitute liberantur. Haec Virginis consensio hominum redemptionem vere determinans, potestne dici nullum in eam redemptionem influxum exercuisse? Certe B. Virgo, hanc hominum redemptionem toto corde exoptans atque desiderans, Patrisque consilio et Filii voluntati consensionem praebens, *sanguinem etiam suum Filio dedit, eo fine ut humanae redemptionis pretium esset*. Vere igitur dici potest et debet ipsam, *remote saltem*, in pretii solutionem partes habuisse. Voluntas Eius fuit *conditio sine qua non, nostrae salutis* ». Eo vel magis quod ipsa « materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit ». Pretium nostrae redemptionis erat sanguis Filii sui, illius nempe qui est « nobis natus ex intacta Virgine ». Hinc erat *aliquid Mariae*, i. e. mediate, vi scilicet originis, similitudinis et indolis. *Libere* ergo *abdicando*, concurrit seu cooperata est solutioni pretii, quamvis actus solutionis eius, in ordine iuris, sit secundum quid tantum et de congruo.

At praeter dolores Christi (qui erant aliquo modo dolores eius),[1] B. Virgo *proprios* etiam dolores (meritorios et satisfactorios) obtulit, qui a Deo, simul cum doloribus Christi, tamquam pretium redemptionis nostrae (vi officii Corredemptricis seu vi associationis) habiti fuerunt.

[1] Vere enim Perdolens Mater, iuxta crucem stans, illud Psalmistae repetere poterat: « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me » (Ps. 68, 10). Recolantur verba Chananaeae ad Iesum: « Miserere *mei*, Domine, fili David; filia mea male a daemonio vexatur » (Matth., 15, 22). Circa quae verba acute animadvertit S. Amedeus Lausannensis: « Non dicit: *Miserere filiae*, sed *Miserere mei*; quia dolor filiae est matris » (PL 162, 1389). Quanto magis, igitur, dolor Filii fuit dolor Matris!... Offerendo igitur dolores Filii, B. Virgo aliquo modo ipsos *suos* ineffabiles dolores, et ideo idem veluti redemptionis pretium offerebat. Iure igitur meritoque Deipara *Corredemptrix* formaliter nuncupatur.

III – DE OBIECTIONIBUS CONTRA CORREDEMPTIONEM[1]

Expositis argumentis (ex Magisterio ordinario Eccl., ex S. Scriptura et ex Traditione) quibus sufficienter, saltem, cooperatio *immediata* B. Virginis in redemptione obiectiva probatur, ad obiectiones quasdam, tandem aliquando, deveniendum est, in quibus adversarii Corredemptionis nimium sane et praesertim modo *minime theologico* insistunt. Exordiuntur enim, Theologi isti, non iam a Corredemptionis *facto* prout ex Revelationis documentis resultat, sed ab *impossibilitate* huius facti ex quibusdam difficultatibus (quae circa fidei mysteria numquam desunt) desumptis, quarum praecipua et fundamentalis ad hanc reducitur: B. Virgo utpote et ipsa *Redempta*, Corredemptrix esse *non potuit*: fuisset enim simul activa et passiva sub eodem respectu.

Hac via et ratione, ut patet, tractationis theologicae ordo invertitur omnino. Postulat enim recta methodus theologica ut *veritas facti*, ante omnia, in revelationis fontibus inquiratur; si veritas facti ex ipsis fontibus non constat, vanae sunt difficultates; si vero veritas facti (prout in casu nostro de Corredemptione) sufficienter saltem constat, difficultates (ceterum inevitabiles) solvendae erunt, ita tamen ut quaelibet *probabilis* solutio ex se sufficiat. Ad principium hoc illustrandum, valde iuvat sequens exemplum a P. Bover[2] propositum:

« Antequam Immaculata B. Virginis Conceptio dogmatice esset definita, cur a nonnullis theologis reiiciebatur? Quia, aiebant, B. Virgo fuit a Christo redempta; redemptio autem praevium supponit peccatum: necesse ergo fuit, ut B. Virgo saltem per aliquod instans, originali peccato fuerit obnoxia. Prava ista inquisitionis via in manifestum duxit errorem, ab Ecclesia deinde sollemniter reprobatum. Timendum est ergo, ne, dum factum Corredemptionis examinatur, similes rationes in similem trahant errorem, postmodum forte ab Ecclesia damnandum. In quaestione de Conceptione Immaculata utrumque erat verum: et B. Virginem esse a Christo redemptam, et immunem fuisse nihilo minus ab originali peccato. Duarum istarum veritatum conciliatio difficultatem sane creabat; at solutio erat tentanda ac reperienda. Fieri pariter potest ut utrumque verum exsistat: et redemptam fuisse B. Virginem, et simul tamen Corredemptricem. Sit sane difficilis duorum istorum conciliatio; at vero si utrumque in fontibus divinae revelationis asseritur, testanti Deo obsequendum; utrumque pariter admittendum; utriusque conciliatio tentanda, quantumvis difficilis prima fronte videatur. Peregrinatur in theologia, qui divinarum veritatum inter se conciliandarum difficultate turbatur. Verum omnino certumque est Deum et

[1] Cfr praesertim DENEFFE, S. I., in *Gregorianum*, 8 (1927) 3-22; CAROL I. B., O. F. M., *The Blessed Virgin's Co-Redemption vindicated*, Quaracchi, 1937; CRISÓSTOMO DE PAMPLONA, *Solución de las dificultades contra la Corredención Mariana propiamente dicha*, in *Estudios Marianos*, a. 3, vol. 3, Madrid, 1944, pp. 235-254.

[2] Cfr *Marianum*, 2 (1940) 41-42, art. *Redempta et Corredemptrix*.

immunitabilem esse et liberum; verum certumque pariter, divinam Verbi personam humanae in Christo naturae esse realiter unitam, hac tamen unione nullam intrinsecam mutationem pati; verum item certumque, et divinam gratiam efficacem exsistere, et humanam nihilo minus voluntatem ab ea motam liberam prorsus manere: quis tamen gloriari audeat se difficillimam harum veritatum conciliationem plane perspicere?

Constat ergo in veritate Corredemptionis, sicut in universum divinorum mysteriorum, vestiganda, non ab humanis rationibus, sed a divinis oraculis esse ordiendum. Valet in divinis mysteriis Magni Leonis severa sententia: « Abigatur procul terrenarum caligo rationum, et ab illuminatae fidei oculo mundanae sapientiae fumus abscedat » (PL 54, 216).

Facto igitur Corredemptionis ex fontibus Revelationis demonstrato, obiectionum solutionem inquirimus, quarum quaedam *ipsam rem* per titulum « Corredemptrix » significatam, quaedam vero *titulum* ipsum « Corredemptrix » respiciunt.

A) **Obiectiones contra rem per titulum « Corredemptrix » significatam.** Triplici ex capite obiectiones istae ducuntur, videlicet: 1) *ex parte personae redimentis*, 2) *ex parte personarum redimendarum*, 3) *ex parte ipsius operis redemptionis in seipso considerati.*

I. **Obiectiones ex parte personae redimentis.** 1) *Prima obiectio* ex hoc desumitur quod persona redimens, seu *Redemptor*, unus est, iuxta illud Apostoli: « *Unus* est Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus » (I Tim., 2, 5).

Huic tritae difficultati tritam responsionem adducere solent theologi dicentes, textus illos S. Scripturae audiendos tantum esse de solo mediatore et redemptore *perfecto ac principali*, et ideo nullatenus excludere mediatricem vel corredemptricem *secundariam* et *subordinatam* quae immediate cooperata sit ad redemptionem in actu primo spectatam. « Verum — animadvertit Goossens — quaeri potest utrum haec theologorum *distinctio* cum doctrina S. Scripturae sit compossibilis ... Ad dirimendam quaestionem, non sufficit inspicere unum alterumve S. Scripturae textum seorsim et abstracte, sed assertorum sensum determinare oportet iuxta *contextum ac doctrinam* generalem Scripturae de mediatore ac redemptore in re salutis » (o. c., p. 30). Iamvero, attento contextu et attenta doctrina generali Scripturae, unicitas Mediatoris de qua agitur in textu Ep. 1 ad Tim. (2, 5) « est — iuxta Goossens — *omnino stricte* audienda ». Etenim « Hanc unicitatem esse *omnino* stricte audiendam, ostendit primum asserti membrum: « unus Deus ». Sicut Dei unitas non compatitur Deos secundarios, ita, unicitas mediatoris in redemptione obiectiva mediatores secundarios, qui immediate cooperentur, excludere dicenda est; nonne haec conclusio necessario defluit ex arctissimo parallelismo membrorum ? ».

Ratio, quam adducit Auctor, est evidenter ingeniosa. Attamen, ex parallelismo membrorum non excluditur *quaelibet* immediata cooperatio redemptioni obiectivae.

Iamvero cooperatio quam B. Virgini vindicamus, non hoc modo a nobis intelligitur quasi per cooperationem suam aliquid *addiderit* valoris satisfactioni et merito Christi (quae sunt iam valoris infiniti), sed solummodo ut adimpleatur *Dei ordinatio* circa oeconomiam redemptionis nostrae. Deus enim — prout postea videbimus — voluit et disposuit ut *congrua* Virginis, novae Evae, satisfactio et *congruum* meritum, simul cum *condigna* satisfactione et cum *condigno* merito Christi ad nostram redemptionem concurrerent. « Sicut enim Deus — iure animadvertit Friethoff — creavit universum, quo non eguit, ex *bonitate* erga nos, ita et voluit Filio suo Redemptori associare B. Virginem ex misericordia erga nos » (*De alma Socia Mediatoris*, p. 57). Sicut ergo unicitati Dei agentis non officit cooperatio creaturarum, ita unicitati Hominis Dei mediatoris non officit cooperatio B. Virginis.

Ulterius Goossens animadvertit quod *unicitas* Mediatoris de qua loquitur S. Paulus in Ep. 1 ad Timotheum (2, 5) est *stricto* sensu intelligenda. Sed etiam posita cooperatione B. Virginis, prout superius explicavimus, *unicitas* Mediatoris semper strictissima manet; B. Virgo enim, non dicitur mediatrix *eodem* sensu ac gnostici (contra quos scribebat S. Paulus) quaedam entia quae *media* extrarent inter Deum et mundum ponebant. Quapropter vana omnino videtur animadversio Goossens.

Unitas enim Mediatoris, prout a S. Paulo affirmatur, opponitur simpliciter (iuxta contextum) possibilitati cuiusdam *secundi* Dei qui substitui possit *unico* Deo, aut cuiusdam *secundi* Mediatoris qui substitui possit *unico* Mediatori; nullimode vero opponitur possibilitati *mediatorum secundariorum* et subordinatorum. Iamvero, B. Virgo, non est et nequit esse *secundus* quidam *Mediator* ad latera Christi positus, ipsi aequalis aut ipsi substituendus, sed est *Mediatrix secundaria*, Mediatori principali et perfectivo omnino *subordinata* et ab ipso omnino dependens. Ceterum, si intentio fuisset Apostolo quamlibet mediationem et quemlibet alium Mediatorem, praeter Christum, excludere, nedum mediatio et Mediatrix *immediata* a nobis vindicata, sed etiam quaelibet Mediatio aut Mediatrix *mediata* (ab adversariis admissa) excludi deberet; a fortiori autem excludi deberet Mediatio et Mediatrix *immediata* in distributione gratiarum seu in redemptione *subiectiva* ab ipsis nostris adversariis ultro admissa.

Textus igitur et contextus S. Pauli, ita *unicitatem* Mediatoris efferunt, ut quamlibet Mediationem a mediatione Christi independentem ipsique non subordinatam excludant.

2) *Secunda obiectio*: Docet Angelicus quod « Passiones sanctorum proficiunt Ecclesiae, *non quidem per modum redemptionis*, sed per modum exempli et exhortationis ». (*Sum. Th.*, III, q. 48, a. 5). Ergo nec passio vel compassio B. Virginis per modum redemptionis nobis proficit, et ideo Corredemptrix dici nequit.

Dist. Antec.: passiones *reliquorum* Sanctorum non proficiunt Ecclesiae per modum redemptionis, *conc.*, passiones B. Virginis, *nego*. B. Virgo enim, vi principii singularitatis, ordinem a se constituit, et ideo non est « una de omnibus ».

Ratio vero ob quam fit distinctio inter passiones B. V. et reliquorum Sanctorum est quia *solius* B. Virginis, ex omnibus sanctis, pretium redemptionis *aliquatenus proprium erat*, prout suo loco explicavimus. Ipsemet enim S. Thomas in corpore articuli scribit: « Si enim aliquis solvat pro redemptione alicuius rei pretium, si non est suum, sed alterius, non dicitur ipse redimere principaliter sed magis ille cuius est pretium ». Sed pretium nostrae redemptionis fuit aliqualiter B. Virginis. Ergo. Insuper, merita Deiparae, vi *principii associationis*, acceptata fuerunt a Deo tamquam pretium redemptionis.

II. **Obiectio ex parte personarum redimendarum** inter quas erat ipsamet B. Virgo.

Si B. Virgo cum Christo genus humanum redemit, semetipsam etiam cum Christo redemit. Atqui non redemit semetipsam [1] (fuisset enim redempta et redemptrix, causa et effectus redemptionis). Ergo humanum genus cum Christo non redemit.

RESPONDETUR: S. B. Virgo cum Christo genus humanum redemit, semetipsam etiam cum Christo redemit, *distinguo maiorem*: si genus humanum sensu universali sumitur, prout et Mariam et Christum ipsum complectitur, *conc. mai.*; si genus humanum sensu stricto sumitur, scilicet, exceptis Christo et B. Virgine, *nego mai. Conc. min., nego consequens.*

III. **Obiectio ex parte ipsius operis redemptionis in se**, ex eo quod videtur iam *completum* antequam B. Virgo eidem cooperari potuisset.

B. Virgo, enim, *est ipsamet vere redempta a Christo*, seu melius « sublimiori modo redempta », prout dicitur in Bulla *Ineffabilis*. « Si autem redempta est — animadvertit Lennerz — fructus redemptionis Christi ei *applicati* sunt; ergo redemptio *obiectiva* iam *completa* supponitur. Solum ut redempta B. Virgo actus ponere potuisset qui essent cooperatio ad redemptionem. Si autem B. Virgo in redemptione obiectiva proxime cooperata est, ipsa haec redemptio in tali cooperatione *nondum completa* supponitur, neque fructus eius B. Virgini appli-

[1] Hinc reicienda est assertio P. Godts dicentis: « sine dubio Maria cooperata est ad suam ipsius redemptionem; res clara est. Ipsa redempta est et quidem sublimiore modo, ait Pius IX, intuitu meritorum futurorum Christi. Iamvero incarnatio Verbi dependebat a consensu Mariae verbis Angeli praestando. Ergo dando suum consensum efficaciter concurrit ad suam propriam redemptionem: res est evidens » (o. c., p. 163). Etiam P. F. H. Schueth, S. I. (in op. *Mediatrix. Eine mariologische Frage*, p. 320 et pp. 252-256) concedit B. Virginem causam efficientem moralem (subordinatam) redemptionis suimetipsius esse potuisse.

Ita etiam Campana, *Maria nel Dogma*, p. 208, ed. 4, 1936.

cati. Ergo idem opus ut perfectum et ut nondum perfectum supponendum esset». Ita ratiocinatur H. Lennerz (o. p., p. 168).[1]

Tota vis argumenti in hoc sita est: «Applicatio alicuius operis, supponit opus iam in *seipso* aliquo modo completum. Atqui redemptio fuit *applicata* Virgini priusquam ipsa cooperaretur aut cooperari potuisset (quia et ipsa fuit *redempta*). Ergo priusquam B. Virgo cooperari potuisset redemptio supponitur iam in seipsa completa.

RESPONDETUR: *Ad maiorem*: *applicatio* alicuius operis supponit opus iam in seipso aliquomodo completum;

dist. mai., supponit opus iam in seipso aliquo modo completum relate ad *illam cui applicatur*, *conc. maiorem*; relate ad *alios*, nego *mai.*

Ad minorem: distinguo: redemptio fuit *applicata* B. Virgini priusquam ipsa cooperaretur aut cooperari potuisset redemptioni *suimetipsius*, conc. min., redemptioni *aliorum*, *contrad. min.* prioritate *naturae* conc. minorem, prioritate etiam *temporis*, nego minorem.

Etenim, ideo B. Virgo *sublimiori modo* redempta est (videlicet *praeservata* ab incurrenda culpa originali, non vero *liberata*, sicut *alii*, ab ipsa) ut posset *cooperari* redemptioni *aliorum* (non suimetipsius). Certe B. Virgo fuit *redempta priusquam* esset *corredemptrix aliorum*; sed *prioritas* ista est *prioritas naturae* non *temporis* eo quia non potuisset alios corredimere nisi virtute *redemptionis* Christi, quae redemptio *natura*, non *tempore*, praecedit *corredemptionem* B. Virginis, sicut *causa* semper praecedit effectum *natura*, non vero semper *tempore*. Hinc actio redemptiva et meritoria Christi *praeintelligitur* actioni redemptivae et meritoriae B. Virginis. Talis prioritas pluries — ut animadvertit P. Friethoff[2] — occurrit in mysterio Incarnationis, sicut cum anima Christi *praeintelligitur* informare corpus ad hoc ut corpus sit assumptibile; et tamen nulla est prioritas temporis ibi. Insuper, ut alio exemplo utar, recte dici potest B. Virginem *sanctificatam fuisse post animationem*, si illud «*post*» intelligatur de posterioritate *naturae* non vero de posterioritate *temporis*, eo *quia* in *eodem instanti temporis* caro B. Virginis fuit animata et sanctificata; attamen *prius*, prioritate *naturae*, fuit animata quam sanctificata, utpote habens *debitum* contrahendi peccatum originale. Ita pariter dici potest quod B. Virgo prius, prioritate *naturae*, fuit redempta quam Corredemptrix aliorum, quia non potuit agere nisi vi gratiae intuitu meritorum Christi sibi concessae: attamen simul *tempore* potuit esse et redempta et Corredemptrix aliorum. Contra hanc distinctionem, ceterum iam notissimam, neque Lennerz, neque Goossens, neque Philips etc. in propria perpensatione obiecerunt. Et ideo *nulla impossibilitas* demonstratur aut demonstrari potest contra cooperationem *immediatam* B. Virginis in redemptione obiectiva.

[1] Idem repetit in *Gregorianum*, 1941, p. 322.

[2] *De Alma Socia Mediatoris*, p. 135.

Sed opponi ulterius posset: si ita est, *duplex* veluti *redemptio* distingui debet: una qua redempta est B. Virgo, et alia qua redempti sunt alii: quod est inauditum et inadmissibile, quia redemptio *una* est et indivisa.

RESPONDETUR: nego suppositum. Nam redemptio, in utroque casu, semper *una* eademque remanet, tum quia *causa* primaria *perfectiva* redemptionis, *per se et simpliciter sufficiens* ad integrum redemptionis opus perficiendum *una* est; tum quia causa subordinata (uti est B. Virgo in redemptione aliorum) non agit nisi *in virtute causae prioris*, et ideo non perficit opus redemptionis nisi *sec. quid* et de congruo: quod tamen Deus voluit pro redemptione *aliorum*. Totus effectus, ergo, tribuitur *tandem* Christo.[1]

Potius quam duplex redemptio, *duo momenta* (non duplex actio) in sacrificio Redemptoris distinguenda videntur, in quorum primo operatur salus Mariae, in secundo vero operatur salus totius generis humani cum cooperatione Mariae. Et ita specialis locus reservatur Mariae etiam in eo quod redemptionem eius respicit,[2] cum ordinem a se constituat. Audax forsan quibusdam haec distinctio videbitur. At, non minus audax videri debuit theologis saec. XIII distinctio inter redemptionem *praeservativam* et *liberativam*; et tamen illa nostra distinctio, non minus quam ista, a documentis revelationis exigitur.

Huic difficultati quae est certe praecipua et fundamentalis, omnino aliae probabiles solutiones dari possunt et de facto datae sunt. Prae ceteris vero recen-

[1] Prae oculis habeatur sequens responsio cl. Bittremieux: « Contra praefatam distinctionem opponunt: "Actus Redemptionis per Christum est natura unus: quod est natura unum non est separabile: impossibile idcirco videtur in actu illo Christi natura uno introducere talem separationem quod ibidem esset aliquid quod respiceret ipsam Mariam et aliquid quod respiceret alios homines ".

« Ad hanc ultimam instantiam extenuandam sufficit attendere ad sequentem distinctionem: Actus Redemptionis Christi est natura unus, i. e. est unus in se, quoad substantiam, ita ut non possint in eo distingui influxus distincti, pro quanto actus ille in se unus respicit terminos diversos, *nego*; est in se unus, ita tamen ut in eo distingui possint influxus distincti pro quanto actus ille in se unus respicit terminos diversos, *conc.*

Ad min.: quod est natura unum, in se, quoad substantiam, non est separabile in se, quoad ipsam substantiam, *trans.*; quod est natura unum tale est quod numquam in eo considerari et distingui possunt influxus diversi in terminos diversos, *nego.*

« Admisso itaque actum redemptorium Christi (passionem et mortem) esse natura unum, verum tamen manet hunc actum natura unum influxus habere diversos in terminos diversos. Ut termini diversi hic considerandi sunt tum ipsa B. Virgo, tum alii homines. Etenim, ut inconcussum ab omnibus est tenendum actum Redemptorium Christi aliter respicere Mariam et aliter alios homines. Liquet exinde nos in uno actu redemptorio Christi iure et merito distinguere posse influxum prout Maria est terminus et prout alii id sunt. Ex uno itaque actu redemptorio Christi habuit B. Virgo gratiam sibi, quam non potuit mereri, sed simul ex hac gratiam aliorum, quam idem ille unus actus respexit, Maria commereri potuit, idque precise ex gratia ex actu redemptorio Christi accepta ad hoc ut pro aliis posset commereri » (*Ephem. Theol. Lov.*, 8 [1931] 229-430).

[2] Cfr BEUMER, S. I., in Ephem. *Scholastik*, 13 (1938) 269-270.

seri meretur radicalis solutio data a cl. prof. Lebon, *in principio singularitatis* fundata.

B. Virgo, enim, in oeconomia redemptionis, saeparari omnino debet ab omnibus aliis et poni, cum Christo, inter Deum et homines redimendos. Consequenter, B. Virgo est necessario *extra et supra leges omnes communes*: personae enim singulari, *singulares* (non vero communes) leges applicandae sunt. Hoc posito, obiectionibus adversariorum responderi potest: verum quidem est redemptionem Christi supponi non posse simul iam *completam* (quia Deiparae *applicata*) et adhuc *complendam* (quia supponit, in casu nostro, cooperationem Mariae). At, hoc verum est *pro omnibus aliis*, non vero pro Maria, cui collatum est a Deo *munus publicum* sociae Redemptoris in universo salutis opere. Distinguenda proinde est, in B. Virgine, persona *privata* a persona *publica*. Si consideretur ut persona *privata*, B. Virgo est redempta, sicut alii, et subiacet, sicut ceteri omnes, legibus communibus, et ideo meruit pro seipsa, *de condigno*, beatitudinem aeternam, et *de congruo*, pro aliis, applicationem eorum omnium quae Christus pro ipsis de *condigno* promeruit. Sivero B. Virgo consideratur ut persona *publica*, munere officiali Sociae Redemptoris vestita, meritum eius unum quid efficit cum merito Christi *de condigno*. Tamquam persona *privata*, principium *meriti eius est gratia sanctificans*, seu *gratia Christi*, utpote meritis Christi ipsi collata; tamquam persona *publica*, e contra, principium immediatum meriti corredemptivi, est *maternitas divina* seu *gratia Dei* (non vero *gratia Christi*). Hisce positis, axioma theologicum: « principium meriti non cadit sub merito» salvum manet, quia principium meriti *corredemptivi* non est iam gratia Christi Redemptoris sed *gratia Dei*; consequenter, tale meritum *corredemptivum* Virginis (cum non procedat, tamquam a principio, a merito Christi Redemptoris) minime supponit redemptionem obiectivam *iam completam*, cum, in hypothesi, nullimode supponatur Virgini *applicata* (ad hoc ut cooperari valeat redemptioni aliorum).

Quidquid sit de qualitate meriti Deiparae a prof. Lebon propugnati (utrum nempe sit *de condigno* vel *de congruo*, etc.), videtur cum certitudine retineri posse distinctio inter personam *privatam* et *personam publicam*. B. Virgo enim non ut persona *privata* (seu ut *filia Adae*, peccato et redemptioni subiecta) sed ut persona *publica*, officio sociali a Deo decorata, nos corredemit cum Christo, et ideo principium meriti *corredemptivi* seu socialis *aliud* omnino esse debuit a principio meriti *privati*, seu pro semetipsa. Hac diversitate principii meritorii posita (nempe *gratia Dei*, pro merito *corredemptivo*, et *gratia Christi* pro merito *privato*) ruit omnino basis ipsa celeberrimae obiectionis contra cooperationem immediatam.

Melius forsan (iuxta ea quae exposuimus ubi de praedestinatione Deiparae egimus) gratia Deiparae, tamquam personae *publicae* concessa vocaretur *gratia Christi capitis* (sicut gratia Angelorum) et gratia eidem tamquam personae *privatae* concessa vocaretur *gratia Christi Redemptoris* (sicut gratia nobis concessa).

Obicitur ulterius: In omnibus documentis doctrinalibus Ecclesiae redemptio uni tantum Christo tribui videtur. Quapropter supponendum esset quod Ecclesia, in doctrina Redemptionis, elementum quoddam necessarium (ob voluntatem Dei) iugiter omisisse: quod admitti non potest.[1]

RESPONDETUR: Sufficit, in praedictis documenti (*Decretum pro Iacobitis*, Denz 711, et *Concilium Trid.*, Denz 799) sola mentio Christi Redemptoris et meritorum eius, quin ob hoc B. Virgo Corredemptrix, cum suis meritis, excludatur. Ratio vero ob quam in praelaudatis documentis mentio fit de Christo Redemptore tantummodo, haec esse videtur: quia cooperatio Deiparae redemptioni nostrae eiusque satisfactiones et merita *virtutem omnem et efficaciam trahunt* a Redemptione Chisti, a satisfactionibus et meritis eius. Dici ergo simpliciter potest, per breviorem, quod Christus nos redemit, quin ob hoc cooperatio immediata Deiparae excludatur, eo quod non nominatur. Esset igitur idem ac dicere: sol illuminat mundum. Hoc dicendo, minime asserere intendo quod luna partem non habeat in illuminatione mundi, tempore nocturno. Attamen, quia tota lux lunae derivatur a sole, simpliciter assere possum solem illuminare mundum. Idem ergo dicendum videtur de Redemptione.[2]

At non desunt — ut suo loco vidimus — documenta quaedam ecclesiastica, seu Encyclicae R. R. Pontificum, in quibus de cooperatione immediata Deiparae ad redemptionem obiectivam sat clare sermo est.

B) Obiectiones contra titulum « Corredemptrix »

1) **Obicitur**: *Titulus «Corredemptrix» est novus.* Ita, e. g. Bartmann,[3] Bellanti[4] etc.

Responderi potest quod usus tituli *Corredemptrix* non est tam recens sicut communiter creditur. F. Heiler ostendit inveniri vestigia huius tituli in Mariologia Syriaca saeculi IV (cfr *Die Gottesmutter im Glauben und Beten der Jahrhunderte*, in *Hochkirche*, München, 1931, p. 180). De facto autem, saec. V, MOYSES CHORENENSIS usus est titulo Corredemptrix in hymno quodam liturgico Ecclesiae Armenicae (cfr *Sharakan*, ed. Constantinopolit., 1790, p. 50; apud SCHUETZ *Summa Mariana*, I ed., Paderborn, 1903, p. 514). Initio saec. XIV, ANONYMUS MINORITA (Franciscanus) in suo *Tractatus de praeservatione gloriosissimae Virginis Mariae*, ante a. 1323, uti videtur, conscripto,[5] contendit Spiritum Sanc-

[1] Ita LENNERZ, in *Gregorianum* 22 (1941) 320 ss.

[2] Cfr etiam STRAETER, in *Gregorianum* 25 (1944) 32.

[3] *Lehrbuch der Dogmatik*, t. 1, Freiburg, 1920, p. 458. Attamen, ipsemet fatetur illo titulo usum fuisse in suo quodam opere ascetico de B. Virgine, *secundum exemplum recentiorum Pontificum.*

[4] *Mary, Co-redemptrix and Mediatrix*, in *Our Blessed Lady*, Cambridge Summer School Lectures (Burns Oates and Wasbhourne, London, 1933, p. 214).

[5] Cfr ALVA Y ASTORGA (*Sbaral. Suppl.*, p. 64).

tum, in historia Rachelis, Virginem Mariam Ecclesiae proponere et quidem ut a culpa originali praeservata necnon uti *Co-redemptrix cum Christo*, quippe quae una cum Eo aeterni Patris oves pavit per suam instrumentalem cooperationem ad opus Redemptionis nostrae. Eodem saeculo ALANUS VARENIUS, etiam Montalbanus appellatus (cfr PETRUS DE ALVA ET ASTORGA, in *Bibliotheca Mariana*, Matriti, 1648, vol. 3, p. 525) scribebat: « Ut duos condat in semetipsa in uno novo homine faciens pacem, *ut reconciliaret omnes in* uno corpore Deo, per crucem Filii sui, interficiens inimicitias in Domino Iesu et quadam ratione in semetipsa altera *Corredemptrice* (ut volunt) evangelizans in uno verbo Unigenito Filio suo pacem iis qui longe et pacem iis qui prope ». Saec. XV, Bernardinus de Bustis testabatur B. Virginem *Corredemptricem* a SS. Patribus « passim nominari ». [1] Eodem saeculo invenitur titulus iste in Orationalibus S. Petri Salisburgensis. [2] Saec. XVI Alphonsus Salmeron, theologus Concilii Trid. scribebat: « Maria ... assumpta fuerat a Christo ut esset (si ita loquit licet) *corredemptrix*, mediatrix et cooperatrix salutis generis humani ». (*Comment. in hist. Evang.*, t. 3, tract. 5, p. 161, Coloniae, 1602).

At, posita etiam relativa novitate tituli *Corredemptrix*, nihil contra ipsum sequitur. Etiam verba *omousion* (= consubstantialis), *transubstantiatio* etc. aliquando nova fuerunt. Et tamen nemo, ratione novitatis, illa reiecit, cum veritatem revelatam optime exprimant. In veritate enim revelata, nulla certe haberi potest obiectiva evolutio; at, in dogmaticis formulis, evolutio fuit, est et erit. Insuper, titulus *Corredemptrix* quamplurimis vocibus idem significantibus expressus invenitur, prout in decursu totius tractationis vidimus. Tandem, cum titulus « Corredemptrix — prout animadvertit card. Lépicier — iam plurium saeculorum usu apud populum christianum, Ecclesia non contradicente, invalueruit, merito *temerarius* diceretur qui de illius legitimitate dubitaret » (o. c., p. 504).

2) **Obicitur, ulterius**: 1. *Terminus «Corredemptrix» minus apte significat id ad quod significandum adhibetur.* Ita Bartmann (*Lehrbuch der Dogmatik*, ed. 7, t. 1, Freib., 1928, p. 144), Bellanti [3] (l. c., p. 214), Congar [4] etc. Ratio est quia

[1] Ed. Sherbrooke, pp. 40-41.

Saepe enim B. Virgo simpliciter *Redemptrix* appellatur, aut simpliciter dicitur nos *redemisse*. (Cfr BOVER in *Gregorianum*, 6 [1925] 553-556).

[2] Cfr DE IRAGUI, *La Mediación de la Virgen en la himnografia latina de la Edad Media*, Buenos Aires, 1938, p. 173.

[3] Ita etiam aliquando P. MERKELBACH in *Rev. Eccl. de Liége*, 10, 1: *Mater divinae gratiae; Quid senserit S. Thomas de Mediatione B. Virginis*, in *Xenia Thom.*, 1924. At in sua recenti *Mariologia* scribit: « Terminum (Corredemptrix) minus probandum dixerunt plures, quorum et nos fuimus, quia secundum etymologiam videtur aequivocus. At significatio terminorum maxime pendet ab usu. Nunc autem, iuxta usum iam receptum, terminus ille iam habet significationem omnino rectam ad opus redemptorium subordinatae cooperationis; saltem in pluribus linguis » (p. 333).

[4] Cfr *Rev. Scienc. Philos. et Théol.*, 27 (1938) 647-648.

cooperationem per *coordinationem*, et ideo univocam, potius quam cooperationem *subordinatam* et *instrumentalem* significat. Melius adhiberetur vox *coadiutrix*, *cooperatrix* ...

RESPONDETUR: Minime!... Terminus *Corredemptrix*, ex se, nihil aliud nisi activum quoddam in redemptione consortium significat. Atqui B. Virgo, reapse, ut vidimus, quoddam activum in redemptione consortium exercuit. Ergo, si ipsa res admittitur, nomen ipsum quo res proprie significatur respui minime debet. Nam, vi etymologiae, corredemptrix nihil aliud significat nisi *redimere cum* ... i. e. activum consortium tantum in redemptione.

Res melius patebit exemplo a S. Paulo desumpto. Scribit Apostolus ad Corinthios: « Ego plantavi, Apollo rigavit; Deus autem incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus » (1 Cor., 3, 6-7). Et bene quidem, eo quia unius Dei est dare gratiam et Spiritum, unde tota operis Apostolici efficacia pendet. Et tamen, hoc non obstante non dubitat Apostolus se suosque socios « Dei *cooperatores* » seu collaboratores in humanae salutis opere appellare: « Dei, enim, inquit, sumus adiutores », vel potius, ex vi verbi graeci, *cooperatores* seu collaboratores (*συνεργοί*) (1 Cor., 3, 9). Et alibi: « Adiutores (*συνεργοί*) sumus gaudii vestri » (2 Cor., 1, 24). Quae locutio, ut praeclare ostendit Cornely, consortium cum divino opere significat. Hoc posito, ita arguit P. Bover (*Greg.*, 1926, pp. 542-3): « Conferamus nunc Apostolorum cooperationem in opere divino salutis humanae cum B. Virginis cooperatione in opere redemptionis. In opere divino salutis humanae, tota operis virtus et efficacia ex gratia Dei est: " ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis " (2 Cor., 4, 7); non enim quidquam valet et *tamen* Apostoli, ob laborem quem ponunt ut Dei virtus suum opus operetur, recte vocantur Dei *cooperatores*. Pari ratione, imo a fortiori, in hominum redemptione totum pretium solvit Christus: quod tamen non obstat quominus B. Virgo, sua libera consensione, efficiens atque determinans ut redemptionis pretium solvi possit, hancque solutionem amplectens et intendens, redemptionis consors et Corredemptrix appelletur. Neque enim, magis est alienum ab hominum activitate in moralem pretii redemptionis solutionem, quam in physicam gratiae productionem, cooperari. — Quod si gratia ponatur ad Apostolorum cooperationem, gratia etiam immenso excessu maior habetur ad B. Virginis corredemptionem. Subordinata etiam statuitur et secundaria B. Virginis corredemptio. Ergo, Dei cooperatores dicantur Apostoli: dicatur etiam hominum Corredemptrix B. Virgo Maria! ...

Splendidam propositae rationis *confirmationem* praebent, innumera illa verba ex praepositione *cum* composita, S. Paulo ita cara, quibus nostra cum Christo communio (consortium) ita effertur, ut *una eademque* actio, passio vel proprietas, Christo simul et fidelibus tribuatur. Eiusmodi sunt: *compati*, *configi* cruci, commori, consepeliri, conresuscitari, convivere, convivificari, configurari, conglo-

rificari, consedere, conregnare, cohaeres, concorporari ... Quae omnia, evidenter, modo essentialiter diverso de Christo et de fidelibus dicuntur: de Christo, quidem, primario et proprio iure; de fidelibus vero secundario et dependenter a Christo, ob eorum consociationem vel communionem cum Christo. Quae tamen iuris et proprietatis diversitas, non impedit quominus idem de Christo et de fidelibus dicatur. Igitur, particula *cum*, in verbis compositis, bene stare potest cum attributionis inaequalitate, cum essentiali dependentia, cum secundaria et minus propria significatione. Unde similiter vox *Corredemptrix* minime exaequat B. Virginem Christo Redemptori ». (Cfr F. PRAT, *La Théologie de Sain Paul*, deuxième partie, ed. 7, Paris, 1923, p. 21). Ruit, ergo dubitationis fundamentum».

3) **Obicitur**: Pro titulo « Corredemptricis » non habetur *usus ecclesiasticus*.

RESPONDETUR: Obiectio haec non amplius hodie sustineri posse videtur. Nam, saltem, adhibitus est a S. Congreg. S. Officii. Anno 1913, die 26 iunii, tulit decretum, cuius en prima verba: « Sunt quos amor pius erga Beatissimam inter virgines sic delectat, ut Iesum numquam commemorare queant, nisi glorioso comitante nomine Matris suae, *Corredemptricis* nostrae, beatae Mariae. Laudabilis haec consuetudo ... » (*AAS*, 5, 364, 365). Anno sequenti, die 22 ianuarii, eadem S. Congr., approbante Pio X, indulgentiis ditavit orationem, in qua haec verba continentur: « Vergine benedetta ... questo misero peccatore ... benedice le vostre sublimi prerogative di vera Madre di Dio ... di *Corredentrice del genere umano* » (*AAS*, 6, 108 s.).

S. Rituum Congregatio in Decreto diei 13 maii (*AAS*, 1908, pp. 409 s.) pro festo VII Dolorum B. M. V., vocat B. Virginem « misericordem humani generis *Corredemptricem* ».

Titulus iste invenitur in litteris postulatoriis Cardinalium et Episcoporum ad S. Sedem, ad hoc ut S. Alfonsus de Liguori titulo *Doctoris Ecclesiae* decoraretur (*Causa doctoratus S. Alfonsi de Ligorio*, Romae, 1870, p. 12).

Episcoporum testimonia plura possunt afferri. Nam, in litteris ab universis Catholicis Episcopis ad Pium IX missis, relate ad definitionem Immaculatae Conceptionis, decem voluminibus comprehensis (*Pareri dell'Episcopato Cattolico* ... Roma, 1851-1852), non modo splendida de universali B. Virginis mediatione prostant documenta, verum etiam *Corredemptricis* titulus saepe eidem Virgini tribuitur. Quaedam hic offerentur ex I tantum volumine depronta. Sic, inter alios titulum illum adhibent Archiepiscopus Tranensis et Nazarenus, Episcopus Gallipolitanus, Episcopus Almeriensis, etc ... Eodem titulo usi sunt Em.mi Manning, Sanz y Forés, Pie, Gasquet, Mercier etc. (Cfr *Gregorianum* 6 [1925] 562-563).

Quamplurimi tandem Theologi moderni titulum hunc adhibent et defendunt.

Hinc, usus ecclesiasticus certe adest. Testimonium in hac re, haud splendidum, at *valde significans* redditur a cl. *Van Noort* et a *P. Merkelbach*. Van Noort in Tractatu *De Deo Redemptore* (n. 214) ubi in textu scripsit: « Virgo, quin meritis aut honori Christi quidquam detrahatur salutari potest ac debet *concausa* salutis nostrae », in I ed. haec ad paginae calcem adnotabat: « In eumdem sensum a nonnullis subinde adhibetur titulus *co-redemptrix*; praestat tamen ab hoc nomine abstinere tum quia *usus ecclesiasticus id non habet*, tum quia multis, praesertim heterodoxis offendiculo esse solet » (Amstelodami, 1904, p. 154); in tertia autem ed. haec notat: « In eumdem sensum subinde adhibetur titulus *Corredemptrix*; cfr v. g. Decr. S. Officii in *Acta Apost. Sedis*, 5 (1923) p. 364 » (Bussum in Hollandia, 1918, p. 153). Idem egit P. Merkelbach, prout ex *Mariologia* (p. 333) apparet.

Iamvero: si titulus « Corredemptrix » rem significatam bene exprimit; si vim significandi consecrat etymologia et usus, legitimus omnino dicendus est et B. Virgini tribuendus.

4) **Obicitur**: Titulus iste, haec *Virginis corredemptio, aegre vel etiam perperam, a plebe christiana intelligitur.*

RESPONDETUR: Plebs christiana instrui debet; hinc haec Virginis corredemptio explicetur; et sic omnis difficultas evanescit. Etiam Immaculata B. M. Virginis Conceptio a plebe christiana aegre intelligitur. Numquid ergo B. Virgo Immaculata dici nequit?

5). **Obicitur**: Titulus « Corredemptrix » *haereticis, Protestantibus displicet.* Hinc ab ipso est abstinendum.

RESPONDETUR: Non est ratio sufficiens. Potius pacifice ipsis Protestantibus veritas eiusdem demonstranda est; quam si sincere quaererent, et ipsi agnoscerent, et desinerent contra veritatis assertores conqueri. Etiam Ariani contra verbum ὁμούσιον insurgebant; ipsi quoque Protestantes contra verbum *transubstantiatio* irascebantur: et tamen Ecclesia merito utrumque nomen retinuit et vindicavit, quia veritas revelata optime exprimebatur.

De cetero, nedum titulus Corredemptricis, sed etiam alii plures tituli, ut Mater Dei, Prostestantibus displicent. Hinc, Protestantium iniusta et irrationabilis offensio nullatenus est timenda. SS. Ecclesiae Doctores — prout recte scribit P. Bover (*Gregorianum*, 1925, p. 567) — « eiusmodi etherodoxorum quaerelis et detractionibus non imbellem quamdam cautelam, sed intrepidam veritatis professionem obiecerunt ». Iure igitur meritoque B. Virgo *Corredemptrix*, et quidem stricto sensu, appellatur.

Art. 2 – De B. M. V. distributrice omnium gratiarum

BIBLIOGRAPHIA: Praeter opera circa mediationem in genere, digna sunt quae recenseantur sequentia:

AUBRON, *La médiation universelle de la Vierge*, in *Nouv. Rev. Théol.*, 1938; BARRIUSO, C. M. F., *Exposición teológica de la doctrina sobre la mediación universal de la Virgen*, in *Cronica oficial del Congreso Mariano Hispano-Americano de Sevilla*, mayo de 1929, pp. 521 sq.; BITTREMIEUX I., *De mediatione universali B. M. V. quoad gratias*, Brugis, 1926; CAMPANALE A., C. M., *La Mediatrice universale di tutte le grazie*, Venezia 1933; CIVILTÀ CATTOLICA, 1925, t. 2, pp. 209-324; DE LA BROISE, *Sur cette proposition: toutes les grâces nous viennent par la S. Vierge*, in *Etudes*, 68 (1896) 302 ss.; GARCIA A. DOLSE, *La Mediación Universal actual de la Virgen Maria*, in *España y America*, 22 (1925) 9; 23 (1926) 175-189; GIRARD, *Marie dispensatrice ou médiatrice universelle de la grâce*, in *Rev. du Clergé Française*, a. 1920, pp. 247-254; GODTS F. X., C. SS. R., *De definibilitate Mediationis universalis Deiparae*, Bruxelles, 1904, pp, 451, in 8° gr.; HUGON, O. P., *Marie pleine de Grâce*, Paris, 1926; LE ROHELLEC, *Marie, dispensatrice des grâces divines*, Paris, 1926; IACONO V., *Maria SS. Mediatrice di tutte le grazie*, Pompei, 1937; SALES, O. P., *De mediatione universali B. Virginis Mariae in distributione gratiae*, in *Divus Thomas* (Plac.), 28 (1925) 543-473.

Ratio et divisio huius quaestionis

Haec quaestio est veluti consectarium praecedentis quia ex ipsa logice omnino descendit, et veluti verticem constituit officiorum B. V. Virginis erga homines. Et haec videtur ratio cur haec quaestio theologos hodiernos quammaxime occupatos teneat.

Duo vero hic quaeruntur, videlicet:

I. AN SIT, seu de facto cooperationis B. Virginis distributioni omnium gratiarum.

II. QUID SIT, seu de natura huius cooperationis.

I – DE EXISTENTIA SEU DE FACTO COOPERATIONIS B. M. V. DISTRIBUTIONI OMNIUM GRATIARUM

Prop.: *Iuxta praesentem Dei ordinationem, B. Virgo cooperatur, dependenter a Christo, distributioni omnium et singularum gratiarum quae omnibus et singulis hominibus a Deo conceduntur, ita ut Mediatrix seu* DISPENSATRIX OMNIUM GRATIARUM rite vocari possit.

Status quaestionis. Antequam ad probationem propositionis accedamus, rite determinandus est status quaestionis. Ad plenam autem determinationem status quaestionis, tria praestanda sunt, videlicet: I. *Explicatio terminorum*, II. *Adversarii propositionis nostrae.* III. *Nota theologica huius propositionis.*

I. **Explicatio terminorum**. Bene determinari debet quid importet Propositio: 1) ex parte rei distributae (gratia), 2) ex parte personae distribuentis (B. Virgo), 3) ex parte illorum quibus gratiae distribuuntur (homines).

1). **Ex parte rei distributae**: res distributa est *gratia* in sua *universalissima* acceptione sumenda. Asseritur, nempe, *omnes* omnino gratias, cuiuscumque naturae sint, *sine ulla exceptione*, non dispensari nisi dependenter ab interventu, seu ab actuali mediatione B. Virginis. Nomine ergo gratiae intelligimus quidquid natura sua ad vitam supernaturalem quocumque modo in hominibus producendam, conservandam, perficiendam, consummandam ordinatur; intelligimus ergo tum gratiam *habitualem* seu sanctificantem (quae est in nobis intrinsecum principium vitae divinae seu adoptionis nostrae in filios Dei per divinae naturae participationem) tum *virtutes* infusas theologicas, morales, et *dona* Sp. S. (quae omnia gratiam habitualem comitantur), tum *gratias omnes actuales* sive illustrationis in intellectu sive inspirationis in voluntate, ad verum cognoscendum, ad bonum faciendum, ad perseverandum, ad tentationes superandas etc. Intelligimus etiam *bona ipsa temporalia* considerata secundum respectum utilitatis ad vitam aeternam: quia sub hoc respectu et ipsa gratiae nomine decorari possunt. Breviter: nomine *gratiae* hic intelligimus omnia beneficia ad ordinem supernaturalem directe vel indirecte pertinentia.

Attamen, quando dicimus: nulla omnino gratia sine mediatione B. Virginis dispensatur, *a*) excludimus gratias illas quas ipsamet B. Virgo a Deo accepit, quas — ut patet — sine ulla ipsius Virginis mediatione accepit; et ideo haec universalitas gratiae respicit alios tantummodo. Pariter *b*) nolumus dicere quod nulla gratia hominibus conceditur nisi antea B. Virginem explicite invocaverint; quamvis enim Virginis invocatio quammaxime iuvet, non est tamen absolute necessaria ad gratias obtinendas, excepto casu in quo quis positive et culpabiliter B. Virginis invocationem recusaret aut etiam negligeret.

Tandem *c*) nolumus dicere quod Virginis intercessio necessaria sit ad hoc ut Christus moveatur ad interpellandum pro nobis: Christus enim semper, ex sese, ad hoc paratus est.

2). **Ex parte personae distribuentis**, seu B. Virginis, propositio nostra ponit in B. Virgine *muneris alicuius exercitium*, seu *cooperationem* distributioni gratiarum, et asserit *tres* praecipuas dotes huius cooperationis, videlicet: *universalitatem*, *necessitatem* et *dependentiam* a Christo.

a) *Universalitas* cooperationis se extendit, ut iam diximus, ad omnes omnino gratias, nulla excepta; attamen ad quasdam gratias (i. e. ad gratias actuales) cooperatio B. Virginis est absque dubio *directa*; ad alias vero (i. e. ad gratiam *habitualem*, et quidem sive ad eius infusionem, sive ad eius augumentum), cooperatio saltem *indirecta* admitti debet. Gratia enim habitualis non infunditur nisi per sacramentorum (baptismi et poenitentiae) receptionem (in re vel in

voto), et non augetur nisi per *usum mediorum* i. e. per sacramenta, per orationem et per bona opera in statu gratiae peracta. Attamen, ad opera supernaturaliter bona seu vitae aeternae et augmenti gratiae meritoria, requiritur gratia *actualis*: et hanc B. Virgo nobis obtinet. Insuper, ad gratiam *actualem* pertinet ut quis *recipiat* sacramentum (e. g. puer baptismum, adultus poenitentiam): et hanc gratiam actualem B. Virgo nobis impetrat. Tandem, ad fructum sacramentorum sive vivorum sive mortuorum, percipiendum, requiruntur omnino in suscipiente debitae *dispositiones*: et etiam haec gratia actualis immediatae mediationi B. Virginis debetur. Consequenter, saltem indirecte, mediationi B. Virginis quaelibet gratia sive sacramentalis sive extrasacramentalis debetur. Hic verificatur axioma « Causa causae est etiam causa (mediata) causati ».

b) *Necessitas* cooperationis B. Virginis ad hoc ut gratiae omnes, nulla excepta, distribuantur non est *absoluta* et *antecedens* seu ex ipsa rei natura (quasi Deus non potuisset gratias dare nisi dependenter a Virginis interventu), sed *hypothetica et consequens*, i. e. ex positiva Dei voluntate seu ex positivo Dei decreto, quia Deus in sua infinita sapientia ita libere voluit et decrevit. Hinc iure B. Virgo *Dispensatrix* omnium gratiarum vocatur ex *gratia*, quia eius cooperatio non ex natura rei seu intrinseca necessitate, sed ex benigna et gratuita dispositione divina necessaria facta est. Et hanc Dei voluntatem praecipue nos demonstrare et probare contendimus.

c) *Dependentia* cooperationis B. V. a Christo, essentiale discrimen determinat inter mediationem Christi et mediationem B. Virginis. Mediatio enim seu cooperatio B. Virginis, pendet omnino a mediatione Christi, a qua tantummodo omnem valorem trahit. Et ideo mediatio B. Virginis *natura* differt a mediatione Christi et non solum mediationi Christi detrimentum non affert, sed illam potius extollit et in clariori luce ponit.

3). **Ex parte eorum quibus gratiae distribuuntur**, videlicet *ex parte personarum*.

Cooperatio B. Virginis distributioni gratiarum se extendit ad omnes homines cuiuscumque temporis: se extendit ergo tum ad homines qui vixerunt *post ipsam*, tum ad homines qui vixerunt *ante ipsam*, *diversimode*, tamen. Etenim pro illis qui vixerunt *post ipsam* influxus B. Virginis fuit ad modum *causae efficientis*; pro illis vero qui vixerunt *ante ipsam*, influxus eius est ad modum *causae finalis*, in quantum scilicet gratia data fuit illis intuitu *meritorum futurorum* B. Virginis, sicut et intuitu meritorum futurorum Christi Redemptoris.[1] Operari enim sequitur esse; iamvero repugnat quod aliquis operetur antequam existat, puta intercedendo pro aliis.

[1] *Finis* enim agit inde a momento quo concipitur, antequam in sua realitate existat; sic artifex operatur propter *mercedem* (finis) quae non habebitur nisi postea. Dum e contra « causa *efficiens* non potest esse posterior in esse ordine durationis, sicut causa finalis » (*III P.*, q. 62, a. 6).

II. **Adversarii**. Praeter Protestantes inter quos eminet *Andreas Rivet* (in op. *Apol. pro Maria*, L. 2, Opp. Theol., t. 3), quidam etiam Catholici, inter quos Theophilus *Raynaud* S. J., A. *Widenfeldt* et Ludovicus Ant. *Muratori*, cooperationem B. Virginis in distributione omnium gratiarum saltem tamquam piam exaggerationem habuerunt. Primus inter oppositores est THEOPHILUS RAYNAUD qui dixit se non videre in quo fundari possit haec sententia quam tamen vocat *satis piam*; dixit etiam documenta traditionalia nihil aliud significare nisi hoc, B. Virginem scilicet per suam maternitatem, fuisse causam *mediatam* omnium gratiarum (*Diptycha Mar.*, 10, n. 14; Opera, t. 7, p. 224).

ADAMUS WIDENFELDT, in op. « Monita salutaria B. Virginis ad cultores suos indiscretos » (1673), haec inter alia in ore Virginis ponit: « Noli me colere, ac si non sufficeret tibi Deus. Si Deum amas, nullo alio indiges » (Monitum 7); « Noli me colere, ac si non daretur aditus ad Deum per Christum sine me » (Monitum 8; cfr. BOURASSÉ, *Summa aurea*, t. 5, col. 164). Plures secuti sunt ipsum. [1]

LUD. ANT. MURATORI (Lamindus Pritanius), in re historica peritissimus, in op. « Della regolata devozione » haec inter alia scripsit: « Sarebbe errore di credere che Iddio ed il suo benedetto Figliolo non ci concedessero, nè potessero concedere grazie senza la mediazione ed intercessione di Maria ... Pretendere che tutti i favori divini debbano passare per Maria, è una pura esagerazione devota ... Niuno ha mai sognato, tra i veri cattolici, che i Santi di cui noi imploriamo l'aiuto e l'intercessione, dovessero ricorrere all'intercessione della Vergine per ottenerci da Dio ciò che noi desideriano » (cap. 22, p. 285 s.). Contra Lud. A. Muratori scripsit praesertim S. Alfonsus (*Le glorie di Maria*, p. 3, cap. 5), anno 1750, eodem scilicet anno in quo celeberrimus historicus mortuus est. Attamen S. Alfonso respondit anonymus quidam (Lamindus Pritanius redivivus, qui erat nepos L. A. Muratori). Contra hunc idem Sanctus scripsit: *Risposta ad un anonimo che ha censurato il capo 5 delle « Glorie di Maria »*. Hodie thesim nostram adversantur Ude, Poschmann etc. [2]

III. **Nota theologica**. *S. Alfonsus* doctrinam hanc tamquam « communem inter theologos et doctores » (*Glorie di Maria*, p. 1, c. 5, § 1) habet. Theologi, in genere, illam appellant « communem et theologice certam », ita ut nullus theologus catholicus hodie eidem adversetur (Bittremieux, o. c., p. 186). Bover, Pesch, Bainvel, Lépicier, Van der Meersch, illam habent ut « *formaliter implicite* » in revelatione contentam.

Nos vero illam habemus tamquam *fidei proximam*.

[1] Bibliographia operum quae faverunt « Monitis » invenitur apud MIGNE, *Encycl. cath.*, series 1, t. 13, coll. 901 ss.

[2] Cfr CAMPANA, *Maria nel Dogma*, pp. 295-297, ed. 4, 1936.

Probatur itaque Propositio I. *Ex magisterio ordinario Ecclesiae*, II. *Ex S. Scriptura*, III. *Ex Traditione*, IV. *Ex ratione Theologica.*

I. Prob. Ex Magisterio Ecclesiastico.

1) Benedictus XIV, in Bulla « Gloriosae Dominae » diei 28 sept. 1748 (edit. Prati, 1846, t. 16, p. 428) scribit: « Ipsa (B. V.) est caelestis veluti rivus, per quem *gratiarum omnium* atque donorum fluenta in miserorum mortalium sinum deducuntur ».

2) Pius VII, in documento cui titulus: « Ampliatio privilegiorum Eccl. B. M. V. ab Angelo salutatae in coenobio Fratrum Ordinis Servorum B. M. V. Florentiae... A. D. 1806 » vocat B. Virginem « Parentem nostram, ac *gratiarum omnium Dispensatricem* ». (Cfr Bourassé, *Summa Aurea*, t. 7, col. 546, § 1).

Idem Pontifex, anno 1816, *officium* adprobavit in honorem B. M. V. sub titulo « Auxilium christianorum », in quo officio (in 2. et 3. noct.) doctrina S. Bernardi de B. M. V. Mediatione legitur.

3) Leo XIII plurima et explicita documenta circa hoc habet: *a*) In Encycl. « Octobri mense » diei 22 sept. 1891: « Ex quo (consensu Virginis in Incarnationem) non minus vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus Dominus... *nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri* »; *b*) In Enc. « Iucunda semper » diei 8 sept. 1894: « Quod Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane tamquam in fundamento, in *munere* nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo ipsa *continenter* fungitur apud Deum ». Et repetit verba S. Bernardini Senensis: « omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam, a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur »; *c*) In Enc. « Adiutricem populi » diei 5 sept. 1895: « Nam inde (ab Assumptione), divino Consilio, sic Illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et fovere Mater, ut quae sacramenti redemptionis administra fuerat eadem *gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra*, permissa Ei paene immensa potestate »; *d*) In Enc. « Diuturni temporis » diei 6 sept. 1898: « Ab Ipsa, tamquam uberrimo ductu, coelestium gratiarum haustus derivantur; Eius in manibus sunt thesauri miserationum Domini. Vult Illam Deus *bonorum omnium esse* principium ».

4) Pius X, in Enc. « Ad diem illum » diei 2 febr. 1904: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis promeruit Illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque *ideo universorum munerum dispensatrix*, quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit. Fons Christus est ... Maria vero aquaeductus est, aut etiam collum, per quod corpus cum capite coniungitur, idemque caput in corpus vim et virtutem exerit... De congruo, uti aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit, estque *princeps largien-*

darum gratiarum ministra... et thesauros promeritorum Eius (Christi) materno veluti iure administrat ».

5) Benedictus XV: « Quod si hac plane de causa (compassionis Mariae cum Christo), quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur, nemo non videt, sanctum hominum decessum ab Ea ipsa expectandum esse, quandoquidem praecipue hoc dono Redemptionis opus in unoquoque homine efficienter perpetuumque in modum completur » (*AAS* 10, 1919, 182).

Idem Pontifex, post doctissimum votum P. Lépicier O. S. M., cui res tractanda commissa fuerat, in sermone habito die 6 aprilis 1918 occasione solemnis lectionis Decreti quo duo miracula B. Ioannae de Arc adprobantur, dixit *dona omnia, etiam miracula, mediationi Deiparae attribuenda esse*, quia ipsa appellatur a Patribus « Mediatrix mediatorum omnium ».

Anno vero 1921, Officium ac Missam concessit in honorem B. M. V. *omnium gratiarum Mediatricis*, omnibus Dioecesibus Belgii, facta simul facultate S. Rituum C. idem concedendi cuivis Episcopo pro sua Dioecesi: quod innumeri Episcopi fecerunt, ita ut iam in toto terrarum orbe B. Virgo tamquam gratiarum omnium Dispensatrix solemni ritu colatur.

6) Pius XI in Litteris diei 2 martii 1922, B. Virginem vocat « gratiarum omnium apud Deum sequestram » (*AAS* 14, 1922, 186).

Summis Pontificibus adhaerent *omnes* catholici orbis Episcopi. Etenim 450 in Epistola ad card. Mercier, iudicium favorabile tulerunt circa *opportunitatem* definitionis huius doctrinae; *tres* tantum Episcopi, quamvis doctrinam admitterent, definitionis opportunitatem pro nunc negaverunt.

Ergo *magisterium ordinarium* Ecclesiae, cui adsistentia ordinaria Sp. S. debetur, thesim nostram apertissime, pluries, in documentis publicis et solemnibus, et quidem in re gravissima ad ipsam fidem spectante, assertive omnino et categorice doctrinam quae tenet B. Virginem Dispensatricem omnium gratiarum asseruit.

II. Prob. Ex S. Scriptura.

I. Ex V. T.: 1) *Ex Protoevangelio* (Gen., 3, 15): « Inimicitias ponam etc ... » ex quibus verbis eruitur non solum cooperatio Virginis redemptioni *obiectivae* seu *acquisitioni* omnium gratiarum, sed etiam cooperatio eius redemptioni *subiectivae* seu *distributioni* omnium gratiarum omnibus hominibus. Etenim B. Virgo exhibetur arctissimo et *indissolubili* vinculo coniuncta Filio suo Redemptori quoad *totum salutis nostrae opus*, eo quod totum requiritur ad hoc ut serpentis caput conteratur. Atqui integrum salutis nostrae opus comprehendit etiam cooperationem in distributione omnium gratiarum. Ergo, B. Virgo debet esse Ei unita etiam quoad distributionem omnium gratiarum.

Ad Mai.: *Prob. Antecedens*: Protoevangelium enim — ut animadvertit Bittremieux (o. c., p. 187) — « ut *obiectum* habet humani generis a lapsu reparationem, restaurationis promissionem ». Insuper munus associationis B. Virginis consistit in exercitio inimicitiarum *sempiternarum* (« inimicitias ponam ») contra diabolum, et in *plenissimo triumpho* de ipso (« ipsa vel ipsum conteret caput tuum »): quae duo clare significant quod tantum se extendit munus Virginis quantum se extendit munus Christi. Hinc: *eadem* omnino contra diabolum *lucta*, *idem* supra diabolum *triumphum*, *unum idemque*, utriusque, restaurationis *opus*.

Ad min.: Iamvero, *integrum redemptionis* opus, sicut et munus Christi plene triumphandi de diabolo, duo complectitur: *redemptionem in seipsa* (obiectiva) seu acquisitionem omnium gratiarum, et redemptionem subiectivam seu *applicationem redemptionis* singulis hominibus omnium temporum et locorum, seu distributionem omnium gratiarum: redemptio enim, ut talis, pro singulis humani generis individuis adhuc perdurat.

Si ergo B. Virgo, ut apparet ex Protoevangelio, associata est Christo, arctissimo et indissolubili vinculo, quoad *integrum* salutis nostrae opus, associata est Ei nedum Redemptioni in seipsa, seu in acquisitione omnium gratiarum, sed etiam in applicatione redemptionis, seu in distributione omnium gratiarum. Ex dictis apparet quam immerito Dr. Ude (*Ist Maria die Mittlerin aller Gnaden*, Bressanone, 1928, pp. 143-145) in hac nostra exegesi nihil aliud videt nisi « pulchram amplificationem rethoricam ». Iure ergo cl. Bittremieux (o. c., p. 186) dicit quod talis consociatio B. Virginis distributioni omnium gratiarum « censenda est *implicite formaliter* in Protoevangelio revelata ». [1]

2) *Ex symbolis* quibusdam, e. g.: *Arca Noe*, *scala Iacob*, *Vellum Gedeonis* de quo S. Bernardus scribit: « cui utique distillantibus coelis tota se infudit plenitudo divinitatis adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus ». [2]

II. Ex N. T. 1) Ex verbis Iesu in cruce morientis (Ioan. 19, 26): ex eo quod Christus B. Virginem proclamavit Matrem spiritualem omnium, *implicite* designavit universalem eius mediationem in distributione gratiarum supernaturalium quibus *vita supernaturalis* per Ipsam Virginem ab hominibus acceptam, *alitur et evolvitur*. [3]

2) Ex quibusdam *factis* in Evangelio relatis, quibus, si *simul* accipiantur, *innuitur* saltem et practice confirmatur consilium divinum (il piano di Dio) circa

[1] Cfr etiam Bover, *Gregorianum*, 5 (1924) 569-583. In contrarium conferri potest Merkelbach, *Eph. Theol. Lov.*, 6 (1929) 105. Le Loir, op. cit., p. 89.

[2] Cfr Borzi, o. c., p. 17.

[3] Pro evolutione huius argumenti cfr Bittermieux, o. c., pp. 188-194; et Terrien, o. c.; Contenson, *Theol. mentis et cordis*, t. 3, l. 10, c. 1, ed. Vives, 1805, pp. 210-211.

distributionem gratiarum. *Facta* ista tria sunt: *Visitatio, miraculum* in nuptiis Canae et *effusio Spiritus S.* in die Pentecostes.

a) In visitatione [1] (Luc., 1, 41-45), Ioannes, praecursor, cui incumbebat Novi Foederis prima annuntiatio, adhuc in utero existens *sanctificatur* seu a peccato originali mundatur (quod quidem Ioannes sua *exultatione*, et quidem scienter, extrinsece manifestavit) [2] et Elisabeth *Spiritu Sancto repletur* et *Zacharias* prophetiae dono insignitur. Iamvero, miracula haec ordinis supernaturalis fuerunt a Christo operata sed *per Mariam* seu cum cooperatione eius. « Verbum Incarnatum, — scribit Knabenbauer — quo ordine Maria sit in nova hac salutis et gratiarum dispensatione, ostendit praeclaro exemplo v. 41... *voce B. Virginis quasi vehiculo quodam* Verbum Incarnatum et Praecursori suo et eius Matri, beneficia confert: primos suos favores et gratias interventu Mariae distribui vult ». Idem confirmatur verbis Leonis XIII (In Encycl. « Iucunda semper » 8 sept. 1894): « Ioannes materno in utero sanctificatur charismate insigni; lectisque donis ad vias Domini parandas instruitur: haec tamen contingunt ex *salutione Mariae*, cognatam divino afflatu visentis ».

Tandem, per *tres menses mansit* B. Virgo in domo Elisabeth usque ad *nativitatem* Ioannis. Iamvero « indignum est — ut animadvertit Origenes (hom. 9 in S. Luc.) per tres menses nec Ioannem nec Elisabeth ex vicina Matris Domini et ipsius Salvatoris praesentia profecisse ». Idem animadvertit S. Thomas (*Catena Aur. in Lucae Ev.*, c. 1, n. 22). Ex dictis apparet Christum demonstrare aliquo modo voluisse, spiritualem seu supernaturalem electorum *regenerationem* et *nativitatem* absque B. Virginis cooperatione numquam fieri. Intima haec consociatio Matris cum Filio in gratia supernaturali conferenda, « quasi primus anulus est aureae catenae quae per totum Evangelium porrecta, et ad initium Actuum, id est, Ecclesiae nascentis exordia pertingens, omnes et singulas extraordinarias gratiae manifestationes cum eiusdem Christi Matris cooperatione coniungit » (*Ogara*, l. c., p. 201). Iure ergo S. Alfonsus concludit: « Se questi primi frutti della Redenzione passarono tutti per Maria ed Ella fu il canale per cui mezzo fu comunicata la grazia al Battista, lo Spirito Santo ad Elisabetta, il dono di profezia a Zaccaria, e tante altre benedizioni a quella casa, che furono le prime

[1] Cfr Ogara Fl., S. I., *De doctrina mariana in Visitationis mysterio contenta*, (Lc., 1, 39-56). in *Verbum Domini*, 18 (1937) 199-204; 225-244; 289-295.

[2] Cfr Knabenbauer: *Comm. in h. l.* Exultatio Ioannis effectui physiologico seu naturali tribui nequit, eo quod non statim evenit ac Elisabeth B. Virginem vidit, sed in *salutatione* eiusdem tantummodo, prout etiam ex ipso narrandi modo apparet.

Et Hummelauer: « Insignis inest humilis Virginis salutationi efficacia; illico ea operatur sanctificationem S. Ioannis; eum in utero existentem acceptae sanctificationis conscium reddit (quod plerique interpretes defendunt) facit eum miraculose exultare in utero; plenitudinem Spiritus Sancti ex ipso in Matrem derivat » (*Meditationum et contemplationum S. Ignatii de Loyola puncta*, De Visit., punct. 1).

grazie che sappiamo essersi fatte sulla terra dal Verbo, dopo essersi incarnato; *è molto giusto il credere che Dio fin d'allora avesse costituito Maria quale acquedotto universale*, come la chiama S. Bernardo, per cui d'indi in poi passassero a noi tutte le altre grazie, che il Signore vuol dispensarci » (*Glorie di Maria* p. 2, disc. 5).

b) In nuptiis Canae ((Ioan., 2, 1-11), deficiente vino, interventu, seu Matris suae precibus Iesus miraculorum horam anticipans, aquam convertit in vinum et ita « initium signorum suorum » facit, ex quo fides in discipulis Eius nascitur et roboratur. Sicut ergo *cooperatione et voce Mariae* Iesus primum miraculum fecerat *in ordine gratiae* (in visitatione), ita etiam *cooperatione et voce Mariae* peragit primum miraculum in ordine naturae. Egregie Leo XIII: « Dum privatam in terris vitam agit (Christus), ipsam (B. V.) adscivit *utriusque prodigii administram* quae tunc primum patravit: alterum *gratiae*, quo ad Mariae salutationem exultavit infans in utero Elisabeth; alterum *naturae*, quo aquam in vinum convertit ad Canae nuptias » (Encycl. « *Augustissimae Virginis* », 12 sept. 1897). S. Thomas in hac cooperatione Virginis insinuatum videt eius munus in hominis sanctificatione (*In Ev. sec. Ioan.* cap. 2, l. 1). Miraculum in nuptiis Canae patratum, non exhibetur tamquam factum a se, sed tamquam « initium signorum » cum quibus, ratione continuitatis, connectitur. [1]

c) In Effusione Spiritus S. in die sollemni Pentecostes seu in prima publica applicatione meritorum Christi, B. Virgo *praesens* est (Act,, 1-2, 12-14): « Hi omnes (discipuli) erant perseverantes unanimiter *in oratione* cum mulieribus et Maria matre Iesu ». Ratio huius praesentiae ita a Leone XIII exponitur: Erat B. Virgo in coenaculo « simul cum Apostolis pro *eisque postulans* inenarrabili gemitu eiusdem Paracliti amplitudinem, maturat Ecclesiae, supremum Christi donum, thesaurum nullo tempore defuturum » (Encycl. « Iucunda semper » 8 sept. 1894). Sicut ergo *prima* effusio Spiritus S. in Ecclesia absque Virginis interventu non fuit, ita quaelibet alia in Ecclesia sine Virginis interventu non erit.

Tria facta superius relata et a nobis perpensa, demonstrant quomodo Christus, quoties gratias sive spirituales, sive temporales primum sive singulis sive Ecclesiae distribuere voluit, hoc non fecit sine Virginis *interventu* et cooperatione: quod sat clare *innuit* alicuius legis generalis existentiam in omnium gratiarum distributione, secundum quam omnes gratiae non conceduntur absque Virginis cooperatione et interventu. Sunt ergo facta quae, si simul accipiantur, existentiam cuiusdam legis universalis in gratiarum distributione *innuunt* et *confirmant*;

[1] Cfr pulcherrima verba Nicolas in op. *La Vergine Maria e i disegni divini secondo il Vangelo*, c. 17. Le nozze di Cana. Cfr etiam pulcherrimus Sermo III Bossuet (*De Conceptione B. M. V.*) in quo eloquenter demonstrat quomodo in *tribus praecipuis operationibus gratiae* (i. e. vocatio ad fidem, iustificatio et perseverantia) Christus sociam adhibet Mariam quae idcirco fit « generale instrumentum operationum gratiae ».

hac enim lege praesupposita, et sub luce huius legis inspecta, facta illa mire explicantur. Ex testimoniis ergo N. T. concludere possumus B. Virginem nobis veluti typum dedisse *cuiuslibet supernaturalis*, videlicet: *a*) *supernaturalis* substantialis per Incarnationem Verbi; *b*) supernaturalis *accidentalis* quoad *substantiam* in sanctificatione Baptistae et in aliis gratiis spiritualibus; *c*) supernaturalis *accidentalis quoad modum tantum* in miraculo in nuptiis Canae, quod est veluti symbolum omnium gratiarum temporalium.

III. Prob. Ex Traditione.

Traditio circa praesentem quaestionem in TRIA veluti STADIA dividi potest: I. *a temporibus apostolicis usque ad saec. VIII*; II. a *saec. VIII usque ad finem saec. XV*; III. *a fine saec. XV usque ad dies nostros.*

I. **A temporibus Apostolicis usque ad saec. VIII:** *thesis* nostra *implicite* tantummodo continetur in quibusdam sententiis generalibus circa cooperationem B. Virginis redemptioni tamquam secunda Eva, et circa spiritualem eius maternitatem: quae testimonia in quaestionibus praecedentibus vidimus. Testimonia vero quae magis explicite thesim nostram enuntiant, sunt sequentia: [1]

S. IRENAEUS (120-200) explicitam allusionem habet ad *intercessionem* Deiparae: appellatur enim *advocata Evae* (*Epid.*, cc. 31-33).

S. EPHRAEM († 373), aut quidam ex schola eius, legem iuxta quam nulla gratia hominibus impertitur quod per manus Mariae non pertranseat, ita exprimit: « Per te omnis gloria, honor et sanctitas ab *ipso primo Adam et usque ad consummationem saeculi*, Apostolis, prophetis, iustis et humilibus corde, sola immaculatissima, *derivata est*, *derivatur et derivabitur*, atque in te gaudet, gratia plena, omnis creatura » (*Sermo de SS. Virginis laudibus*, ASSEMANI, 3, 532).

S. AMBROSIUS († 397) omnes invitat, in persona virginum, ad gratiarum pluviam a B. Virgine petendam, quae gratia Virginis numquam deficit, quia quo magis effunditur eo magis redundat (*De Instit. Virg.*, c. 13, nn. 81-86, PL 16, 339-340). Causa vero potentis intercessionis Virginis Mariae in hoc invenitur quod ipsa Filium Dei genuit (L. c., PL 16, 328).

S. CYRILLUS ALEX.: « Salve, Maria Deipara, per quam salvatur omnis spiritus fidelis » (homil. 11, PG 77, 1034). Et in homil. 4 (l. c., col. 991) plurimas gratias enumerat quas B. Virgini adscribit.

S. MODESTUS HIEROSOL.: « genus humanum in te servatum est, ac per te dona et sempiterna bona est adeptum ab eo (Deo) » (PG 86, 3306).

S. HILDEPHONSUS TOLET. († 667): « Omnia bona quae (hominibus) summa Maiestas decrevit facere, *tuis manibus decrevit commendare*; commissi quippe

[1] Cfr opera Terrien, Godts, Villada etc.

sunt tibi thesauri et ornamenta gratiarum (*Cor. Virg.*, c. 15).[1] Ex dictis patet quomodo Patrum testimonia circa actualem Virginis intercessionem, rara et incerta ante saeculum IV, frequentiora post saec. IV evadunt.

II. **A saec. VIII usque ad finem saec. XV**: incipit assertio omnino explicita, quamvis generica, huius doctrinae. Et quidem, a saec. VIII usque ad saec. XIII ista affirmatio explicita *aliquando* tantummodo invenitur. Sufficiunt testimonia sequentia.

S. GERMANUS CONST. († 733): « Nullus, nisi per te, o Sanctissima, salutem consequitur, nullus, nisi per te, immaculatissima, qui a malo liberetur. Nullus, nisi per te, o castissima, cui donum indulgeatur. Nullus nisi per te, o honoratissima, cui per gratiam misericordia praestetur ... Quis sicut tu ... humani generis curam gerit? ... » (*In Zonam S. M.*, PG 98, 379). Animadverti debet quod hic S. Germanus loquitur de munere quo nunc in coelo B. Virgo pro hominibus fungitur, et ideo de eius *actuali*, quoad omnes gratias, intercessione.

S. IOANNES DAMASCENUS († 760) (in *hom. I in Dormitionem Deiparae*) B. Virginem extollit nedum quia nobis omnia attulit bona, sed etiam quia, inde a morte sua, sicut sol, omnia bona perpetuo dispensat: « gratiae flumina, sanationum fontes, perennemque benedictionem fundis » (PG 96, 715, 716).

IOANNES EUCHATENSIS B. Virginem appellat dispensatricem omnium bonorum quibus nos fruimur (PG 120, 1109).

S. THEODORUS STUDITA dicit quod B. Virgo, « corpore egressa, spiritu nobiscum est: caelo illata, daemones fugat, facta apud Dominum Mediatrix ... Exultet creatura universa, quae immortalitatis fluenta ex virgine fonte mystice haurit, quibus a mortifera siti liberatur » (PG 99, 722). Agit ergo, evidentissime, de mediatione *actuali*, immediata, quae nunc exercetur a B. Virgine in coelis.

S. PETRUS DAMIANI († 1072) dicit: « in manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini » (Serm. 45 *Nativ. B. M. V.*, PL 144, 740).

S. ANSELMUS ARCH. CANT. († 1109) dicit quod sine B. Virgine « nihil pietatis est nihilque bonitatis » (Orat. 48, PL 158, 945); dicit insuper quod, tacente ipsa, « nullus orabit, nullus iuvabit » et orante ipsa, « omnes orabunt, omnes iuvabunt » (Orat. 46, col. 944).

S. BERNARDUS apertissime docet, absque ulla restrictione, generalem hanc divinae Providentiae legem in thesi nostra enunciatam. In serm. 3 *In Vigilia Nativ. Domini* dicit: « Nihil Deus nos habere voluit, quod per Mariae manus non transiret » (PL 183, 100). Et in serm. *In Nativ. B. M. V.*: « Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui *totius boni plenitudinem posuit in Maria*: *ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae,*

[1] Quidam tamen librum *de Corona Virginis* auctori saec. XII tribuunt.

si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens... Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremus, quia *sic est voluntas eius*[1] *qui totum nos habere voluit per Mariam* » (PL 183, 441, n. 6 et 7).

S. Albertus M. dicit quod « B. M. Virgo proprie dicitur *porta coeli* quia per ipsam exivit quidquid gratiae unquam creatum vel increatum in hunc mundum venit vel venturum fuit » (Q. 147, *Opera omnia*, Parisiis, 1898, t. 37, p. 211). B. Virgo est « omnium bonitatum universaliter distributiva » (*Mariale*, q. 29). Asserit insuper quod « omnes ad numerum (gratiae) transeunt per ipsius manum » (L. c., q. 164), et « per ipsum (aquaeductum) defluunt omnes aquae gratiarum deorsum » (L. c., q. 164).

Richardus a S. Laurentio dicit quod Deus « quidquid boni dat creaturis suis, per manus Matris Virginis vult transire » (*De laud. B. M. V.*, l. 2, c. 3, n. 4, p. 91, inter Op. S. Alberti M., t.36, ed. Vivès). Dicit insuper quod B. Virgo est *collum* mysticum Ecclesiae, et « ad hoc data est mundo, quasi acquaeductus ut per ipsam a Deo ad homines dona caelestia iugiter descenderent » (l. c., l. 9, c. 15, n. 2, p. 441).

Vincentius de Beauvais († 1264) repetit D. Bernardi doctrinam (*Opusc. laudum Virginis M.*, c. 128, et s., Basileae, 1481).

S. Thomas Aquinas, inter alia dicit quod « per eius (B. V.) intercessionem coniungitur (anima) Christo per gratiam » (In Ioan. c. 2, lect. 1); dicit insuper quod nos auxilium Virginis obtinere possumus « in omni opere virtutis » et plenitudinem gratiae B. V., sub respectu redundantiae in homines, comparat plenitudini gratiae ipsius Christi (*Expos. super salut. ang.*); dicit tandem quod « B. Virgo radios suae gratiae omnibus diffundit et communicat » (*Serm. in Matern. B. M. V.*, editus ab Uccelli).

S. Bonaventura († 1274) dicit quod B. Virgo vocatur *ianua coeli* « quia nullus potest iam coelum intrare nisi per Mariam transeat tamquam per portam ». Ipsa est enim « advocata ad intercedendum » (*Collat. in Ioan.*, c. 14, Op. 6, 303 a). Operationes eius in salute omnium hominum « incipiunt a fundamento fidei et perveniunt usque ad complementum praemii aeterni » (Serm. 2 *De Nativ. B. M. V.*, Op. 9, 711 a). « Beneficia... Virgo impendit dupliciter, scilicet, ad vitandum malum et ad consequendum bonum » (Serm. 6 *De Matern. B. M. V.*, Op. 9, 720-21). Laudat, insuper, semel saltem, verba S. Bernardi: « omnes gratiae per manus Mariae transeunt ».[2]

[1] Verba S. Bernardi characteribus cursivis impressa, in ipsa Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* relata inveniuntur.

[2] Cfr Di Fonzo L., *Doctrina S. Bonaventurae de universali mediatione B. M. V.*, pp. 289-296.

Ad illam ergo confugere debemus ut misericordiam inveniamus « in auxilio opportuno » (*Comment. in Luc.*, c. 1, n. 70; c. 2, n. 37; Op. 7, 27, 52).

Conradus a Saxonia († 1279) in suo *Speculum B. M. V.* plene adhaeret sententiae S. Bernardi (Lect. 3).

Iocobus a Voragine († 1298): « Collum dicitur Virgo Maria, ratione mediationis. Sicut enim collum est medium inter caput et corpus, sic ipsa est Mediatrix inter Deum et nos... Sicut a capite, mediante collo, in corpus descendunt omnia nutrimenta, sic a Christo per Virginem in nos veniunt omnia Dei dona» (*Mariale*, serm. I. edit. Moguntiae, 1926. Cfr etiam serm. 2 et 6).

Raimundus Iordanus legem Providentiae memorat secundum quam B. Virgo est advocata nostra apud Filium sicut Filius est advocatus noster apud Patrem, et B. V. appellat thesaurariam gratiarum Dei (*Contemplationes de B. V.*, prolog., in *Summa Aurea*, t. 4, coll. 851 s.).

Ioannes Gersonius († 1429): « Maria Mediatrix nostra, per cuius manus Deus decrevit dare ea quae dat humanae naturae» (in serm. *De Annuntiat.*, 4, *Op. omnia*, Anversa, 1706, t. 3, col. 1366).

S. Bernardinus Senensis († 1444) proclamat quod « nulla gratia de coelo nisi ea dispensante ad nos descendit ». (*Sermones pro festiv. SS., et V. M.*, serm. 13, a. 3, c. 3, *Op. omnia*, Parisiis, 1635, t. 4, p. 165).

Eadem docent Bernardinus de Bustis (*Mariale*, fol. 336), Pelbartus, S. Antoninus, Ambrosius Spiera O. S. M., Dionysius Carthus., etc.

III. **A fine saec. XV usque ad nostra tempora**: notabilis progressus habetur in demonstratione et in explicatione doctrinae in thesi nostra enunciatae. Occasio praecipua huius maioris evolutionis fuerunt saec. XVI recriminationes Protestantium contra cultum B. M. V., et saec. XVII opusculum: « Monita salutaria etc. ».

Praecipui defensores huius doctrinae fuerunt, circa finem saec. XVI et saeculo XVII: 1) S. Robertus Bellarmino (Concio 42, *De nativitate B. M. V.*, *Op. omnia*, Napoli, 1861, t. 5, p. 298); 2) Ioannes a Carthagena, † 1617 (*De arcanis Deiparae et Joseph*,, l. 14, hom. 17, Anversa, 1622, t. 2, pp. 122 sq;) 3) Suarez (*In III am. P.*, t. 2, disp. 23, sect. 3, n. 5); 4) Novati (*De eminentia Deiparae*, t. 3, pp. 385 ss.); 5) Petavius (*De Incarn.*, l. 11, c 9; *De theologicis dogmatibus*, Anversa, 1700, t. 6, pp. 237 ss.); 6) Christ. de Vega (*Theol. Mar.*, t. 2, pp. 402 ss.); 7) Reichemberger (*Mariani cultus vindiciae*, animadv. 20, Pragae, 1677, pp. 92 ss.); 8) Bossuet (*Sermons sur la dévotion à la très Sainte Vierge*); 9) Bourdaloue (Sermo *De Assumpt.*, t. 11); 10) Olier, etc.

Saec. XVIII: 1) Benedictus Plazza, S. J. († 1761) (*Christianorum in sanctos sanctorumque reginam devotio*, pars, 2, c. 5, Palermo, 1751, p. 294); 2) Sedlmayr

(*Schol. Mar.*, Bourassé, t. 8, pp. 63 ss.; 192 ss.); S. Alfonsus de Liguori (*Glorie di Maria*, p. 1, cc. 5-6; p. 2, disc. 5); 4) S. Lud. Grignion de Montfort (*Traité* ... n. 23, 24 25 etc.), etc.

Iuverit adhuc animadvertere quod thesim nostram demonstrant etiam omnia illa testimonia quibus Patres, Doctores et Scriptores Ecclesiae, aut easdem *appellationes* quae sunt Christi propriae (lux, vita etc...) B. Virgini tribuunt, aut B. Virginis *dominium* extollunt (ut videbimus in subsequenti quaestione de B. M. V. Regina); aut denique asserunt neminem absque Virginis intercessione salvari posse (ut videbimus ubi de necessitate cultus B. M. V.).

Iure ergo argumentum ex Traditione concludere possumus asserentes haud paucas voces, ab Oriente usque ad Occidentem, legem illam a S. Bernardo enunciatam proclamare: « Sic est voluntas Eius qui totum nos habere voluit per Mariam » (PL 183, 441).

IV. Ex Ratione Theologica.

I. **Ex eo quod B. Virgo est Corredemptrix generis humani** et ideo cooperatrix in acquisitione omnium gratiarum. Etenim, qui cooperatur acquisitioni alicuius thesauri, ius naturale habet ut cooperetur etiam distributioni eiusdem. Atqui B. Virgo, utpote Corredemptrix, — ut iam probavimus — cooperata est cum Christo acquisitioni thesauri omnium gratiarum. Ergo ...

Connexio inter cooperationem acquisitioni et cooperationem distributioni gratiarum praeterquam ex ipsa rei natura, deducitur etiam ex testimoniis Leonis XIII, Pii X et Benedicti XV, superius adductis. Confirmari etiam potest auctoritate S. Thomae (*Comp. Theol.* cap. 241).

Conclusio haec est vere theologica et maximi roboris.[1] Unitas et harmonia consilii divini et operum Eius, nec non lex aequitatis cui sese obligari voluit Deus, conclusionem nostram postulare videntur.

II. **Ex eo quod B. Virgo est Mater hominum**. Etenim: Mater nedum cooperatur generationi filiorum sed etiam eorum conservationi et augmento. Atqui B. Virgo est mater hominum. Ergo ...

Quod si pro vita physica non semper *immediata* et personalis cura matris necessario requiritur, non ita pro vita supernaturali gratiae, in qua nullus omnino profectus absque gratia peragi potest.[2]

[1] Relate ad vim probativam huius argumenti, opportune scribit cl. Friethoff (o. c., p. 183): « Quidam argumentum illud *apodicticum* putant (Mueller, *Zeitschrift für Kath. Theol.* 1927, p. 420); Meffert (*Der hl. Alfons von Liguori*, Moguntiae, 1901, p. 235); alii *conveniens* (Lercher, *Inst. theol. dogm.*, vol. 3, p. 26); alii demum tradunt hanc conclusionem *cum certitudine*, quia convenientia huius argumenti talis est quod *oppositum* eius aliquid *inconveniens, indecorum*, aut saltem aliquid minus conveniens inferat (Bittremieux, *De med. univ.*, p. 164).

[2] Pulchre S. Ioseph Cafasso: « Maria in Paradiso fa la figura di una madre di famiglia. Datemi una madre sveglia e ben attenta alla sua casa: lei sola tien l'occhio a tutto, sia pur nu-

II – De natura cooperationis B. M. V. distributioni omnium gratiarum.

Status quaest.: Vidimus hucusque *factum* mediationis seu cooperationis B. M. V. distributioni omnium gratiarum; remanet ergo ut consideremus *naturam* huius cooperationis, seu *quomodo* in concreto, B. Virgo distributioni omnium et singularum gratiarum cooperetur. Ad clariorem rerum exponendarum intellectionem, quaedam praemittenda sunt, videlicet:

I. Distinctio inter causam physicam et moralem, principalem et instrumentalem.

Causa distingui potest in *physicam* et *moralem*:

a) Causa physica est illa quae *sua propria activitate* effectum producit; e. g. productio scamni a serra;

b) Causa moralis est illa quae non producit effectum, sed tantummodo *aliam* causam inducit (consilio, oratione, imperio) ut ista effectum producat.

Causalitas *physica* ergo proprie ad causam *efficientem* spectat quia *efficienter* in effectum influit, causalitas vero *moralis* ad causam *finalem* potius reducitur quia moraliter (i. e. tamquam obiectum seu bonum apprehensum et ideo ut finis) influit in effectum: id enim ad quod proprie attendit est intentio finis. Interdum, tamen, causalitas moralis sub causalitate efficiente recensetur, eo quia bonum praesentatum agenti, licet in quantum est extra animam operantis, habeat rationem causae finalis, tamen ut est apprehensum ab operante, induit rationem causae effectivae (Cfr Caiet. in 1, q. 80, art. 2).

Ulterius, causa efficiens *physica*, ratione *virtutis* qua agit, dividitur in *principalem* et *instrumentalem*:

a) *C. Principalis* illa dicitur quae ad effectum producendum *agit virtute sibi propria*, i. e. habente esse completum in ipsa, et effectui *proportionata*, e. g. *pictor* est causa principalis tabulae quam pinxit;

b) *C. Instrumentalis* est illa quae ad effectum producendum operatur *virtute sibi derivata a principali agente a quo movetur et regitur*; e. g. *penicillus* quo utitur pictor, est causa instrumentalis tabulae.

merosa la famiglia, ma pensa a tutti; provvede tutti del necessario, e non aspetta nemmeno che qualcuno dei figli lo chieda; vi pensa essa; anzi, prima ancora che faccia bisogno, già prepara e fa che ogni cosa si trovi pronta a suo tempo. Non è vero che una buona madre fa così? Così appunto fa Maria; noi altri tutti formiamo una gran famiglia, di cui Iddio è il capo, è il padre; la madre poi di questa gran famiglia è la Madonna SS. Iddio ha depositato nelle sue mani tutte quante le grazie, ed essa come buona madre e sempre attenta ai nostri bisogni, va distribuendole: a chi una grazia, a chi un'altra, secondo il bisogno di ciascuno in particolare e anche alle volte, senza che noi vi pensiamo, senza che le domandiamo » (*Opere complete*, vol. 2, p. 245).

INSTRUMENTO, igitur, competit DUPLEX ACTIO: *a*) una *propria* seu connaturalis, quam perficit ad simplicem motum localem; e. g. extendere atramentum est propria et connaturalis actio calami, quam calamus perficit a quocumque simpliciter moveatur; *b*) alia proprie *instrumentalis* quam perficit ad motum *virtuosum* seu in *virtute motionis a superiore agente*, intelligente; e. g. extendere atramentum in lineolas seu litteras significativas conceptuum, est operatio proprie instrumentalis quam calamus perficit tantum ad motum *virtuosum* principalis agentis.

Actio *propria* se habet veluti inchoative ad actionem *instrumentalem*: instrumentum, enim, non perficit actionem *instrumentalem* nisi exercendo actionem *propriam*; ita e. g. serra, *scindendo* (actio propria) facit *scamnum* (actio instrumentalis). Hinc, *actio praevia* instrumenti *disponit*, aliquo modo, actionem principalis agentis, *Dispositio* ista pro instrumentis *creaturarum*, debet esse semper *proportionata* effectui producendo; pro instrumentis vero *Creatoris* (qui ipsis non indiget) sufficit aptitudo quaedam ad hoc ut ad opus divinum concurrere possit. Causa *principalis* ergo elevat, modificat actionem propriam et connaturalem instrumenti. Hinc, actio instrumenti, in *quantum est instrumentum* (non vero in quantum est res quaedam) non est alia ab actione princ - palis agentis; sic e. g. facere *scamnum* (actio instrumenti ut talis) non est alia ab operatione artificis, sed est operatio securis participantis instrumentaliter operationem artificis. Hinc opus non debet tribui partim causae principali et partim intrumento, sed totum causae principali et totum etiam instrumento.

Sicut autem *duplex est actio* in instrumento, ita pariter *duplex virtus* est in ipso consideranda: *a*) una quae est ei *propria* seu connaturalis, quae competit ei secundum propriam formam et ideo habet *esse fixum et permanens* in eo, quatenus est talis vel talis res; e. g. acuitas dentaturae in serra, talis determinata chordarum dispositio in cithara etc.; *b*) alia vero proprie *instrumentalis*, quae ei competit in quantum *actu* movetur a principali agente, et ideo habet in eo *esse fluens*, *transiens* et incompletum; e. g. dum serra facit scamnum, vel cithara causat harmoniam musicalem. Virtus haec fluens rem seu subiectum corporale pertransire (attraversare) potest ad effectum spiritualem obtinendum, «sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum honimis in quantum procedit a conceptione mentis» (*S. Th.*, III p., q. 62, a. 4).

Iamvero, *instrumentum* formaliter tale constituitur non secundum virtutem *propriam* seu connaturalem, sed secundum virtutem instrumentalem, i. e. sec. participationem virtutis a causa principali, et propter hoc effectus non instrumento sed causae principali proportionatur et assimilatur; ita, e. g. serra est formaliter instrumentum prout et quando actu movetur ab artifice; et *scamnum* non proportionatur et assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis seu causae principalis.

Hisce positis, instrumentum propriissime definitur: «id cuius actio propria, virtute agentis principalis elevatur ad producendum effectum se nobiliorem» Cfr *S. Th.*, p. III, q. 62, art. 1 in corp. et in ad 2.um).

Etiam CAUSA MORALIS, sicut causa physica, dividi potest in *principalem* et *instrumentalem:*

a) C. mor. *principalis* si dignitas seu qualitas qua aliam causam physicam intelligentem movet, inest ei *ex propria natura*; e. g. si amicus amicum rogat

ut tertio cuidam gratiam conferat, *ipse rogans* est causa moralis principalis collationis talis gratiae (movet amicum sua dignitate et qualitate amici);

b) C. mor. *instrumentalis* habetur si dignitas seu qualitas qua aliam movet est *ei derivata* a causa principali superiore, e. g. *verba* vel *litterae* quibus rogans (c. princ.) amicum rogat, sunt causa mor. instr. collationis eiusdem gratiae, eo quia *verba* vel *litterae* movent amicum, dignitate derivata ab amico rogante (C. princ.).

Positis hisce distinctionibus, ad earum applicationem deveniamus.

II. **Theologorum sententiae.** Videndum est in quo omnes Theologi conveniunt et in quo discrepant.

1) Omnes Theologi CONVENIUNT: 1. in hoc quod B. Virgo non sit et non possit esse causa *principalis* gratiae, quia solus Deus, et ideo nulla creatura quantumvis perfectissima (nec humanitas Christi) potest esse causa principalis gratiae; gratia enim « excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam; et ideo impossibile est quod aliqua creatura gratiam causet» (*S. Th.* I-II, q. 113, a. 1 in corp.). Iure ergo S. Thomas scripsit: « Sic B. Virgo redundavit gratiam in nos, ut tamen *auctrix* gratiae nequaquam esset » (*Comm. in Ev. S. Ioan.*, c. I, lect. 10).

2. Omnes etiam conveniunt in hoc quod B. Virgo simul cum Christo et dependenter a Christo sit CAUSA MORALIS cuiuslibet gratiae per suam *intercessionem*, considerata prout est expressio voluntatis eius de nostra salute, quin, generatim, ulterius quaestionem determinent. TRIA ergo declaranda sunt: *natura*, *modus* et *tempus* huius intercessionis.

A) Quoad NATURAM: agit B. Virgo, per modum causae *finalis*. Attamen, excludi debet omnino quod B. Virgo agat in distributione gratiarum tamquam causa finalis *motiva*, i. e. movendo seu determinando Deum ad gratiam concedendam sicut artifex determinatur ab imperio alterius: Deus enim proprie moveri non potest, cum sit primum omnium movens.

Intercessio ergo B. Virginis considerari debet prouti causa seu ratio est cur Deus agat, seu id propter quod, vel intuitu cuius Deus gratiam causat; [1] vel etiam quatenus intercessio B. V. causat in homine *designationem* ad gratiam, seu *titulum* propter quem Deus gratiam alicui homini infundit. Et in hoc ultimo casu causalitas haec potest vocari *intentionalis*. [2]

[1] Cfr. MCNABB O. P., *The Mediatorship*, p. 758.

[2] Causalitas haec intentionalis tuetur a P. MERKELBACH (*Mater divinae gratiae*, p. 15), ut possibilem habet VAN DER MEERSCH (*Tract. de div. gratia*, ed. 2, p. 372): uterque tamen declarat illam stricte probari non posse.

Attamen, hic animadvertendum est cum cl. Bittremieux (o. c., p. 300) quod « nullatenus B. Virginis intercessio rationem habet *causae* finalis *respectu* Dei, sed unice *respectu gratiae quae producitur*. Deus enim, utpote prima causa, est omnium causa finalis, sed nullatenus a *causa* finali pendet; potest Deus agere propter aliquid tamquam propter finem, qui ipsi ut ratio est, sed non agere propter finem, qui ipsi causa sit. [1] Et insuper attendatur intercessionem non esse finem gratiae, sed gratiam potius finem intercessionis, in eo videlicet sensu quod gratia non ordinatur ad intercessionem, sed quod intercessio ordinata est ad gratiam. Propterea, ubi dicitur intercessionem B. Virginis esse causam finalem gratiae, haec accipi nequeunt ac si Deus a B. Virgine dependeret tamquam a causa, neque etiam ac si intercessio B. Virginis esset id ad quod gratia esset ordinata. Inde superest solus hic sensus possibilis: intercessio B. Virginis se habet ad effectum gratiae ut causa, *in quantum influit esse huius effectus, qui est gratia*; hoc autem esse influit, *quatenus divina voluntas* effectum hunc gratiae producit *propter hanc B. V. intercessionem*. Secundum haec, Deiparae intercessio est vere aliquo modo *causa respectu gratiae, quamvis nullatenus sit causa respectu divinae voluntatis*. In quibus videre quis posset peculiarem quamdam applicationem nervosi Aquinatis dicti: " Vult (Deus) hoc esse propter hoc; sed non hoc vult propter hoc "; [2] hoc est: *vult divina voluntas gratias* ESSE *propter B. Virginis intercessionem, sed non vult hanc gratiam* PROPTER *hanc intercessionem quae* DEO CAUSA ESSET *volendi* ».

Haec quoad NATURAM intercessionis B. V. sufficiant.

B) Quoad MODUM vero quo B. Virgo munus intercessionis excercet, animadvertendum est quod *modus iste duplex* est: *interpretative* et *expresse*. Angelicus enim Doctor, agens de intercessione Sanctorum scribit: « Sancti dicuntur *dupliciter* orare pro nobis: uno modo oratione *expressa* dum votis suis aures divinae clementiae pro nobis pulsant; alio modo oratione *interpretativa*, scilicet per eorum *merita*, quae in conspectu Dei existentia non solum eis cedunt ad gloriam sed sunt etiam suffragia et orationes quaedam, sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere » (p. III, suppl. q. 77, a. 3). Et rursus de mediatione Christi agens scribit: « Dicitur autem interpellare pro nobis dupliciter. Uno modo pro nobis orando, secundum illud Ioannis: "Non pro his rogo tantum sc. Apostolis, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me". Nunc autem eius interpellatio est voluntas ipsius de nostra salute. Volo ut ubi sum ego et illi sint mecum. Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando. Introivit in ipsum caelum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis » (*Comm. in Ep. ad Rom.* c. 8, lect. 7).

[1] Cfr *S. Th.*, p. I, q. 19, a. 5, ad 1.
[2] Cfr *S. Th.*, p. I, q. 19, a. 5, ad 1.

Idem ergo de B. V. dicendum est: *intercedit* pro nobis sive *expresse*, sive *interpretative* seu tacite, ipsa sua humanitate, dolores praesertim et compassionem suam pro nobis Patri demonstrando, quibus nedum meruit exaudiri — ut alii Sancti — sed ipsum *obiectum* suae orationis meruit i. e. omnes et singulas gratias: meruit enim B. Virgo, per sanguinem cordis *de congruo*, quidquid Christus meruit de condigno per sanguinem carnis. Humanitas ergo Christi et B. Virginis in coelo, nedum sunt signum quorumdam *meritorum* quibus — sicut alii Sancti — exaudiri meruerunt (utpote fundamentum efficaciae suae orationis), sed sunt signum iuris acquisiti eorum quae Christus et B. Virgo libere petunt.

C) Quoad TEMPUS vero quo incepit haec Virginis intercessio omnium gratiarum, dicendum est ex parte B. Virginis incepisse inde a sua gloriosa in coelum Assumptione, eo quia inde ab illo momento cognovit in Verbo omnes homines et omnes necessitates eorum.

Alii, tamen, universalem hanc intercessionem anticipant. « Cogitari potest quod, in quibusdam saltem vitae suae momentis, Ipsa, omnes animas hominum, per revelationem, cognoverit, et *pro unaquaque* ipsarum unumquemque Redemptionis effectum petierit. Est hypothesis quae bonis argumentis defendi potest, auctoritateque nominum illustrorum confirmari » (DE LA BROISE, o. c., p. 25). Hoc evenisse probabiliter putamus praesertim in ipso Incarnationis instanti. P. JEANJACQUOT (o. c., p. 152) citat pro hac opinione S. Albertum M., S. Antoninum, S. Bernardinum Sen., Hugonem a S. Caro et P. De Rhodes. Quaestio haec ergo, a quaestione de extensione scientiae infusae B. M. V. dependet. S. ALPHONSUS dicit quod B. Virgo inde *a Visitatione* coepit esse distributrix omnium gratiarum; plenum tamen et perfectum exercitium huius mediationis habuit tantummodo inde a sua gloriosa Assumptione (*Glorie di Maria*, Disc. della Visitazione, pp. 366-367).

CARD. LÉPICIER (*Tract. de B. M. V.*, p. 479) scribit: « Certe tuto tenere possumus, ad omnia quae Christus in hominum salutem patravit, praeivisse potentissimam Mariae intercessionem, ut coniicere licet, puta relate ad descensum Spiritus Sancti in Apostolos et Discipulos, maxime cum sacer Textus expressam mentionem faciat de illius in his rerum adiunctis praesentia ».

Omnes ergo theologi conveniunt in admittenda mediatione morali per *intercessionem.*[1] Attamen ulterius quaeri potest: praeter hanc mediationem moralem,

[1] P. FRIETHOFF (in o. c., pp. 208-222) hanc orationem *interpretativam* sive Christi sive B. Virginis vocat orationem *proprie dictam*, quia est oratio *implicita*. Distinguit enim duplicem orationem in sensu stricto: *propriam* et *impropriam*. Oratio *impropria* sunt *merita*, quibus meremur exaudiri. Oratio autem *propria* duplex est: a) *explicita*, i. e. explicatio desiderii, ut impleatur, et b) *implicita* i. e. *aequivalens* explicatio desiderii, verbis vel factis. Ita, e. g. si mendicus in via sedet in pectore portans hanc superscriptionem: "claudus et caecus et miserrimus ", tunc omnino nihil dicendo appellat ad nostram misericordiam, ut aliquid accipiat, et tamen non directe petit impletionem huius desiderii. Iamvero ipsamet repraesentatio humanitatis B. M. V.

potest ne admitti etiam mediatio seu causalitas *physica instrumentalis*, qualis admittitur pro *humanitate* Christi (instrumentum coniunctum Verbo) et pro *Sacramentis* N. Legis, secundum doctrinam vere Thomisticam? ...

2. Circa mediationem seu causalitatem *physicam instrumentalem* non conveniunt theologi; quidam illam admittunt, quidam vero illam omnino reiciunt, et dicunt quod sufficit mediatio seu causalitas moralis per intercessionem.

Admittunt causalitatem physicam instrumentalem card. LÉPICIER (*Tract. de B. M. V.*, pp. 526 ss.); CARD. MERCIER (in *pluribus locis Epistolarum pastoralium, prout affirmat P. Wierozinski*, in *Gregorianum*, 10 [1929], 428), P. HUGON, O. P. (in op. *La Mère de grâce*, p. 238);[1] COMMER (in op. *Relectio de Matris Dei munere in Ecclesia gerendo*, Viennae, Kirsch, 1906); P. FERNANDEZ, O. P. (in *Ciencia Tomista*, 37, 1928, 145-171); P. LAVAUD, O. P., *De la causalité instrumentale de Marie Médiatrice de toute grâce* (in *Revue Thomiste*, 32, nouvelle série, 10, 1927, 292-316, 405-422, 423-445); P. LACRAMPE, O. P., (in op. *Wszechposrednictwo N. Marji Panny*, Lublin, 1929, in-8, pp. 55-59); P. BERNARD, O. P. (in *Compte rendu des fêtes mariales de Chartres*, 1927, pp. 241 ss.; in *Rev. Sciences Philos. et Théol.*, 16, 1927, p. 420, et in *Vie Spir.*, 31, 1932, p. 24); P. CLEMENS S. M. M. (in *Standaard van Maria* 2, 1922, 161-174, 273-281; 3, 1923, 65-71; 4, 1924, 54-57); P. GIESBERTS, O. Cist. (in *Standaard van Maria*, 7, 1927, 70-72, et passim); EMILIUS SAURAS, O. P. (in art. *Causalidad de la cooperación de María en la obra redentora*, in *Estudios Marianos*, a. 2, vol. 2, Madrid 1943, pp. 319-357); P. PLESSIS, S. M. M. (in *Manuale Mariologiae Dogmaticae*, p. 268 s.) etc. [2]

Reiciunt causalitatem physicam instrumentalem P. MERKELBACH, O. P. (in *Standaard van Maria*, 2, 1922, 129-137, 242-247; 3, 1923, 33-41; et in *Xenia Thom.*, 2, 1924, 505-530), HERIS (in *Revue de Sciences Phil. et Théol.*, 16, 1927, 528), GRIKLER (in *Theol.-Prakt. Quartalschr.*, 2, 1930, 235-252); P. TERRIEN (*La Mère des hommes*, t. 1, p. 563) qui scribit quod haec opinio est «simpliciter reicienda»; P. BAINVEL (op. cit., p. 91, in nota) qui scribit: « J'avoue de n'avoir pu comprendre encore en quoi consisterait cette causalité de la Sainte Vierge, ni comment elle se exercerait »; P. DE LA TAILLE, S. J. (in *Gregorianum*, 8 [1927] 137; 7 [1926] 396) vindicat « le droit d'exclure énergiquement toute

(sicut et ipsa repraesentatio humanitatis Christi) iam est oratio *implicita* (et ideo *proprie* et stricte dicta) pro salute hominum per applicationem et distributionem fructuum passionis et compassionis. Est quaestio — ut patet — non de re sed de nomine.

[1] Ex dictis patet inanitas assertionis P. Godts: «Theologi..., ubi de actuali gratiarum collatione sermo est, nullam aliam admittunt Mariae operationem praeter meram orationem» (o. c., p. 90).

[2] P. Hugon haec scribit: « D'éminents professeurs, tant du clergé séculier que du clergé régulier, nous ont *déclaré* qu'ils étaient favorables à cette thèse » (*La causalité*, etc., pp. 201-202).

idée de causalité efficiente instrumentale chez la Sainte Vierge par rapport aux grâces. Il n'y a là qu'un myte, sans aucune parité avec le cas des Sacrements»; BITTREMIEUX (o. c., pp. 277-285) quamvis admittat sententiam hanc « vehementer extollere gloriam atque potentiam B. M. V. », illam tamen reicit, quia videtur « certitudinaliter non esse probatam », et dicit rationes allatas «ad summum huic opinioni quamdam probabilitatem adiicere ». P. FRIETHOFF, O. P. (o. c., pp 203-206) causalitatem hanc physicam censet admitti non posse « nisi forsan in uno vel alio casu particulari ». Opinionem hanc iam reiecerat SUAREZ (*In III P.*, q. 38, art. 4, disp. 23, sect. 1; *Op.* t. 19, p. 230) dicens hoc esse « inauditum ».

Hisce praenotatis ponimus propositionem:

Prop.: *B. Virgo cooperatur distributioni omnium et singularum gratiarum omnibus hominibus* I. CERTISSIME *per causalitatem moralem, seu per intercessionem, saltem inde a sua gloriosa Assumptione*; II. PROBABILITER *vero etiam per causalitatem physicam instrumentalem.*

Prob. I. pars. I. **Auctoritate**: 1) *Patrum, Doctorum et Scriptorum* Ecclesiae, qui *communiter* hunc cooperationis modum, i. e. per intercessionem admittunt. « Hoc evincunt — scribit Bittremieux, o. c., p. 266 — vel ipsi tituli, diversissimas formas induentes, a tota Traditione inde ab exordio multiplicati atque exquisiti, quibus B. Virgo salutatur ut advocata nostra, advocatrix potentissima, precatrix pro mundi salute etc. ». B. Virgo vocatur « Omnipotentia supplex ».

In particulari vero hunc cooperationis modum efferunt:

S. IOANNES DAMASCENUS qui de B. V. dicit: « cuius non repellitur intercessio, nec recusatur oratio ... » (Hom. *In Annunt. B. M. V.*; PG 96, 647).

S. ANSELMUS: « Te tacente, nullus iuvabit. Te *orante*, omnes orabunt, omnes iuvabunt » (Orat. 46, *Ad Sanctam V. M.*, PL 158, 943-944).

S. BERNARDUS: « Ad Mariam recurre ... Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua ... Semper haec inveniet gratiam » (*In Nativ. B. M. V.*, serm., PL 183, 441).

S. BONAVENTURA: « B. Virgo, nostra advocata, non potest non exaudiri » (Serm. 4 *De Annunt. B. M. V.*, *Op.*, t. 9, p. 673, *b*).

« Sed licet Virginis gratia in omnes possit redundare quantum ad gratiae *impetrationem*, non tamen per infusionem » (Serm. 5 *De Annunt. B. M. V.*, *Op.*, t. 9, p. 679).

S. APHONSUS M. DE LIGUORI: « Maria ... è mediatrice di grazia per via d'intercessione ... » (*Glorie di M.* p. 2, disc. 2, p. 166, t. 1, Torino 1880).

S. LUD. GRIGNION DE MONTFORT: «c'est notre médiatrice d'intercession ... » (*Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge*, n. 86).

2) *In Liturgia* haec mediatio Virginis per intercessionem continuo et clarissime exprimitur. (Cfr plura testimonia apud BITTREMIEUX, o. c., pp. 264-266).

II. **Ratione**: B. Virgo sicut fuit socia Christi Mediatoris in acquisitione omnium gratiarum, ita est socia Christi mediatoris in distributione omnium gratiarum. Atqui Christus est mediator in distributione omnium gratiarum per *intercessionem*, qua continuo *interpellat* pro nobis. Ergo et B. Virgo est socia Mediatoris in distributione gratiarum per intercessionem, qua continuo interpellat pro nobis.

Attamen hic bene animadvertendum est quod ista intercessio vel interpellatio Christi non est *oratio* in sensu vulgari (i. e. inferioris aut indigentis quae recusari etiam potest) sed est simplex *expressio voluntatis*. Id quod dicitur de oratione Christi, proportionaliter dici debet de oratione B. Virginis. Sicut enim interpellatio Christi est interpellatio Redemptoris et fundatur in merito de condigno, quo omnes gratias impetrandas acquisivit, ita et interpellatio B. Virginis est interpellatio Corredemptricis, et fundatur in merito de congruo quo omnes gratias impetrandas acquisivit. Iamvero sicut haec interpellatio Christi habetur ut vera et propria mediatio, ita et interpellatio B. Virginis ut talis haberi potest. Et ex hoc capite quam maxime, i. e. natura, non gradu tantum, differt intercessio B. Virginis ab intercessione Sanctorum. « Talis autem intercessio — scribit Bittremieux, o. c., p. 294 — quae comparata cum aliorum oratione, dicenda esset " Superintercessio ", non potest a Deo non exhaudiri: Sic enim exurgeret ex parte Dei inconveniens aliquod, quod, ubi de aliis Sanctis agitur, non datur ».

Recoli etiam potest quod intercessio seu mediatio omnium Sanctorum, intercessionem et mediationem Christi et B. Virginis *supponunt*. Sive ergo illam invocaverimus sive non et ideo etiam si alios Sanctos solummodo invocaverimus, sive etiam neque B. Virginem neque alios Sanctos invocaverimus, B. Virgo, sicut et Christus, semper Deum interpellat pro nobis. Alii Sancti remanent utique intercessores nostri sed secundarii, i. e. sunt mediatores seu intercessores apud *Mediatricem* et *Mediatorem*.

Prob. II. pars. I. **Auctoritate**: 1) *S. Scripturae*, in qua B. Virgo sat clare exhibetur tamquam physicum instrumentum in sanctificatione Ioannis Baptistae. Dicit enim Scriptura: « Et factum est, *ut audivit salutationem* Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius » (Luc., 1, 41); et rursus: « Ecce enim *ut facta est vox salutationis tuae* in auribus meis, exultavit infans in utero meo » (Ibid., 44). Deus ergo, *voce* B. Virginis, tamquam instrumento, usus est ad Praecursorem *sanctificandum*: gaudium enim Praecursoris — ut iam diximus — fuit supernaturale, non physiologicum, et extrinsece manifestavit gratiam a Deo *per vocem* Virginis acceptam.

Explicite de hac re Leo XIII: « Ioannes materno in utero *sanctificatur* charismate insigni, lectisque donis ad vias Domini praeparandas instruitur: haec tamen contingunt *ex salutatione Mariae* cognatam divino afflatu visentis » (Encycl. « Iucunda semper », 8 sept. 1894).

« Sed nihil obstat — animadvertit card. Lépicier (o. c., p. 479) — quominus id quod evidenti Scripturarum testimonio diximus circa sanctificationem Ioannis in utero, *ad alia quoque facta referamus*, quatenus videlicet Deipara Virgo dicenda sit physice cooperata, sub Christo Domino, sive ad gratiam conferendam, ut puta in pastorum et magorum illuminatione ac sanctificatione, sive ad miraculum aliquod complendum, sicut in mutatione acquae in vinum apud Cana Galileae ».

Nihil tandem obstare videtur quominus causalitatem illam physicam instrumentalem quam exercuit in terra, etiam in coelis, post suam Assumptionem exercere pergat. Secus, enim, minus perfecta esset in coelis ac in terris fuit: quod est evidenter inconveniens.

2) *Pontificum, Patrum, Doctorum et Scriptorum Ecclesiae*, qui saepe affirmant B. Virginem esse *thesaurariam* Christi et omnes gratias *per manus Mariae* ad nos pervenire; esse *collum* mysticum per quem omnes influxus capitis ad membra descendunt; *esse aquaeductum* per quem omnia gratiarum fluenta a fonte, qui est Christus, pertranseunt.

Iamvero omnes isti dicendi modi, etiamsi metaphorice accipiantur, plenam et completam significationem non videntur habere nisi per theoriam causalitatis instrumentalis physicae. Particula enim *per* (per manus Mariae) de se causalitatem physicam potius quam moralem designat.

Pariter, sicut causalitas *capitis* et *fontis* (Christus) est physica, ita, et causalitas *colli* (quae membra capiti iungit) et *aquaeducti* (qui recipientia fonti coniungit) physica esse debet.

Opportune animadvertit P. Hugon (o. c., p. 210): « Ils (Doctores) ne sont pas entrés dans les distinctions philosophiques de causalité physique ou morale: c'est à en déterminer la portée. C'est souvent cette analyse et cette examen des formules anciennes qui font progresser la théologie ».

Et etiam hoc sensu videtur quod intelligi debeant illa pulcherrima verba S. Lud. Grignion de Montfort quibus dicit quod Spiritus Sanctus « est devenu fécond par Marie, qu'il a épousée. C'est avec elle, en elle et d'elle qu'il a produit son chef d'œuvre, qui est un Dieu fait homme, qu'il produit tous les jours et produira jusqu'à la fin du monde les prédestinés, membres du corps de ce chef adorable: c'est pourquoi plus il trouve Marie, sa chère et indissoluble épouse, dans une âme, plus il devient opérant et puissant pour produire Jésus-Christ en cette âme et cette âme en Jésus-Christ.

« Ce n'est pas qu'on veuille dire que la sainte Vierge donne au Saint-Esprit la fécondité, comme s'il ne l'avait pas! puisque, étant Dieu, il a la fécondité, ou la capacité de produire, quoiqu'il ne la reduise pas à l'acte, ne produisant point d'autre personne divine. Mais on veut dire que le Saint-Esprit, par l'entremise de la sainte Vierge, dont il veut bien se servir, quoiqu'il n'en ait pas absolument besoin, réduit à l'acte sa fécondité, en produisant en elle et par elle

Jésus-Christ et ses membres: *mystère de grâce inconnue* même aux plus savants et spirituels d'entre les chrétiens » (*Traité de la vraie dévotion* etc. n. 20-21)· Iamvero — ut optime animadvertit P. Hugon (o. c., p. 203) — fecunditas exterior Spiritus S. est productio gratiae, non in ordine causalitatis moralis, eo quia Spiritus S. non est causa meritoria aut impetratoria, sed in ordine causalitatis physicae. Reducere fecunditatem istam ad actum nihil aliud est nisi physice producere gratiam et opera illa sanctitatis quae tertiae personae divinae appropriantur. Si ergo Spiritus S. fecunditatem suam ad actum reducit per Mariam, et si operans fit per illam, per Mariam etiam in animabus physice gratiam producit; Maria ergo est instrumentum physicum, secundarium Spiritus S. in productione gratiae, et ideo et ipsa est quodammodo *causa* gratiae. Et hoc est — iuxta S. Grignion de Montfort — *mysterium* ipsis sapientioribus et spiritualioribus, inter christianos, *incognitum*.

II. **Ratione**: Ratio probat: 1) POSSIBILITATEM et 2) CONVENIENTIAM cooperationis physicae instrumentalis S. Virginis in distributione omnium gratiarum...

1) Probat POSSIBILITATEM. Etenim ad causalitatem physicam instrumentalem requiritur quod instrumentum exerceat aliquam actionem *praeviam qua* (tamquam per *propriam* actionem et virtutem) ad effectum cum causa principali concurrat; et quod causa principalis *elevet* et *applicet* hanc actionem propriam instrumenti, per virtutem seu motionem transeuntem ipsi communicatam, qua virtute concurrere possit, cum causa principali, ad effectum aliquem, qui suam naturam excedit, producendum.

Atqui duplex haec conditio in B. Virgine verificari potest, sicut verificatur in humanitate Christi et in sacramentis. Ergo ...

Maior ex iam praenotatis patet.

Ad minorem. B. Virgo exercere potest actionem *praeviam* actioni Dei, principalis agentis, in distributione gratiarum. B. Virgo enim, causalitatem quamdam continuam et actualem respectu nostri in coelis exercet, quia omnes et singulae gratiae per manus eius seu per suam continuam et actualem mediationem — ut iam probavimus — pertranseunt. Actus eius intellectus et voluntatis, interpellatio seu intercessio eius, per quam omnia et singula dona a Deo conceduntur, tamquam *actiones praeviae* haberi possunt quae a Deo elevantur et applicantur, seu activitati suae infinitae associantur in productione et distributione omnium et singularum gratiarum. Natura humana, ergo, et facultates Virginis a virtute fluente pertransiri possunt et ita elevari ad agendum, tamquam Dei instrumentum, in productione et distributione omnium gratiarum. Et hoc eo vel magis quod, pro instrumentis *Creatoris* — ut iam praenotavimus — non requiritur ut actio praevia sit effectui producendo proportionata.

Sed contra hanc possibilitatem obici potest: Impossibile est ut instrumentum aliquod agat vel possit agere ubi non est (non datur, enim, actio in distans). Atqui actio instrumentalis B. Virginis (quae est in caelo) exerceretur in subiecta ab ipsa longe distantia (quia sunt in terra). Ergo ...

RESPONDETUR: Certe, actio instrumenti attingere debet effectum; attamen, ad hoc ut instrumentum attingat effectum, non est necesse ut *per semetipsum* praesens fiat, eo quia non per semetipsum movetur et suum influxum subiectis applicat, sed per causam principalem a qua elevatur et applicatur. Sufficit ergo quod instrumentum tangat causam principalem, et haec terminum operationis tangat: actio enim causae auxiliaris, unita et subordinata actioni causae principalis, hanc comitatur et sequitur, et ab hac super effectum totalem diffunditur. Si ergo causa principalis est infinita, nulla amplius habetur distantia, et ideo contactus instrumenti fieri potest ubique, quia causa principalis est ubique et in instrumentis et in effectu. Ita, e. g. — secundum plures theologos — virtus ignis inferni aeternae iustitiae instrumentum, a Deo, causa principali, ita dirigi et ferri potest ut cruciet daemones qui pervagantur in mundo. Eodem modo, quia Deus, causa principalis, praesens est et in B. Virgine et in animabus nostris, potest evidenter super nos actionem instrumentalem eiusdem Virginis deferre. Ergo omnino possibilis apparet causalitas physica instrumentalis B. Virginis in gratiae productione et distributione.

2) At ratio nedum possibilitatem sed etiam multiplicem CONVENIENTIAM huius causalitatis instrumentalis ex parte B. Virginis probat, quae multiplex convenientia existentiam huius magnae perfectionis in ipsa requirere videtur.

a) Prima et fundamentalis ratio desumitur *ex parallelismo inter humanitatem Christi et B. Virginem*. Humanitas Christi, ut physicum instrumentum (coniunctum et primarium) se habuit et habet in productione et distributione gratiae. Ergo a pari B. Virgo ut physicum instrumentum (separatum et secundarium) se habuit et habet in productione et distributione gratiae.

Prob. antecedens: quod humanitati Christi competat actio *instrumentalis* ex S. Scriptura et Traditione clare patet. Plures enim Evangeliorum textus actionem physicam Humanitatis Christi (verba, tactus, unctiones etc.) in patratione miraculorum revelant: quae facta solummodo per causalitatem physicam instrumentalem sufficienter explicantur. Dicit Evangelium quod « virtus de illo exibat » (Luc. 5, 19): ergo caro Christi in patratione miraculorum partem (instrumentalem) habebat. Ad quid enim actiones illae *praeviae* humanitatis si Verbum tantummodo operabatur? ... Nihil aliud fuissent nisi *occasiones*. Iure *Conc. Ephesinum* dicebat « carnem Christi *vivificatricem* esse quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis ». (can. 11, Denz., n. 83). Iamvero, causalitas vivificans Verbi est, procul dubio, *physica*; ergo et virtus carni Christi communicata *physica* esse debet.

Scriptores Ecclesiae persaepe dicunt *humanitatem* Christi fuisse *organum Verbi*, *organum divinitatis*, et iste dicendi modus non causalitatem moralem sed causalitatem physicam exprimit.

Hoc clarissime et indubitanter docet S. Thomas (Cfr 3, p., q. 8, a. 1, ad 1; q. 13, a. 2; q. 48, a. 6; q. 49, a. 1; q. 43, a. 2). Perfectio ista Humanitati Christi, quae fuit cooperatrix Verbi in opere redemptionis, maxime conveniens erat.

Prob. consequens: Posita hac perfectione in Humanitate Christi, ponenda est etiam in B. Virgine. Etenim, B. Virgo mater Christi, ita in consilio divino *inseparabilis* est a Christo, ut recipiat in se participative et *secundario* id omne quod Christus plene et primario habet: quidquid est in Christo *de condigno*, in B. Virgine invenitur *de congruo*. Et ideo, ubicumque Christus est instrumentum primarium et coniunctum, B. Virgo debet esse instrumentum secundarium et separatum. Atqui Christus — ut probavimus — est instrumentum physicum primarium et coniunctum in gratiae productione et distributione. Ergo B. Virgo, Mater Eius, instrumentum physicum secundarium et separatum in gratiae productione et distributione esse debet.

Sicut ergo Christus sibi sociare dignatus est B. Virginem matrem suam in *causalitate morali* gratiae (ut Socia in interpellatione seu intercessione) ita — ut plena fiat associatio — illam sociare etiam debuit in *causalitate physica*. Etenim, si omnis gratia ab hac duplici mediatione seu causalitate Christi, morali et physica, derivatur, B. Virgo, quia cooperatur distributioni omnium et singularum gratiarum, etiam huius duplicis mediationis seu causalitatis particeps esse debuit. Eo vel magis quod maternitas plena supernaturalis continuam praesentiam et actionem matris in filios requirit. Haec vero praesentia et actio Virginis in animabus nostris erit maximae realitatis et efficaciae si, praeter causalitatem moralem (per intercessionem) etiam causalitas *physica* admittatur. Per causalitatem physicam ergo, Mater nostra realiter et continuo adest nobis: quo nihil dulcius aut iucundius concipi potest.

b) *Ex parallelismo inter alias creaturas et B. Virginem*. Est principium in Mariologia communiter receptum: omnia quae Deus alicui creaturae contulit, sublimiori modo Mariae etiam contulit, dummodo nihil obstet. Atqui Deus contulit creaturis causalitatem physicam instrumentalem in productione et distributione gratiae. Ergo illam etiam Mariae conferre debuit.

Ad Min. Sic Deus contulit *Sacramentis* N. L. et *sacerdotibus* (per sacramenta) causalitatem instrumentalem physicam producendi et distribuendi gratiam. Imo, potuisset Christus sacerdotes instrumenta physica gratiae constituere absque ritu sacramentali, ex simplici eorum imperio.

Tandem, « si id Sanctis — scribit card. Lépicier, o. c., p. 480 — concessum videmus ut miracula faciant, non solum impetrando, sed, ut habet Angelicus, ex potestate, in quantum divinum imperium deferunt (II-II, q. 178, a. 1, ad 1),

si Sanctorum reliquiis tantam Deus contulit virtutem, ut ad illarum contactum aegri sanentur, quinimmo, si quibusdam imaginibus sacris, quas rite thaumaturgas vocamus, talem Deus vim adnexuit ut ad illas confugientes favores non solum corporales, sed etiam spirituales percipiant, cur dubitare debebimus similem virtutem Matri Dei fuisse concessam, a qua omne opus nostrae salutis auspicium sumpsit? ».

Cum ergo thesis de causalitate physica instrumentali in maiorem redundet gloriam B. Virginis et vere solida probabilitate nedum extrinseca sed etiam intrinseca gaudeat, illam toto corde admittimus et laeti profitemur.

Conclusio.

Si ergo B. Virgo cum et sub Christo cooperatur, moraliter et physice distributioni omnium et singularum gratiarum, ita ut omnis gratia « a Deo in Christum, a Christo in Virginem et a Virgine in nos ordinatissime dispensetur » (Leo XIII, Enc. « Iucunda semper »), ad ipsam, tamquam ad gratiae thronum, *maxima cum fiducia* accedamus. «Quaeramus gratiam et per Mariam quaeramus! » (S. Bernardus, *In Nativ. B. M. V.*, n. 8. PL 183, 441 s.).

Tria enim sunt quae maxime in indigentibus fiduciam erga aliquem excitant, nempe: quod ille ad quem accedimus SCIAT omnes necessitates nostras, POSSIT opem nobis ferre, et VELIT de facto opem ferre.

Iamvero haec tria in B. Virgine perfecte inveniuntur:

1) Illa enim plenissime SCIT omnes et singulas necessitates nostras sive temporales, sive spirituales. Quilibet enim beatus in visione beatifica ea omnia cognoscit quae ad ipsum aliquo modo *pertinent*. Iamvero ad B. Virginem, tamquam ad Corredemptricem et matrem omnium, omnes omnino pertinent in omnibus existentiae ipsorum momentis. Et ideo omnes omnino illos cum omnibus necessitatibus eorum *videt* et cognoscit.

2) B. Virgo, insuper, POTEST nos in omnibus adiuvare, cum sit « Omnipotentia supplex » et ideo quod Deus imperio, B. Virgo prece potest, ita ut eius petitio non possit non exaudiri. Dum enim alii Sancti, per bona ipsorum opera meruerunt exaudiri, B. Virgo meruit de congruo *illa omnia* quae petit.

3) B. Virgo, tandem, VULT omnes adiuvare, eo quod omnes ut filios diligit et caritas eius transcendit caritatem omnium Sanctorum etiam simul sumptorum. Cui ergo sit gloria, laus et honor per infinita saecula saeculorum.

Cap. II – DE B. MARIA V. UNIVERSORUM REGINA

BIBLIOGRAPHIA: Barré, C. S. Sp., *Marie, Reine du Monde*, in *Bull. de la Soc. Française d'Et. Mar.*, 1937, p. 21-76; Idem, *La Royauté de Marie pendant les neuf premiers siècles*, in *Rech. de Science Rel.*, Avril 1939, p. 129-162, Iuin 1939, p. 303-334; Commenginger, *Unsere Königin*, Paderbon, Schöning, 2 vol., 1931; De Gruyter, *De Beata Maria Regina*, Marietti, 1934; Dillenschneider C., C. SS. R., *Souveraineté de Marie*, in *Compte rendu du Congrès Marial de Boulogne sur Mer*, 1938, p. 126 ss.; Garénaux P. M., *La royauté de Marie*, Paris, Téqui, 1936; Geenen I. B., *Maria Koningin*, Autwerpen, 1944; Luis A., C. SS. R., *La Realeza de Maria*, Madrid, 1942, p. 144 in 8° gr.; Kelly A., *The Reign of Our Lady with Christ the King*, Rome 1940; Maria Koningin, *Verslagboek der vijfde Mariale Dagen*, 1935, Norbertijner Abdij Tongerloo, 1935. Scripta plurium auctorum ibi referuntur (Cfr *Druwé* in *Nouv. Rev. Théol.*, 1935, p. 968-969; Moureau E., *La royauté de Marie dans la liturgie*, in *Rev. eccl. Liége*, 32 (1945) 84-102; Porra I., *Regina, o la Regalità della Madonna*, Padova, 1927; Roschini G., O. S. M., *Per la Regalità di Maria*, estratto dal *Marianum*, 4, (1942) 225-240; Santonicola A., C. SS. R., *La regalità di Maria*, Pagani, 1938; Sosio d'Angelo, *La Regina Sovrana d'Amore*, L.I.C.E., Torino, 1927.

Praenotanda

Secundum consectarium singularis missionis seu universalis maternitatis B. M. Virginis, est eius universalis Regalitas.

I. Adversarii.

Primus qui negavit B. Virginem esse *Reginam*, Lutherus fuisse videtur. «Primus autem ut suspicor — scribebat S. Petrus Canisius — Lutherus fuit qui hanc nobis Catholicis calumniam strueret, quod quandoquidem Mariam caeli Reginam salutamus, Christo iniuriam irrogari, quod enim soli Deo debetur, id tribui creaturae» (*De Maria Virgine incomparabili*, L. 5, c. 13).

Lutherum secuti sunt Iansenistae. In opere enim *Monita salutaria*, B. Virgo *conserva nostra* exhibetur: «conserva vestra sum» (mon. 6, apud Bourassé, *Summa aurea*, t. 5, col. 158).

Sive contra Lutherum sive contra Iansenistas, auctores Catholici insurrexerunt. Attamen, in quonam praecise haec Virginis praerogativa consistat, solummodo nostris diebus Theologi determinare coeperunt.[1]

[1] Anno 1864 Episcopi quidam exposuerunt Pio IX desiderium piorum quorumdam fidelium pro solemni proclamatione Regalitatis Mariae. Cui benigne Pontifex annuere coepit. (Cfr Broussolle, *L'Assomption*, Paris, Téqui, 1918-1920, t. 3, pp. 179 et 180). Idem votum prolatum est in Conventibus Marianis Lugdunensi (1900), Friburgensi (1902) et Einsidelnensi (1906). Haec, ut videtur, causa praecipua fuit cur hoc Virginis privilegium magis magisque perscrutaretur.

II. Notio nominum «Rex», «Regina»

Nomina « Rex », « Regina » dicuntur a *regere* seu ordinare res in finem; hinc, iuxta S. Thomam (in op. *De regimine principum*, l. 1, c. 1), Rex vel Regina dicitur ille vel illa qui munus habet regendi seu gubernandi societatem perfectam, seu « ordinandi unius multitudinem societatis perfectae in finem communem ».

Ad hoc autem ut rex ordinet multitudinem societatis perfectae in finem communem, munus regium duo requirit: *excellentiam virtutis* et *primatum* super omnìa societatis membra. Requirit munus regium *excellentiam virtutis*, quia tanto magis requiritur virtus quanto plurium est regitiva. Requirit *primatum* super omnia societatis membra, quia omne ordinans seu movens prioritatem seu primatum habet supra id quod movetur. « Ab his duabus qualitatibus muneri regio adnexis — animadvertit de Gruyter, o. c., p. 3 — usus loquendi hominum nomen "rex" transtulit ad eos quos in aliquo respectu v. g. in arte, scientia, fortitudine etc. maioris virtutis vel prioritatis super ceteros esse cognovit. Sic Virgilius dicitur rex poetarum; sic Romae, puer qui ceteris felicius examen cathechismi subiit, Imperator proclamatur.

Nomen « rex » ergo sumptum *improprie* et *analogice*, significat « *illum qui in aliquo respectu maioris virtutis est atque primatum supra ceteros habet* ».

Quod dicitur de nomine « Rex » valet etiam pro nomine « Regina ».

Affine nomini « Rex, Regina » est nomen « Dominus, Domina ». Iamvero *dominium* — iuxta S. Thomam (I, q. 96, a. 4) — dupliciter sumitur: « uno modo secundum quod opponitur servituti — et sic dominus dicitur cui aliquis subditur ut servus. Alio modo accipitur dominium secundum quod communiter refertur ad subiectum qualitercumque — et sic etiam ille qui habet officium gubernandi et dirigendi liberos, dominus dici potest... ».

Servus in hoc differt a libero, quod liber est causa sui, servus autem ordinatur ad alium. Tunc ergo aliquis dominatur alicui *ut servo* quando eum, cui dominatur, ad propriam utilitatem sui, scilicet dominantis refert. Tunc vero dominatur aliquis alteri *ut libero*, quando dirigit ipsum ad proprium bonum eius qui dirigitur, vel ad bonum commune ».

Igitur, in secundo modo, nomen *dominus*, saltem si agatur de societate perfecta aequivalet nomini *rex*, et *dominium* idem dicit ac *munus regium*.

III. De muneris regii potestatibus.

Munus regium seu principatus, — ut animadvertit Pius XI in Encycl. « Quas primas » — *triplici potestate* continetur « qua si caruerit, principatus vix intelligitur »: 1) potestas *legislativa* qua opportunis legibus *media* obligatorio modo proponuntur ad finem communem assequendum; 2) *potestas iudiciaria* qua auctoritativo iudicio *ius controversum* in casibus particularibus definitur aut *ius laesum* ad poenas, lege statutas applicandas declaratur; 3) *potestas executiva*,

qua *executio* eorum quae lege vel sententia statuta sunt, *promovetur*, adhibita etiam, si opus fuerit, vi coactiva.

Potestas iudiciaria et executiva a potestate *legislativa* dimanant atque dependent; et ideo potestas legislativa, inter alias potestates primatum obtinet (Cfr OTTAVIANI, *Iust. Iuris Publici Eccl.*, 1, Romae, 1925, pp. 94-96).

IV. **De munere regio Christi.**

Cum regnum B. Virginis a regno Christi non sit diversum, eo quia B. Virgo est particeps in regno supernaturali Christi, antequam ad regalitatem B. Virginis perscrutandam accedamus, necesse est regalem dignitatem Christi cognoscere. Etenim, iuxta notum principium: « ex dignitate Christi exquirenda et intelligenda est dignitas Mariae », et ideo ex regalitate Christi exquirenda et intelligenda est regalitas Mariae.

Iamvero Christum regem fuisse, ante omnia *improprie et analogice* « seu translata verbi significatione ... ob summum *excellentiae gradum*, quo inter omnes res creatas praestat atque eminet »[1] patet omnino.

At Christus nedum *improprie et analogice* sed etiam *proprie et formaliter* Rex universorum dicendus est, quatenus habet *dominium* omnium et omnes ad finem communem ordinat. « Nemo non videt — scribit Pius XI [2] — nomen potestatemque Regis, *propria quidem verbi significatione*, Christo *homini* vindicari oportere ». Et hoc *duplici titulo*,[3] nempe: 1) *titulo naturali*, *hereditatis*, quatenus est *Homo-Deus*, seu ratione unionis hypostaticae, vi cuius tantum habet imperium ut omnes creaturae etiam reges et angeli, debeant illi obedire et subiici absolute; licet noluerit, in terris degens, regiam hanc potestatem exercere;

2) *titulo acquisitionis*, respectu nostri, i. e. quatenus *Redemptor* noster, eo quia nos « acquisivit sanguine suo » (Act. 20, 28).

Scribit PIUS XI: « At vero, quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis *iure non tantum nativo* sed etiam *quaesito*, scilicet redemptionis, imperare? ».[4]

Quod vero Christo competat *triplex illa potestas*, propria muneris Regis, clare demonstrat idem Pontifex in iisdem Litt. Encycl., ad quas lectores remittimus. Aliquid tamen de momento singularum potestatum dicendum est. Munus Christi regium, secundum indolem regni eius supernaturalis, *essentialiter*, constituitur potestate *legislativa* qua homines, saltem in ordine supernaturali, perfecte et complete ad finem deduci possunt per gubernationem sive *interiorem* (qua Christus gratias confert hominibus) sive *exteriorem* (promulgando legem

[1] Encycl. « Quas primas ». *AAS* vol. 17, p. 595.
[2] Ibid.
[3] Ibid.
[4] L. c., p. 599.

supernaturalem). Potestas legislativa quae respicit gubernationem interiorem est principalis, illa vero quae gubernationem exteriorem respicit, est secundaria.

Potestas *iudiciaria* et *executiva* sunt potius partes *integrantes* muneris regii Christi.

Haec regia Christi potestas *primario et directe* est *supernaturalis*, *spiritualis*, *secundario* vero et *indirecte* est etiam *naturalis* et *temporalis* i. e. circa res temporales quatenus ad finem supernaturalem et spiritualem respectum habent eumdemque vel promovere vel impedire possunt. (Encycl. « Quas primas », p. 600).

Haec regia Christi potestas est insuper *universalis*, quia in *omnes*, per gratiam capitalem, spiritualia bona ipse influit (S. Th. 3 p., q. 8), *perfecte* in *Beatos*, quibus confert gratiam et gloriam; in *iustos* influit gratiam et charitatem; in *fideles peccatores* influit habitus supernaturales fidei et spei; in *schismaticos*, *haereticos*, *Iudaeos*, *paganos*, gratias actuales illuminationis et inspirationis quibus ad salutem disponi possint. In *angelos* quoque Christus supernaturaliter influit, tum illos de multis illuminando, tum gaudia etiam ipsis per suam humanitatem praestando. In *damnatos* vero iam non influit motum supernaturalem, sed remanet eorum iudex, et regnat in eos per iustitiam quia illum per misericordiam regnare noluerunt.

Hinc, *titulo hereditatis* et ratione unionis hypostaticae, regnum Christi respicit *omnes creaturas*; titulo vero *acquisitionis* et ratione gratiae capitalis, omnes homines et angelos respicit, quorum omnium est caput (col., 2, 10).

V. De munere regio B. M. Virginis.

Quae de Christo Rege diximus, de B. Virgine etiam *analogice*, debita proportione servata, dici debent. Necesse igitur est ut *natura* et *tituli* regalitatis B. M. Virginis bene perspiciantur.

A) **Natura muneris regii Deiparae.** Quod B. Virgo, sicut Christus, Regina dici possit sensu *improprio seu metaphorico*, quatenus scilicet primatu et excellentia supra ceteros omnes gaudet, nullimode dubitari potest. Ipsa enim est mulier illa inter omnes mulieres benedicta, quae ratione divinae maternitatis et donorum ab ipsa profluentium, dignitate et perfectione ceteras omnes creaturas singulariter antecellit, ordinem a se constituens, inter ordinem hypostaticum (ad quem intrinsece pertinet) et communem ordinem gratiae consistens. Iure igitur meritoque ab Ecclesia, in Litaniis Lauretanis, B. Virgo appellatur *Regina Angelorum*, ob supereminentem eius intellectum, *Regina Patriarcharum*, ob supereminentem eius pietatem, *Regina Prophetarum*, ob supereminentem eius donum prophetiae, *Regina Apostolorum*, ob supereminentem eius zelum, *Regina Martyrum*, ob supereminentem fortitudinem, *Regina Confessorum*, ob supereminentem fidei confessionem, *Regina Virginum*, ob supereminentem puritatem, *Regina Sanctorum omnium*, ob supereminentem eius sanctitatem seu

ob singularissimam plenitudinem gratiae et gloriae. Huius primatus excellentiae, ratio fundamentalis sita et in singularissima Virginis cum Deo coniunctione ratione maternitatis divinae. « Homo, enim, quanto magis Deo coniungitur, tanto efficitur melioris conditionis » (*S. Th.*, I-II, a. 1, ad 2).

Attamen, nedum sensu improprio et metaphorico, id est *ratione excellentiae*, sed etiam *sensu proprio* seu *ratione dominationis* B. Virgo Regina appellari debet. Exercet enim et ipsa, *influxum quemdam dominativum*, influxui Christi *analogum*, in omnia membra Societatis supernaturalis ad finem communem illa dirigendo.

Dixi quod influxus dominativus quem Deipara exercet, est *analogus*, non vero univocus influxui a Cristo Rege exercito. Influxus enim eius non est proprie et formaliter *iurisdictionalis* (sicut influxus Christi), sed est influxus matris aut sponsae regis, id est *Reginae* conveniens, secundum intercessionem et voluntatum concordiam. Regium enim munus Regis proprium, identificari nequit cum regio munere Reginae, ita ut Regina eandem omnino potestatem habeat ac Rex (sicut e. g. in Hollandia). Agitur, ergo, de munere regio *secundum sexum femineum*. Frustra igitur, Theologi quidam[1] probare conantur in B. Virgine triplicem potestatem formaliter *iurisdictionalem*, potestatem nempe legiferam, iudicialem et coactivam, cum haec potestas formaliter iurisdictionalis ex fontibus revelationis, prout videbimus, nullimode deduci potest. Influxus igitur dominativus Deiparae est *analogus*, non vero univocus influxui dominativo Christi Regis. Et ideo munus regium Deiparae comparari nequit muneri regio Reginae quae locum Regis teneat (prout fit, e. g., in Hollandia), sed comparari debet muneri Regio illius quae est *Mater et Sponsa Regis*, seu Regina. Cuilibet autem Reginae (Matri aut Sponsae Regis) propter coniunctionem cum Rege, duo competunt, videlicet: *personale* fastigium relate ad subditos et *validissimus intercessionis influxus* apud ipsum regem. 1) In qualibet enim Regina, splendor dignitatis regis sua sponte reflectitur, ex quo peculiaris quaedam dignitas et auctoritas necessario dimanat, praesertim cum Regina, praerogativis omnibus a munere suo requisitis ornata refulget. Hinc fit ut iure subditi, sive Regem sive Reginam, tamquam unicam personam moralem, communi et indissolubili veneratione et servitute prosequuntur. Ita fit, sive in terra sive in caelis, relate ad Deiparam.

2) At. praeter *personale fastigium*, recognoscenda est in qualibet Regina, et ideo *analogie* etiam in Deipara, *specialis potestas intercedendi* pro subditis suis apud ipsum Regem, ita ut cum ipso potestatem dominandi aliquo modo (et semper secundum sexum femineum) participet.

Specialis haec *potestas impetrandi* triplici qualitate gaudet, ratione cuius B. Virgo quamlibet Reginam terrenam in potestate impetrandi superat, videlicet: *efficacitas*, *universalitas* et *necessitas*. *a*) *Efficacitas*, eo quod, utpote Regina

[1] E. g. De Gruyter (in o. c.) aliique.

« quidquid voluerit a Rege Filio impetrare potest » (S. R. BELLARMINO, Concio super *Missus est*, *Op. omn.*, ed. Vivès, t. 2, p. 477). « Caeli terraeque Regina a Domino constituta ... Maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest » (In Bulla *Ineffabilis*). *b*) *Universalitas*: etenim, « maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita » (In Bulla *Ineffabilis*). Ipsa enim est distributrix omnium gratiarum ac « Mediatrix Mediatorum omnium ». *c*) *Necessitas*, quia haec est, in oeconomia praesenti, gratiarum omnium via a Deo liberrime, ex sapientissimo suo consilio, statuta.

Modus vero quo Regina caeli influxum dominativum exercet, a principio consortii determinari potest. Ipsa enim est « coadiutrix et socia, particeps in regno, quae fuit particeps passionum pro genere humano » (S. ALBERTUS M., *Mariale* q. 42). Christus enim Rex nihil facit, independenter a voluntate Matris, Reginae. Et hoc modo B. Virgo, particeps aliquo modo fit triplicis illius potestatis (legislativa, iudicialis et coactiva) quae proprie seu *iurisdictionaliter* ad solum Regem pertinet. Etenim, *a*) Christus *leges condit*, et propria voluntate ad illas observandas obligat; sed Deipara Regina, illi assentit, nobis repetens illud: « Quodcumque dixerit vobis facite » (Io., 2, 5). *b*) Christus, iure proprio, iudicat et sententiam irrevocabiliter pronuntiat at, sententia illa, si est sententia misericodiae, cum misericorde Virginis interventu, imo ob ipsum pronuntiata fuit; si vero est sententia iustitiae, non absque Virginis consensu pronuntiatur a Christo. *c*) Christus, iure proprio, quae lege vel sententia iudiciali statuerat exequitur; at non sine consensu Matris suae Reginae. Ita B. Virgo, pro modo suo, particeps fit in regno, sicut particeps fuerat in acquisitione eiusdem regni.

B) **De titulis muneris regii Deiparae**. Plures a Theologis assignantur, videlicet: 1) iure nativo, ob maternitatem divinam, 2) iure acquisitionis, ob cooperationem ad redemptionem; 3) quia Sponsa Spiritus S.; 4) iure hereditario, quia orta ex stirpe regia David; 5) iure donationis a Christo receptae; 6) iure electionis etc. At omnes isti tituli ad duplicem fundamentalem titulum reducuntur, videlicet ad *maternitatem divinam* et ad *Cooperationem immediatam ad redemptionem*, iuxta illud Suarezii: « B. Virgo, *eo quod Mater Dei est*, habet speciale quoddam ius et dominium in omnes creaturas ... alium titulum huius dominii, scilicet, quia *ad nostram redemptionem singulari modo cooperata est* » (*De Myst. vitae Chr.*, Disp. 21, sect. 2, n. 4, ed. Vivès, t. 19, p. 326 et 327). B. Virgo, igitur, sicut et Christus, iure sive *nativo* (quatenus *Mater Dei*) sive *quaesito* (quatenus *Corredemptrix*) appellanda est Regina.

Haec autem omnia, quae hucusque exposuimus, sive relate ad naturam sive relate ad titulos muneris regii Deiparae, ex universa traditione Christiana aperte comprobantur.

Prop.: *B. Virgo, qua Mater Dei et qua Corredemptrix hominum, sensu quodam vero et proprio Regina appellanda est.*

Prob. I. Ex Magisterio Ecclesiastico: Plures RR. Pontifices de munere regio Deiparae locuti sunt videlicet:

1) Sixtus IV. B. Virginem appellat « reginam coelorum » (in Const. « Cum praecelsa » (Denz., n. 734).

2) Leo XIII: « divina et perpetua *necessitudo* qua ipsa (B. V.) cum Christi gaudiis et doloribus, opprobriis et triumphis *tenetur in regendis hominibus* iuvandisque ad aeterna » (Enc. « Magnae Dei Matris »; Cfr Bittremieux, *Doctr. Mariana Leonis XIII*, pp. 92-93).

« Sic eam *superi et mundani regni manet corona*. quod invicta futura sit regina martyrum; sic in coelesti Dei civitate per aeternitatem omnem *coronata assidebit ad Filium*; quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria, redundantem tristitia calicem sit cum illo exhaustura » (Ibid.).

«Stellanti diademate a Filio Deo aucta, apud ipsum sedet *regina* et *domina universorum* » (Enc. « Iucunda semper », l. c., pp. 111-112).

B. V. « *universorum Regina* stellante ibi (in Paradiso) corona praefulget » (Enc. « Fidentem », l. c., p. 149).

3) Pius X: « Sedet Ille (Christus) ad dexteram Maiestatis in excelsis (Hebr., 1, 3): Maria vero *adstat regina a dextris eius*, tutissimum omnium periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum *ipsa duce*, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente » (Enc. « Ad *diem illum* », Bittremieux, o. c., p. 148).

4) Pius XII, in nuntio radiophonico diei 13 maii 1946 occasione celebrationum Fatimae, aiebat: « E l'empireo vide che Ella era veramente degna di ricevere l'onore, la gloria, l'impero — perchè più ricolma di grazie, più santa, più bella, più sublime, incomparabilmente più dei maggiori santi e degli angeli più eccelsi, soli o tutti insieme uniti — perchè misteriosamente imparentata in virtù dell'unione Ipostatica con la SS.ma Trinità, con Colui che solo è per essenza Maestà infinita, Re dei Re e Signore dei Signori, quale Figlia primogenita del Padre, Madre tenerissima del Verbo, Sposa prediletta dello Spirito Santo — perchè Madre del Re divino, di Colui al quale il Signore Iddio,fin dal seno materno diede il trono di David e la regalità eterna nella casa di Giacobbe (Luc., 1, 32-33), di Colui che affermò di aver avuto ogni potere in Cielo e in terra(Matt. 28, 18). Egli il Figlio di Dio riflette sulla Madre celeste la gloria, la maestà, l'impero della Sua Regalità, — perchè associata come Madre e Ministra al Re dei martiri nell'opera ineffabile dell'umana Redenzione, Gli è per sempre associata con un potere quasi immenso nella distribuzione delle grazie che dalla Redenzione derivano (cfr. Leone XIII Enc. « Adiutricem »).

Gesù è Re dei secoli eterni per natura e per conquista; per Lui, con Lui, subordinatamente a Lui, Maria è Regina per grazia, per parentela divina, per conquista, per singolare elezione. E il Suo regno è vasto come quello del Suo Figlio divino, perchè nulla al Suo dominio è sottratto.

Per questo la Chiesa La saluta Signora e Regina degli Angeli e dei Santi, dei Patriarchi e dei Profeti, degli Apostoli e dei Martiri, dei Confessori e delle Vergini; per questo La acclama Regina dei Cieli e della terra, gloriosa degnissima Regina dell'Universo: « Regina Universorum, Regina caelorum, gloriosa Regina Mundi, Regina mundi dignissima » e ci esorta a invocarLa giorno e notte tra i gemiti e le lacrime di cui è fecondo questo nostro esilio: « Salve Regina, Madre di misericordia, vita, dolcezza, speranza nostra ... ».

Testimonia ista thesim nostram ita reddunt *certam* ut omnis formido oppositi excludatur. Pontifices enim, in Encyclicis, ut « supremi Pastores et Doctores omnium fidelium agunt », et ideo cum ordinaria adsistentia Spiritus S. procedunt.

Testimoniis RR. Pontificum adiungenda sunt testimonia Liturgiae.

Tum in Eccl. Occidentali, tum in Eccl. Orientali persaepe B. Virgo « Regina aut Domina » dicitur, non solum in sensu improprio et analogico sed etiam in sensu *proprio et formali*.

a) In Lit. *Romana*: « Throno propinqua Filii, *cunctis creatis imperat* »; « cum Christo regnat in aeternum », « Coeli Regina et mundi Domina », « Domina Angelorum », « Domina nostra »: quae omnia munus regium proprium et formale significant.

Expressius in novo Officio B. M. V. omnium Gratiarum Mediatricis in ant. ad Vesp.: « Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit nec quidquam est, quod non in mea sit potestate vel non tradiderit mihi »; et in ant. ad Bened.: « Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra ». [1]

b) In Lit. *Orientali*, quae est magis dogmatica, saepius quam in Lit. Occ. B. Virgo « Regina » etiam in sensu proprio et formali proclamatur.

Sic, in Lit. *Coptica* B. V. dicitur Regina *vera*, fidelis advocata, *antistes* fidelis totius generis *humani*.

In Lit. *Aethiopica*: *vere* Regina, Domina, Mediatrix ante D. N. I. C.

In Lit. *S. Ioannis Chrysostomi*: Regina *nostra Princeps et Domina totius creationis*, Domina *nostra* quae est propitiatio ardens et murus irrefragabilis, *fons gratiae* et refugium mundi; et invocatur tamquam adiutrix, praesidium, protectio. Ita, demum, precatur: « *custodi* servos tuos sicut *dominatrix* ac firmamentum mundi ».

[1] Nostris diebus Pius XI, Vicariatui Ap. Canalis Suez, in quo Ecclesia Cathedralis est B. Virgini *Reginae* dicata, facultatem concessit adiungendi in Litaniis Lauretanis invocationem: *Regina mundi, ora pro nobis*.

In Lit. *S. Iacobi*: Regina *nostra*. In Lit. *S. Basilii* et in Lit. *Maronitica*: Domina *nostra*.

In *universa* Ecclesia, ergo, lex supplicandi clare statuit legem credendi quod B. Virgo sit « Regina », « Domina », in sensu etiam proprio et formali. Argumentum ex Liturgia desumptum thesim nostram *plene certam* reddit, quia *universa* Ecclesia, sicut in lege credendi, ita in lege supplicandi errare non potest. (Cfr De Gruiter, o. c., pp. 68-78, ubi quamplurima testimonia ex Liturgia relata inveniuntur).

Prob. II. Ex S. Scriptura. Quamvis argumenta *explicita* et *directa* desint, plura tamen habentur ex quibus aliquo modo assertio nostra deduci potest.

A) Ex V. Testamento: 1) In *Protoevangelio* (3, 15) B. Virgo promittitur a Deo ut socia Redemptoris seu ut Corredemptrix. Sed Christus titulo etiam *acquisitionis*, seu redemptionis, est Rex; Ergo B. Virgo, ratione eiusdem tituli, sicut debebat esse Socia Christi in redemptione, ita esse dedebat *Socia Christi in regno*.

2) *In Ps.* 44, v. 10, B. Virgo tamquam Regina exhibetur: « adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate ».

In hoc psalmo messianico qui rite — ut animadvertit Card. Lépicier in *Comment. in Psalmos*, vol. 1, p. 296 — clavis Cantici Canticorum dictus est, amores celebrantur Regis Messiae, cum *sponsa* quae est principaliter et singulariter B. Virgo. Hinc, Regina illa, in sensu litterali *allegorico*, est B. Virgo.

3) B. Virgo praefiguratur, ut Regina, praesertim a *Betsabea*, matre Salomonis, et ab *Esther*. *a*) De *Betsabea* legitur (in 3 Reg. 2, 19): « Venit ergo Betsabee ad regem Salomonem ut loqueretur ei pro Adonia; et surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam et sedit super thronum suum; positusque est thronus matri suae quae sedit ad dexteram eius ».

b) De *Esther* vero (2, 17, et 5, 3) legitur: « Adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram ea super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius fecitque eam regnare in loco Vasthi ». « Dixitque ad eam rex: Quid vis, Esther regina? quae est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi ». Iamvero, *Betsabee* et *Esther figurae* fuerunt Mariae Reginae, prout saepe SS. Patres et Theologi et ipsa Liturgia docent.

B) Ex N. Testamento: B. Virgo ostenditur ut « Mater Regis »: *a*) *Angelus* in Annunciatione, B. Virgini de *Filio* eius dicit: « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: et regnabit in domo Iacob in aeternum » (Luc., 1, 32); *b*) Elisabeth « repleta Spiritu Sancto » exclamat: « Et unde hoc mihi ut veniat *mater Domini mei* ad me? ». [1]

[1] Iure animadvertit Cerfaux: « Le Christ a été présenté avant tout dans des versets précédents du ch. 1 comme le *Roi* successeur de David, κύριος prend donc ici son sens ordinaire qui en fait le synonyme de δεσπότης ou de βασιλεύς. La mère du Souverain, c'est elle-même

Iamvero, quamvis mater regis non habeat eamdem potestatem gubernandi ac rex, influxus tamen eius multum valet apud eum. Et de facto Elisabeth, mater servi, sese inclinat Matri Regis, tamquam *Dominae* (cfr ORIGENES, *Homil. in Lucam*, PG 13, 1901 C). Ipsum *Mariae* nomen, iuxta quosdam, significaret *Domina*. « Sciendum quod Maria, sermone Syro, *Domina* nuncupatur » (S. HIERONYMUS, *Liber de Nominibus hebraicis*, PL 23, 842).

Sensus vocis *Domina κυρία* determinari debet a subiecto cui applicatur. Etenim, « omnis Regina est Domina, non e contra » (S. ALBERTUS M., *Mariale*, q. 163). Iamvero subiectum cui applicatur, in casu est Mater *Domini* seu *Regis* Regum. A Maternitate Regis ad titulum *Reginae facilis* fuit et logicus transitus. [1]

Prob. III. Ex Traditione. Traditio Patristica et Theologica in tria veluti stadia dividi potest: 1) Ab aetate apostolica usque ad saec. VIII; 2) a saec. VIII tusque ad saec. XII; 3) a saec. XII usque ad aetatem nostram. [2]

1) *Ab Aetate apostolica usque ad saec. VIII.* Circa saec. III, B. Virgo « Regina mundi » appellatur a Sybilla Libica, in oraculis sybillinis. Iuxta S. EPHRAEM SYRUM († 373), B. Virgo « omnium est post Trinitatem Domina », « omnium mortalium Domina » quia est « sola facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus », « Mediatrix quae precibus suis veniam largitur »; et concludit seipsum « servum Mariae » nominando. (Cfr ASSEMANI, *Op. Graeca*, . 3, pp. 524, 528-531, 534, 536, 537, 545, 548-549). At testimonia haec cum aliqua formidine sunt accipienda.

In modo ipso quo B. Virgo in Catacumbis repraesentata fuit, sat aperte eius regia dignitas innuitur. In pictura peracta initio saec. II, quae invenitur in Catacumbis Priscillae (Cappella Graeca) B. Virgo Filium suum Magis praebet adorandum. Quamvis enim non sedeat (sicut in picturis saec. III et IV), tamen « elle porte une coiffure rappelant celles des impératrices de la première moitié du II siècle, sans aucun voile par-dessus » (*Dict. Arch. crét.* art. *Mages* [H. Leclercq], t. 10, col. 995). Saec. IV B. Virgo tamquam Regina repraesentatur in marmore nigro Musei Kircheriani et in fragmentis loci Damons-el-Karita (Cfr DELATTRE, *Le culte de la S. Vierge en Afrique*, Paris, 1907, pp. 5 et 6). Saec. VI invenitur talis repraesentatio in ampullis Mudetiae asservatis, ubi « jamais *reine* n'eut plus de majesté. Nous voyons naître ici ce magnifique type de la *Vierge Souveraine* que nous retrouverons bientôt aux mosaiques de Saint-Apollinaire-le Neuf à Ravenne, aux fresques de S. Maria Antica à Rome, et, plus tard, au por

la Souveraine, la Reine Mère, comme nous dirions, titre qui lui donne dignité et pouvoir dans le Royaume messianique à côté de son Fils » (*Mémoires et rapports du Congrès Marial de Bruxelles*, 1922, t. 1, 39).

[1] Talis transitus invenitur aperte apud Chrysippum Hierosol. († 479) in *Patrol. Oricn.*, t. 19, 339. Fides ergo explicita in munus Regium Deiparae, nonnisi saec. V apparet.

[2] Testimonia inveniri possunt apud DE GRUYTER, o. c., pp. 78-100.

tail de nos églises du XII siècle » (MALE, *L'art religieux du XII siècle en France* 3 ed. Paris, 1928, p. 56).

In Textu quodam latino apocryphi *Transitus Mariae*, haec leguntur: « Deprecor ergo assidue ut ipsa piissima ac misericordisissima *regina* semper sit (memor) mei et omnium in se credentium ac sperantium ante piissimum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum » (C. TISCHENDORF, *Apocalypses apocryphae*, Lipsiae, 1866, p. 123, nota 24). Haec verba fidem testantur christianorum saec. IV vel V relate ad munus regium Deiparae.

S. PETRUS CHRYSOLOGUS († 451) (PL 52, 579) et S. SOPHRONIUS Hierosol. († 638) pariter B. Virginem « Dominam » vocant (PL 87, 3319).

S. HILDEPHONSUS Ep. Toletanus († 669) B. Virginem vocat « Dominam, Dominatricem » quae dominium et imperium habet in subditos suos, et dominium hoc, quod omnes omnino homines respicit, Illi tamquam Dei Matri competit; fatetur tandem se « Servum Mariae » quia Filius Mariae est « Dominus » eius: « ideo ego factus servus tuus, quia tu facta es Mater factoris mei » (Cfr PL 96 58, 106, 107, 108).

2) *A saec. VIII usque ad saec. XII*: saepe a Patribus sive Orientalibus sive Occidentalibus B. Virgo appellatur « Regina » sensu proprio et formali. Primus qui, ut videtur, B. Virginem appellavit « Reginam » fuit S. ANDREAS CRETENSIS (circa 727). Apud ipsum B. Virgo vocatur « Regina *βασιλίδα* humani generis », « Regina totius generis humani », « Regina universorum hominum » (Cfr PG 97, 1079, 1099, 1107, 1072, 1088, 894).

S. GERMANUS CONSTANT. († 733) B. Virgini tribuit munus regium proprium et formale; Ipsam enim vocat « universorum Reginam », « Dominam terrigenarum omnium», «castissimam, optimam, ac misericordiosissimam Dominam». Ipsa, insuper, supplicationibus et intercessionibus suis servos suos dirigit et in regnum coelorum introducit, et peccatores ab aeterno supplicio liberat (Cfr PG 98, 303, 307, 310, 319, 339, 351, 365, 379-383).

S. IOANNES DAMASCENUS († circa 749) praecipuus assertor videtur muneris regii B. Virginis in sensu proprio et formali. B. Virgo, enim, dicitur « regina, hera, domina », « domina omnis creaturae », « idque — animadvertit de Gruyter, o. c., p 106 — sensu proprio et formali: cum Christo regnum tenet, quae sunt filii possidet, res quippe omnes conditas Filius matri mancipavit, universorum Domini dominationem nacta est. — omnibus creatis imperat, cuncta illi ancillantur; creata omnia superat omnibusque conditis rebus dominatur, angelis est superior et Domina; — res humanas arbitrio suo regit et moderatur, affectiones pravas comprimit, homines ad portum divinae voluntatis dirigit et futura beatitudine donat » (Cfr PG 94, 1158-1159, 1162; 96, 670, 690, 719, 722, 742, 755, 759, 839).

Alcuinus († 804) verum munus regium B. Virgini tribuit; scribit enim: « Virgo Dei Genitrix *nostrae regina salutis*, hic precibus famulis *auxiliare* tuis ». B. Virgo appellatur « Regina poli, polorum » (Cfr PL 101, 749, 757, 760, 771, 774).

Theodorus Studita († 826) B. Virginem vocat « Reginam ac Dominam *universi* » (PL 99, 719).

Ioannes Geometra (saec. x) B. Virginem pluries vocat « Regnatricem », « Reginam » (Cfr PG 106, 866).

S. Petrus Damiani († 1072) pluries B. Virginem « Reginam » appellat. (Cfr PL 144, 722, 736, 740, 934, 940, 935).

3) *A saec. XII usque ad aetatem nostram*: Beatam Virginem esse « Reginam » nedum Doctores unanimiter tradunt, sed munus etiam regium B. Virginis variis modis exponunt atque illustrant. Eminent S. Anselmus Arch. Cant. (PL 158) 952-958), Eadmerus (PL 159, 572, 575, 578), Rupertus Tuitiensis (PL 158, 891), S. Bernardus (PL 183, 61, 62, 415-416, 432-433, 436, 425, 431, 438 etc...); Petrus Venerabilis (PL 189, 1018); Petrus Blesensis (PL 207, 660-661, 663); S. Bonaventura (*III Sent.*, dist. 2, a. 3, q. 3; dist. 3, p. p. 1, a. 2, q. 3, dist. 9 a. 1, q. 3: Serm. *De Assumpt.*, *Op. omn.*, Quaracchi, t. 9, pp. 705, 673, 699-700,701, 705, 695); Conradus a Saxonia (Inter opp. S. Bonav., ed Vivès, Parisiis 1868, t. 14, pp. 240-241, 256, 257, 258); S. Albertus Magnus (*Mariale*, q. 42, *Op. omnia*, ed. Vivès 1898, t. 37, p. 81; q. 43, § 2, p. 85; q. 150, resp. p. 219; q. 168, p. 230; q. 165, pp. 247-248; q. 29, § 11, pp. 61-62; q. 162, p. 236, t. 22, p. 216; t. 37, q. 165, p. 247; q. 42, p. 81; q. 36-43, §. 11, pp. 85 ss.); S. Thomas Aq. (*Comm. in Ps.* 44, 7); Ioannes Gersonius (*Op. omnia* ed. Dupin. t. 3, p. 111, cc. 1366-1367. Serm. *De Annunt. B. M. V.*); S. Bernardinus Senensis (*Op. omnia*, ed. Venetiis, 1745, t. 4, pp. 92-93, 78-82); Dionysius Carth. (*Op. omn.*, t. 4, p. 99; *Enar. in cap.* 31 *Prof.*, a. 33, *Op. omn.* t. 2, p. 206; *De dign. et laud. B. V. M.*, lib. I, a. 11, *Op. min.*, t. 4, p. 31; l. 3, a. 13, pp. 123-124; *De vita et fine Sol.*, a. 7, *Op. min.*, t. 6, p. 309; *Exp. Hymni*: *Ave Maris stella*, *Op. min.*, t. 3, p. 89, p. 84); S. Petrus Canisius (*De Maria V. incompar.*, l. 5, c. 13); Suarez (disp. 3, sect. 5, § 29; disp. 12, sect. 13, S. Ludovicus M. Grignion de Montfort (*Traité de la vraie dev.*, n. 28); S. Alfonsus M. de Liguori (*Glorie di Maria*, p. 1, c. 1). etc.

Praelaudati Patres et Theologi *triplici* veluti *via* ad munus regium B. Virginis stabiliendum procedebant. Quidam enim, ex Maternitate divina plenissima et dignissima procedebant, ut S. Ioannes Damascenus etc... Alii vero, ut Conradus a Sax., S. Albertus M., Dionysius Carth., ex eo arguunt quod B. Virgo, nova Eva, acquisitioni omnium gratiarum cum Christo cooperata est, et ideo cooperatur etiam earum distributioni, tamquam dominium habens. Alii tandem, ut S. Bonaventura, Eadmerus, Suarez, ex utraque via procedunt.

Patet ergo, doctrinam de B. Maria V. Regina iam ab antiquissimis temporibus in Ecclesia sive Orientali sive Occidentali explicite propositam fuisse.

Prob. IV. Ex Ratione. Duplex est ratio theologica vere efficax ad probandum munus regium Deiparae: eius divina maternitas, et eius cooperatio ad opus redemptionis.

1. « Naturaliter enim mater regis est regina » (S. ALBERTUS M., *Mariale*, q. 154). B. Virgo enim, sicut tamquam Deum, ita etiam *tamquam Regem* illum concepit, et *ut Rex*, ratione unionis hypostaticae, natus est ab ipsa. Quinimmo, ipsummet Verbum Incarnatum voluit, de facto, ut eius munus regium, sicut et Incarnatio redemptiva, ex eius libero consensu dependeret. Etiam igitur, ratione filialis gratitudinis, debuit Christus supremi sui dominii Matrem participem reddere. B. Virgini ergo, bene accommodari possunt verba illa Cantici: « Videte regem in diademate, quo coronavit eum Mater sua » (3, 11). « Coronavit eum quando formavit; coronavit eum quando generavit » (S. AMBROSIUS, PL 16, 328 D). Ratione divinae maternitatis, B. Virgo *condominium* quoddam acquirit super omnia, id est super bona et super subiecta quibus bona distribuuntur.

2. Huic rationi accedit alia, associatio nempe seu *cooperatio immediata ad opus redemptionis*. Scite scribit Suarez: « Sicut enim Christus, eo quod nos redemit, speciali titulo dominus est ac Rex noster, ita et B. Virgo, propter singularem modum quo ad nostram redemptionem concurrit, et substantiam suam ministrando, et illum pro nobis voluntarie offerendo, nostramque salutem singulariter desiderando, petendo, procurando » (l. c., p. 327). Concurrit enim ad solutionem pretii pro nostra liberatione. Quapropter, prout docet S. Albertus M., « sola (B. Virgo) regni consortium obtinuit, quae laboris adiutrix fuit » (*Mariale*, q. 163).

Insuper, B. Virgo, ratione cooperationis ad opus redemptionis, vera *Sponsa Christi* efficitur in spirituali regeneratione hominum ad vitam supernaturalem gratiae. Iamvero, inter sponsos, communitas quaedam bonorum habetur, ita ut id quod pertinet ad sponsum, ad sponsam etiam aliquo modo pertinere censeatur. Quidquid ergo pertinet ad Christum, ad B. Virginem etiam aliquo modo pertinet. Atqui, omnia pertinent ad Christum. Ergo omnia etiam ad Deiparam aliquo modo pertinent, et in omnia, sicut Christus, dominium aliquod exercet.

INDEX

PARS PRIMA

DE B. M. VIRGINE CONSIDERATA IN SUA SINGULARI MISSIONE

Sectio prima

DE PRAEDESTINATIONE B. M. VIRGINIS AD SUAM SINGULAREM MISSIONEM

Cap. I – *Utrum B. Virgo praedestinata sit Mater universalis simul cum praedestinatione Christi in Filium Dei naturalem, id est, eodem decreto* 12

Cap. II – *Utrum B. Virgo praedestinata fuisset Mater universalis et cum Christo venisset si Adam non peccasset* 19

Cap. III – *Utrum B. Virgo praedestinata fuerit Mater universalis omnino gratuita Dei voluntate, ante praevisa cuiuscumque merita* 43

Cap. IV – *Utrum B. Virgo praedestinata fuerit ad gloriam aeternam ante vel post praevisa eius merita* 48

Cap. V – *Utrum B. Virgo praedestinata sit ante omnem puram creaturam.* 51

Cap. VI – *Utrum praedestinatio B. M. V. sit causa praedestinationis aliorum* 55

Cap. VII – *Utrum nomen Mariae ab aeterno, ab ipso Deo, praefinitum fuerit* 58

De significatione nominis Mariae 58

Sectio secunda

DE PROPHETIIS SINGULAREM B. M. VIRGINIS MISSIONEM PRAENUNCIANTIBUS

Cap. I – *De prophetiis, figuris et symbolis B. M. V. in genere* 69

Cap. II – *De prophetiis B. M. V. in specie* 71

1. De Protoevangelio 71
2. De Virgine-Matre Emmanuelis 97
3. Vaticinium Isaiae de radice Jesse 110
4. Vaticinium Michaeae de parturiente paritura in Bethlehem 113
5. De femina virum circumdatura praedicta a Jeremia 117
6. De sponsa Cantici Canticorum 123

Cap. III – *De figuris et symbolis B. M. Virginis in specie* 130

Sectio tertia

DE SINGULARI MISSIONE B. M. VIRGINIS CONSIDERATA IN SUA ADIMPLETIONE

Cap. I – *De B. M. Virgine Matre Creatoris* 141
Art. 1 – *De maternitate divina considerata sub respectu theologico* . . . 142
Art. 2 – *De maternitate divina considerata sub respectu physico* 157
Art. 3 – *De maternitate divina considerata sub respectu metaphysico* . . 167
Art. 4 – *De maternitate divina considerata sub respectu morali* 170
Appendix I – Utrum maternitas divina, nude sumpta, formaliter sanctificet B. Virginem 189
Appendix II – Utrum B. Virgo dici possit causa instrumentalis in Incarnatione Verbi 195
Cap. II – *De B. M. Virgine Matre creaturarum* 197
Art. 1 – De B. M. Virgine Matre Angelorum 197
Art. 2 – De B. M. Virgine Matre hominum 199

Sectio quarta

DE SINGULARI MISSIONE B. M. VIRGINIS CONSIDERATA IN SUIS CONSECTARIIS

Cap. I – *De mediatione universali B. M. Virginis* 231
I. *De Mediatione universali B. M. Virginis in genere* 231
II. *De Mediatione universali B. M. Virginis in specie* 250
Art. 1 – De B. Maria V. Corredemptrice generis humani, seu de cooperatione B. M. V. in acquisitione omnium gratiarum 251
I – *De B. M. Virgine Corredemptrice in genere* 251
1. Status quaestionis 252
2. Argumenta ex Magisterio Ecclesiastico 263
3. Argumenta ex S. Scriptura 283
4. Argumenta ex Traditione 300
5. Argumenta ex Ratione 350
II – *De Corredemptione B. M. Virginis in specie* 351
1. De cooperatione per Compassionem, in genere 351
2. De cooperatione Compassionis per modum meriti 356
3. De cooperatione Compassionis per modum satisfactionis 360
Quaestio specialis: Utrum meritum corredemptivum Deiparae dici possit « de condigno » 364
4. De cooperatione Compassionis per modum sacrificii 372
5. De cooperatione Compassionis per modum Redemptionis 377
III – *De obiectionibus contra Corredemptionem* 382

Art. 2 – De cooperatione B. M. Virginis in distributione omnium gratiarum 394
1. De existentia seu de facto cooperationis B. Virginis in distributione omnium gratiarum 394
2. De natura cooperationis B. M. Virginis in distributione omnium gratiarum 408
Cap. II – *De Regalitate universali B. M. Virginis* 421
1. Praenotanda 421
2. Argumenta ex Magisterio Ecclesiae 427
3. Argumenta ex S. Scriptura 429
4. Argumenta ex Traditione 430
5. Argumenta ex Ratione theologica 433

FINITO DI STAMPARE IL 23 OTTOBRE 1947
NELLA TIPOGRAFIA POLIGLOTTA VATICANA